Obscura Schubertii oratio, barbariei proxima.

p. 262 l. 1 dividerant

p. 267. n. 67 violentes

p. 170 l. 3. perpendeas. pro perpendas.

DE

ROMANORUM AEDILIBUS

LIBRI QUATUOR.

QUIBUS PRAEMITTUNTUR

DE SIMILIBUS MAGISTRATIBUS APUD POTENTIORES POPULOS ANTIQUOS DISSERTATIONES DUAE.

AUCTORE

DR. FRID. GUILIELMO SCHUBERT

HISTOR. RER. Q. PUBLIC. PROFESSORE ORDINARIO
IN UNIVERSITATE LIT. REGIMONTANA.

REGIMONTII
SUMTIBUS FRATRUM BORNTRAEGER.
MDCCCXXVIII.

VIRO

EXCELLENTISSIMO,

A SUMMIS CONSILIIS INTIMIS

REGIS BORUSSORUM POTENTISSIMI,

SUMMO CULTUS CHRISTIANI, REI SCHOLASTICAE,

RERUMQUE MEDICINALIUM

PRAESIDI BORUSSICO,

DOMINO

CAROLO SIGISMUNDO FRANCISCO

BARONI STEIN AB ALTENSTEIN

ILLUSTRISSIMI ORDINIS RUBRAE AQUILAE PRIMAE
CLASSIS ET CRUCIS FERREAE EQUITI,

MAXIMIS

DE OMNIBUS LITTERIS LIBERALIBUS

MERITIS

VALDE CONSPICUO

HUNC LIBRUM

SUMMAE VENERATIONIS

AC GRATISSIMI ANIMI

TESTEM ESSE

VOLUIT

ET

D. D. D.

AUCTOR.

Ultimis his triginta annis quum vere egregiorum virorum, atque profundissima historiarum scientia imbutorum, Spittleri, Schloezeri, Iohannisque Muelleri ingeniis, tam in praelectionibus, quam in scriptis, fax nova medio aevo atque recentioribus temporibus fructuosius pertractandis praeberetur, omnino fieri non potuit, quin et mera antiquitatis cognitio illa vi incitanti attingeretur, atque in altiorem gradum eveheretur. Sed vita quoque publica, tunc tam commota et a diversissimus partibus atque opinionibus semper oppugnata, acrius postulabat, ut historia his periculosis perturbationibus mederetur, certo quidem permultorum exemplorum copia solatium quoddam atque Consilium in meliorem statum afferret futurum. Ex quo igitur tempore non solum bellorum, pacum, foederum ac reliquorum negotiorum publicorum, quae externa vocare solemus, neque imperiorum tam dilatatorum ac auctorum, quam diminutorum atque collapsorum, neque tandem gentium regnantium, ducumque eminentium historiae solae ad studia accuratiora invitabant perscrutantem, ut prius vulgo factum erat: sed pari ratione, et persaepe etiam ardentius, rerum publicarum administratio interna, humanique generis culturae progressus, mercatura generalis, et quae ad eam augendam pertinent; denique omnes res commodum adiuvantes publicum, investigandae atque elaborandae ab auctoribus exoptabantur

historicis. Sic autem in terras plane incognitas veniebant auctores, e quibus nihilominus sperabant facile fore, ut fructum uberrimum inde reciperent; sed, quum ab illis duntaxat e fontibus hauriri deberet, pedetentim modo consilium exsequi aut rei perlustrandae periculum facere poterant. Attamen via historicae interpretationis purioris aperta erat; ad veriorem rerum originem cognoscendam alacriter aggrediebantur auctores, resque ipsas sensim sensimque excultas adspiciebant.

Eodem fere tempore et in ceteris litteris, inprimisque autem theologia ac iurisprudentia, eandem viam perscrutandique rationem viros doctos ardenter sequutos esse accipimus, neque scimus, neque ullum alium gnarum esse censemus, utrum hac ratione studium historicum illarum ducem modo docentem, modo agitantem colamus, an fortuito casui maxime memorabiles progressus, in his litteris factos, concedamus. Sed his missis, quae remotiora videantur, ut ad nostrorum librorum consilium progrediamur, non possumus, quin fortunam laudemus exoptatam, quae praecipue iuris Romani studia profundiora, certo semper ex fontibus ipsis prae ceteris subsidiis haurienda, cum litteris historicis, totius antiquitatis cognitionem amplectentibus, arctissime coniungere voluerit, vicissimque unum alterum studium adiuvare iusserit. Qua enim ratione seculi decimi sexti septimique dimidii tempora harum litterarum gloria laudata redierunt, quibus historia antiqua simul gavisa est cum iurisprudentia, quae ea aetate ma-

xime floruit, atque historiae auxilio, tanquam amico semper fido, et ut e studiorum academicorum ratione liberius dicam, tanquam matre usa est tuenti. At illa tempora celebrata non modo non rediisse, sed historicam iuris illustrationem adsumsisse methodum multo meliorem, multoque uberiorem ac elegantiorem, in nostro aevo nemo ignorabit, qui a litterarum cultura universa se non prorsus alienum gerat. Nunc vero mihi non in animo est, rem notissimam, virorum apud omnes antiquitatis studiosos praeclare aestumatorum nominatione, verbosius adhuc proferre in medium. Omnino quidem optare mihi liceat velim, ut illi praeclari Iurisconsulti, qui simul e fontibus historicis ac iuridicis opera sua elaborent, nunquam cautius sibi temperare obliviscantur, ne iuris systema, opinionesque ex eodem iam antea conceptae saepius etiam ex simplici praeiudicio ortae triumphent de testimoniis historicis, neque eadem argumentationibus nimis argutis in suas sententias, nisi integra facti veritate comprobatas cogant.

Sed Niebuhrius, cuius ingenium eminens ac vere profunda eruditio viros in litteris philologicis, historicis atque iuridicis diu reddidit dubios, num illi aut huic studio clariorem attulerit facem criticam; Savinius, tum consuetudine familiari, tum fere pari litterarum usu cum illo coniunctissimus, non solum Romanorum historiam auxilio potentissimo sustinuerunt, altiusque extulerunt, denique integriorem restituerunt, et ad similes labores valde laudandos, inter quos Dirksenius aequali eruditione antiquaria et iuridica suis primum locum

assignavit, excitaverunt; sed etiam reliquae antiquitatis universae cognitioni viam melius munitam aperuerunt. Quis enim arctiorem coniunctionem inter Boeckhii eiusque sociorum, quod optima verbi significatione hoc loco me adhibuisse velim, C. O. Muelleri, Meieri, Schoemanni aliorumque, in rebus Graecis eximie comprobatorum, libros prorsus denegare possit; etsi equidem minime eo declarare cogitem, Boeckhio demum a Niebuhrio hanc viam puriori rerum publicarum in antiquitate cognoscendae esse ostensam!

Nunc autem de meo argumento ipso rationem reddens, operis a me editi consilium paucis verbis exponere volo. Antiquitatis fontes, tam historicos, quam notiores permixti generis quum ex ordine chronologico, quem prioribus auctorum veterum studiis, delectatione magis quam consilio ductus, magno meo incommodo neglexeram, deinceps perlegere atque excerpere susciperem, quemadmodum hanc consuetudinem in laboribus meis de medio atque recentiore aevo, mihi magis propriis, exercere semper assuetus sum: mox factum est, comparatione fontium cum recentiorum commentationibus adhibita, ut prae ceteris magistratuum historiam adhuc valde neglectam reperirem. Nec enim munerum curae variae, neo eorundem coniunctio cum ceteris magistratibus atque populo, nec curarum permutationes in diversis temporibus, nec muneris initia conditioque ac potestas magis elata, nec eiusdem paullatim labentis decrementa cognita usque ad ultima vestigia, nec tandem munerum divisiones ac partitiones, quum nova insti-

tuerentur officia, ex accuratiore investigatione artisque criticae rationibus iustis satis discreta sunt.

Quod vero ad Romanos adtinet, idem valere vidi in magistratuum maiorum quam minorum commentariis: nam tempora variaeque curae mirum in modum ubique confunduntur. Maximo autem scientiae incommodo effectum est, ut auctoribus in Iustiniani Digesta, componendi ratione tam mala receptis, fere ab omnibus, qui seculis prioribus de magistratibus scripserunt — eorum autem plurimi ad Iurisconsultorum ordinem pertinent — primus locus committeretur, aliique auctores veteres, nisi rem disertis verbis exposuerint, obiter tractarentur: ut auctores denique Graeci, exceptis Dionysio Halicarnassensi, Plutarcho ac Dione Cassio, tamen his duobus in exemplis multo paucioribus, quam aequitati concedi posset, assumtis, paene prorsus omitterentur. At nostrae aetatis studia necdum eo pervenerunt, ut artis criticae severioris, quae nunc plerumque regit viros doctos, opera perutili in cunctis libris singularibus, de his rebus compositis frui posset: etsi ingratissimi foret res, non confiteri velle, eorum auxilium fere ubique mihi iam gratius convenisse.

Verumtamen vix multum abest, quin inter omnes antiquitatis peritos constet, de nullo alio magistratu tantam dissensionem tantosque errores posse reperiri, quanti in Aedilium rebus obversarentur, tum in curis singulis, tum in discrimine inter Plebeios et Curules. Itaque consilium, ut mihi videtur rei difficultate illustrando valde accommodatum mihi arrisit, ut, quantum litterarum

antiquarum conditio praesens, viresque meae exiguae permittere possint, ad huius admodum insignis magistratus historiam, ut ea ad clariorem adduceretur lucem, adhibere, eique dè similibus magistratibus apud potentiores populos, inprimis autem Graecos, dissertationes duas involvere conarer. Ad hanc voluntatem exsequendam per sex annos plenos a meis diligentioribus studiis vulgaribus, in recentiore historia atque praecipue regni Borussici exercitis, me paullulum recepi, maioremque otii partem ad hanc disquisitionem elaborandam impendi.

Postremo id mihi monendum est, me a lectoribus benevolis petere, ut hi libros meos ex multo maiore parte iam ante hos duos annos conclusos esse considerent, quia etiam tum eorum pars dimidia typis impressa est, pars autem posterior a me, multis muneris academici negotiis impedito, non ante has Calendas Ianuarias edi poterat. Itaque nemo exspectet, Niebuhrii Romanorum historiae editionem secundam, aut Graecarum Inscriptionum a Boeckhio editarum fasciculum secundum, aut Wachsmuthii antiquitates Graecas ceteraque nuperrime edita a me in locis aptis iam esse adhibita. — Latinitatem meam excusare nolo, quod hanc petitionem iudices aequi historias perscrutanti sponte donabunt, corrigendorum autem emendandorumque copiam tum longior preli distantia, tum longius operis premendi spatium vindicabunt.

Dabam, Regimontii Idibus Ianuariis
MDCCCXXVIII.

INDEX RERUM
IN HIS LIBRIS PERTRACTARUM.

LIBER PRIMUS.

LIBER QUARTUS.

CORRIGENDA.

Pag. 5. l. 11 legas inde pro itaque
— 4. l. 5 addas post v. quae, si vestigia historica sequimur,
— ead. l. 11 leg. adipiscenti pr. adepto
— ead. l. 12 leg. dividerentur necesse erat pr. dividantur necesse est
— ead. l. 7 inf. leg. componant pr. fingant
— ead. l. 2 inf. mittas ante plerosque commatis signum
— 5. l. 9 addas p. munera graviora
— ead. l. 20 mittas p. populis commatis signum
— ead. l. 11 inf. leg. diu pr. sereno caelo
— ead. l. 7 inf. leg. civilium pr. politicorum
— 6. l. 15 leg. mereretur pr. mereatur
— 7. l. 7 leg. attamen pr. at
— ead. l. ultim. leg. scripsi pr. scribam
— 8. l. 5 inf. leg. subirem pr. subeam
— 11. l. 11 leg. p. sileam, quam usque ad haec tempora se extendisse firmis argumentis nemo comprobare potest, Heerenium; inde del. auctorem celeberr.
— 14. l. 2 inf. del. puncti signum et leg. de pr. De
— 18. not. 25 add., et Liv. XXX. c. 16 „triginta seniorum principes; id erat sanctius apud illos consilium, maximaque ad ipsum Senatum regendum vis."
— 19. l. 16 leg. pr. Bonn. 1818, Col. Agripp. 1820
— 20. l. 14 inf. add. p. Consulum Praetorum ceterorumque civium ornatorum, qui eiusdem dignitatis essent; tum del. quoque
— 22. l. 7 add. (πεντάρχαι?)
— 50. l. 5 add. p. notitiis diversis
— 31. l. 16 add. p. cultum que
— 58. l. 1 add. p. 18) commatis signum
— 116. l. 4 inf. add. p. e. q. s. Conf. Otto de Aedil. Coloniar. tot. cap. sextum
— 117. l. 8 inf. leg. ληξίαρχοι pr. ληξιάρχοι
— 141. l. 2 inf. leg. rursus pro semel
— 175. l. 15 leg. primo pro secundo
— 181. l. 6 inf. leg. 2 pro 5
— 190. not. 90 prorsus delenda est
— ibid. not. 94 addas: tum ibid. c. 45 — 44, et epit. l. XLVIII.
— 192. l. 5 inf. leg. 5 pro 7
— 197. l. 5 leg. primo pr. secundo
— ibid. l. 6 add. post v. Plebeiis, praeter togam praetextam, utrique muneri communem,
— 225. l. 5 leg. Domitiano pro Nerone
— 237. l. 7 leg. exstincta pr. estincta
— 241. l. 5 add. post sed eos; tum leg. uti pr. quod
— ibid. l. 6 leg. demonstrari possit pr. demonstrabit
— 249. l. 12 inf. leg. quiddam pr. quoddam
— 252. l. 14 leg. passus pr. nactus

Pag. 252. l. 20 del. singulum
— 257. l. 10 leg. post Aedilitiis Candidatum
— 258. l. 5 leg. relictum est pr. exstat
— ead. l. 9 leg. coercitus pr. coeroitum
— 259. l. 9 leg. ornare pr. coronare
— 261. l. 8 et 9 leg. probata sit pr. probaretur, et facta sit pr. fieret
— 265. l. 18 leg. probanda pr. aequa
— ead. l. 25 leg. ϑεωρῶν pr. ϑεορῶν
— 267. not. 66 leg. auxiliis pr. remediis
— 268. l. 8 leg. praefuisse pr. praesedisse
— ead. l. 9 leg. qui praefuerunt, pr. praesidentium
— ead. l. 15 leg. ex humili quaestu vitam degisset pr. humili quaestui incubuisset
— 270. l. 8 leg. Censorii pr. Censorini
— ead. l. 9 leg. servavit pr. reservavit
— ead. l. 15 inf. leg. Annalium testimonio pr. Annalibus
— 276. l. 8 inf. leg. adspicere pr. aspicere
— ead. l. 3 inf. leg. pleniorem pr. meliorem
— 295. l. 16 leg. post gestam in hac aetate antiquiore.
— 306. not. 141 in fin. add.: Ipse etiam Dictator a. 210, Liv. XXVII. c. 5, quartum Consulatum adeptus est a. 209, ibid. c. 6.
— ead. not. 146 in fin. add.: Decemvir sacrorum, a. 204 mortuus est, Liv. XXIX. c. 38.
— 328. l. 5 et 20 leg. Peducaeus pr. Peduceius
— 335. l. 4 et 20 leg. Peducaeus pr. Peduceius
— 345 l. 6 leg. Peducaeanus pr. Peduceianus
— 345. l. 12 inf. leg. perpauca pr. perpauco
— 346. l. 2 add.: quibus adiiciendus est Sextus Pacuvius Taurus incertae aetatis, Plin. hist. nat. XXXIV. c. 5.
— ead. in fin. add.: Conf. Mueller. d. For. Roman. p. 130.
— 369. l. 9 leg. 228 pr. 22 8
— ead. l. 20 add. in fin.: Conf. Spanheim. de praestant. numm. II. p. 88.
— 376. l. 17 add. in fin.: Conf. Spanh. l. cit. II. p. 151.
— 381. l. 11 inf. del. commatis signum p. Praeturam, et ponas p. fungens
— 390. l. ultim. add. p. A. F.": Conf. Spanh. l. cit. II. p. 155.
— 396. l. 7 inf. add. p. S. C.": Conf. Spanh. l. cit. II. p. 155.
— 415. l. 16 inf. leg. iis pro eos
— ead. l. 4 inf. add. a. 43 post Triumviris
— 433. l. 12 leg. sententiae pr. sententia
— 464. l. 2 inf. leg. Heautontimorum. pr. Heautontimoroum.
— 470. l. 3 inf. add. in fin.: (Mazois) der Palast des Scaurus, ins Deutsche übers. von Wuestemann, Gotha 1820. 8., quod tamen opusculum non sine magnis levitatis erroribus compositum est.

LIBER PRIMUS.

AEDILIUM MUNERIS HISTORIA EXTERIOR.

CAP. I.

DE AEDILIUM SIMILIUMQUE MAGISTRATUUM NECESSITATE ET ORIGINE IN REPUBLICA BENE CONSTITUTA.

Naturali rerum publicarum coniunctioni consentaneum est, quod magistratuum genus, praecipue societatis humanae commodis politioribus serviens, omnino non prius institui potest, quam respublica ipsa primos civilis culturae gradus transgressa, h. e. in antiquitatis temporibus hostium vicinorum depulsione conditionem certiorem nacta est, civesque suos severius obsequio erga summas leges atque auctoritatem assuefecit. Itaque omnes consociationes politicae primam originem valde exiguam habeant necesse est, itaque ex eadem ratione totam regendi auctoritatem in iis uni viro commissam esse invenimus. Quotquot enim historiae antiquissimae, meliore critices face illustratae, vestigia nunc nobis relicta exstant, tot documenta gravissima nos docent, tam Asiae quam Europae notioris regna seriora e minimis partibus confluxisse in unum: quodque solum nostris doctrinae politicae magistris concedit, totam administrationem rerum publicarum derivare e vita patriarcharum. Nam eosdem patriarchas, si quidem vocem sensu latiore accipimus, si neque regionum discriminis, neque caeli temperaturae, neque

populorum vivendi moris diversi rationem ducimus, apud Hebraeos, Syros, Graecos, Italos Germanosque antiquos [1]) videmus, ut hos prae ceteris in medium proferam. At harum, ut quisque facile intelliget, rerum publicarum origines, quae non ex rudibus initiis se ipsas constituerunt, sed ex aliis sive coloniae deductae, sive provinciae ad suetiorem imperii administrationem redactae sunt, huc referre non possumus. Patriarcharum vero vita relicta, regiminis simplicitas, quae primis populi progressibus plus quam satis fecerat, ei regnum vel solam civitatem adepto omnino non sufficit; administrandi munera dividantur necesse est, ita ut mox summam potestatem certe quadripartitam videamus, nempe sacerdotalem, militarem, iudicialem et civilem, quamquam in quibusdam civitatibus cum sacerdotali auctoritate interdum et iudicialem vel civilem, aut cum civili militarem, aut cum alia aliam coniunctam in unius magistratus officio positam esse cognovimus. Sed quae in omnibus historiarum paginis repetita videmus, piget fusius exponere, praesertim quum sola potestas civilis propius accedit ad nostram rem, quae in quibusdam minoribus civitatibus aedilitatis synonymis, ut ita dicam, tota demandata est [2]), in maioribus tamen graves potestatis curas illis permisit.

---

1) De Hebraeis nemo quaerit exemplum, et Syriae populi omni aetate vivendi rationem fere aequalem habentes, Emirorum moderamen tam antiquis quam recentibus periegetis praebuerunt. De Graecis Homeri carmina, praecipue Odyssea, sententiam satis firmant, tamenque postulare possimus, ut etiamnum ex his prioris Graeciae descriptionem fingant lectores. Quod ad Italiae populorum veterum vitam politicam attinet, Niebuhrius Röm. Gesch. vol. I. pl. loc. luculentissime nos docuit; tandemque de Germanis nemo est qui nescit, eos ita vixisse usque ad magnam gentium migrationem plerosque etiam diutius plus quatuor seculis perstitisse in hoc more.

2) Sic in pluribus coloniis Italicis.

Sin autem Aedilium similisque potestatis magistratuum origines antiquissimas apud diversos populos disquirere volumus, principales hujus muneris curas censemus securae vitae publicae tutelam leviumque criminum, quae eam laederent vel laedere possent, coercitionem, deinde ornatus publici curam communem, denique frumenti semper sufficientis aliorumque alimentorum procurationem i. e. omnia munera, quae apud nostros sub nomine höhere Policey comprehendimus. Unde elucet, temporum, quibus populi adhuc nomadum vita usi sunt, perquisitionem pro nostro fine fore plane inutilem, neque minus populos, qui etsi agricultores nunquam in maioribus oppidis habitaverunt, omninoque nec insigniore commercio, nec nomine publico quodammodo ampliore gavisi sunt, adduci non posse. Itaque ex antiquitatis ratione tantum de iis populis sermo esse potest, qui vel rebus gestis, vel litteris et artibus, vel industria totum terrae orbem permoverunt, id est de populis qui maris mediterranei oras vel incoluerunt vel rexerunt. In his tamen terris coelum quoque ac natura regionis tales magistratus multo prius quam in Europa media postulaverunt [3]) et adhuc postulant, etsi nunc fere ubique omnes administrationes civiles huic curatorum generi bene consuluerunt. Nam notissima est res, homines illic magis sub sereno coelo vivere, quam domibus se tenere, imo etiam in viis ne-

---

3) Idcirco Mediolani, Venetiis, Gennae, Pisae, Florentiae ac Neapoli per medium aevum, quum hae urbes commercio ac industria prae ceteris maxime florerent, magnae politicorum magistratuum copiae mentionem faciunt auctores coaetanei; cf. Raumerius in Gesch. der Hohenstauffen vol. V. p. 184, 188, 202, 255 etc. Iidem magistratus reperiuntur et Massiliis et Barcellonae. Sed eodem tempore in Gallia septentrionali, Anglia atque Germania, civitatibus Hanseaticis exceptis, eiusmodi munera civilia valde desiderantur.

gotiari, ante domos varia opificia exercere maximaque ex parte oblectamentis atque recreatione frui in publico. Itaque primum officium bono regimini opus fuit, publicam securitatem in viis forisque tueri atque conservare. Praeterea hi populi oram maritimam incoluerunt, ergo a primis temporibus ad mercatum incubuerunt, quare quam primum mercatui atque iusto mensurarum modo praefecti instituerentur necesse fuit. Tandem ob permagnum solis ardorem et terrae siccitatem annona in his regionibus perfaepe male provenit, ita ut vix secundus annus mediocris, tertius certe sterilis, decimus demum boni nomen mereatur, unde frequentissime annonae caritate terrebantur populi, atque necessitas ipsa civitatis administrationem coegit frumentum e longinquo adducere, in horreis publicis asservare atque administros instituere publicos, ut per eos frumentum famis tempore populo vel pretio minore constituto venderetur, vel gratis divideretur [4]): quo cum munere secunda rerum venalium et mercaturae cura, quae et rerum necessariarum subvectionem e vicinitate custodit, arctissime cohaeret [5]).

Veruntamen de plurimis his populis ex fontium inopia nil nisi brevem externarum rerum adumbrationem scimus, internam vero administrationem atque vitam civilem vel plane ignoramus, vel maxima materiae penuria prima eius lineamenta collatione divinamus pe-

---

4) Huius rei documento percurras modo exempla, quae a Jacobi patriarchae aetate usque ad ruinam imperii Romani, Hebraeorum, Graecorum Romanorumque historiae praebent, eademque Paparum, regni Siciliarum atque rerum publicarum Italiae recentis etc. annales enarrant.

5) Quae in antiquitate de necessariis in civitate magistratibus cogitaverunt viri politici, cognoscuntur in Platon. de leg. lib. VI, edit. Stephan. II. pag. 758—60 et in Aristotel. Politic. VI. c. 8.

riculosa. Sed meum non est, accurate quae de his magistratibus in antiquis auctoribus reperiri possunt colligere, praeterea quum Romanorum Aedilium historiam nullo modo illustrabunt, et severior historiarum cultor in illo proverbio, omne simile claudicare, gravissimam compositionis regulam venerari debet, praesertim si de rebus historicis agitur. At ne hac aetate, nimis quam par est comparationes diligenti, negligentior videar, notatu dignissima etsi perpauca de Indis, Babyloniis, Phoenicibus, Aegyptiis et Carthaginiensibus proximo capite addere non veritus sum, tum largius, quod magis cum Aedilium administratione congruit, de Graecorum politiae (recentiore vocis significatione Policey) magistratibus tertio capite scribam.

CAP. II.

DE AEDILIBUS [1]) APUD QUOSDAM ASIAE ATQUE AFRICAE POPULOS.

Indi quidem e primi capitis argumento stricte huc non pertinent, quod, si solida historiarum veritate accepta contenti sumus, hanc gentem neque politico neque litterarum neque religionis vinculo cum ullo alio antiquitatis a nobis cognitae populo diu coniunctam esse fateri debemus, unde satis apparet, eorum administrationem civilem nullam vim habere potuisse ad ceteros populos, ut apud hos ex Indorum exemplo aliquid constitueretur aut permutaretur. Nihilominus tamen, quae Strabo [2]) de Indorum Aedilibus retulit, omitti non posse censui, quia ab auctore nec credulo nec mendaci tradita per se diligenter ac caute connexa sunt et summa omnium consensione cum similibus Graecorum Romanorumve magistratibus clarum documentum nobis praebent, quod instituta civilia ab ipsa vita politiore postulata sub omni caelo, ubi solis etiam ardor culturam politicam semper impedit, quo minus perfecta

1) Lectores mihi ignoscant, quod veterum auctorum more, qui instituta peregrina cum suis quodammodo congrua sub sua adsuetiore denominatione nobis tradiderunt, nomen notius Aedilium, ne ambiguitatis vel permutationis periculum subeam, elegerim.

2) Lib. 15. c. 1. edit. Tauchnit. v. III, p. 284 et 285.

aspiciatur, pari modo excoluntur. Negare quidem nolo, Strabonem vel potius Megasthenem [3]), a quo hunc locum mutuatus est ille geographicus, unam vel alteram rem non recte intellexisse, quas difficultates, ut vulgo fieri assolet, iam sine dubitatione e notioribus institutis politicis interpretatus sit; quam ob rem Diodorus Siculus et Arrianus, de Indis Strabone brevius referentes, sub aliis nominibus communioribus illorum descripserint magistratus: at considerari debet, Megasthenem fere aequalem fuisse magnae Alexandri expeditionis, quae primum has regiones remotissimas illustravit, eumque omnes Alexandri comites, qui de his populis conscripserunt, esse perscrutatum.

Administratio interna apud Indos ex hoc auctore ita instituta erat: auctoritas sacerdotalis et iudicialis connexa sacerdotum fuit, quos tamen magistratibus *τοῖς ἄρχουσι* Strabo non adnumeravit, militaris quinque ducum classes habuit, et civilis divisa duobus magistratuum generibus permissa est, a g o r a n o m i s et a s t y n o m i s, qui rectius, ut denominatio ipsa magis ad officium accedat, p r o v i n c i a l e s et u r b a n i c u r a t o r e s nominari possint. Sed haec potestatis divisio arctissime quoque cum Indorum quatuor vel quinque ordinibus [4]) cohaerere videtur, ut quemadmodum summi sacerdotes et duces militares primo ac secundo ordini in universum praefuerint, ita et agoranomi tertio et quarto — forsan soli tertio, si modo uterque unum ordinem composuerunt — agricultorum et pastorum venatorumque, atque astynomi quarto mercatorum opi-

3) Megasthenes regis Selenci Nicatoris tempore vixit missusque est ad Indicum regem Sandracottum; Strabo l. c. edit. Tauchnit. p. 276, post quam legationem Indicorum libros scripsit. Cf. Fabric. biblioth. graec. lib. III. c. 8. edit. tert. vol. III. p. 221.

4) Graeci auctores utpote Diodor. Sicul. II. c. 40 et 41. edit. Bipont. vol. II. p. 119 c. s:, Strabo loc. cit. et Arrianus

ficumque praefecti esse censeantur. Opinioni meae favet, quod Arrianus loc. cit. inter magistratus *τῶν κατὰ γεωργίην ἔργων ἐπιστάται* operum nempe ordinis agricultorum praesides enumerat, qui sine omni dubitatione Strabonis sunt agoranomi. Sed pergamus ad magistratuum potestatem describendam: „Agoranomi, ait Strabo [5]), fluminum curam habent et agros dimetiuntur, sicuti in Aegypto, et fossas clausas, e quibus in

---

Indic c. 11 et 12 septem ordines Indos habuisse nobis retulerunt: quae tamen tria documenta omnino unius vim per se habent, quod ex uno eodemque fonte, Megasthenis Indicis, ex auctorum confessione ipsa et toto rerum consensu hausta sunt; quam ob rem Megasthenis errorem in omnia Occidentalium scripta irrepsisse nemo est qui non videt. Quodsi vero criticus hanc relationem paulo accuratius perpendit neque politicae Orientalium populorum vitae principia negligit, non aegre dubitabit, quin sextus ordo *τῶν ἐπισκόπων* vel *ἐφόρων* et septimus *τῶν ὑπὲρ τῶν κοινῶν βουλευομένων ὁμοῦ τῷ βασιλεῖ* vel e Strabone *τῶν συμβούλων καὶ συνέδρων τοῦ βασιλέως, ἐξ ὧν τὰ ἀρχεῖα καὶ δικαστήρια καὶ ἡ διοίκησις τῶν ὅλων*, a primo ordine *τῶν φιλοσόφων* omnino non discrepent, sed potius unius nempe primi ordinis sacerdotum partes sint. Igitur restant quinque ordines sacerdotum, militum, agricultorum, pastorum et venatorum, opificum et mercatorum, quorum forsan agricultores cum venatoribus et pastoribus, ut e magistratibus concludere coner, unum ordinem conformaverint, quamvis contra hanc opinionem Arriani loc. cit. c. 12. verba gravius pugnare videntur, quae pastores nunquam in oppidis neque vicis colere, sed eos esse nomades atque vitam peragere in montibus edicunt: *οἱ ποιμένες...... οὔτε κατὰ πόλιας, οὔτε ἐν τῇσι κώμῃσιν οἰκέουσι· νομάδες τέ εἰσι καὶ ἀνὰ τὰ ὄρεα βιοτεύουσι.* Heerenius quidem in Ideen üb. d. Polit. d. a. W. edit. quart. vol. I. p. 5. p. 282 — 297 (Heerenii operum omn. vol. XII.) Graecorum auctoritatem plane refutavit, solumque ad veteres fontes Indicos nos misit, e quibus iam tum temporis tantum quatuor cognovisse vult ordines, Brachmanos seu Braminos i. e. sacerdotes, Ketrios i. e. milites, Vaisyaeos i. e. reliquos ordines opificum mercatorumque, pastorum, venatorum atque agricultorum, denique Sudraeos infimos omninoque contemtos homines neque beatissimo

agrorum canales dividitur aqua, inspiciunt, ut ex aequis partibus aquarum usus adsit omnibus. Alia agoranomorum classis venatoribus consulit, et honoris ac punitionis pro eorum meritis auctores sunt, et reditus publicos colligunt, neque vero, ut mea sententia est, in universum apud totum populum, quod etiam sequentia negant, sed apud ordines ipsorum curae commissos, nempe agricultores et venatores ac pastores. „Porro

renascendi iure ornatos, qui superioribus ordinibus ministeria praestabant vilissima. Sed ut fontium ambiguitatem et quod me plurimum offendit antiquitatem sileam, auctorem celeb. ad dubitationes respondisse quam maxime velim, cur Sudraeorum, si tum temporis fuerint, conditionis miserrimae in tam copiosis Indiae descriptionibus non uno verbo mentionem fecerint Graeci: nam si unus fecisset, haud dubie Megasthenes eiusque pedissequi hoc proprium institutum civile non omiserint. Qui vero Graecos illum Sudraeorum ordinem censuisse servos et ob hanc causam ut rem per se in civitate necessariam in scriptis neglexisse opinentur, adduco ad decimum Arriani Indicorum caput, ubi disertis verbis Iudos servorum conditionem non novisse dixit: *εἶναι δὲ καὶ τόδε μέγα ἐν τῇ Ἰνδῶν γῇ, πάντας Ἰνδοὺς εἶναι ἐλευθέρους, οὐδέ τινα δοῦλον εἶναι Ἰνδόν· . . . . . Ἰνδοῖσι δὲ οὐδὲ ἄλλος δοῦλός ἐστι, μήτοιγε Ἰνδῶν τις.* Quae praeterea firmantur a Strabone loc. cit. p. 288: „*δούλοις δὲ οὔτος* (Megasthenes nempe) *μέν φησι μηδένα Ἰνδῶν χρῆσθαι*" et Diodoro Siculo II. cap. 47, ita ut certo Montesquieuii sententiam, l'Esprit des loix XIV, cap. 15, de miti servorum conditione apud Indos ex auctoribus veteribus male intellectis propositam, omnino corrigendam esse censeam.

5) *Τῶν δ' ἀρχόντων οἱ μὲν εἰσιν ἀγορανόμοι, οἱ δ' ἀστυνόμοι, οἱ δ' ἐπὶ τῶν στρατιωτῶν· ὧν οἱ μὲν ποταμοὺς ἐξεργάζονται, καὶ ἀναμετροῦσι τὴν γῆν, ὡς ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ τὰς κλειστὰς διώρυχας, ἀφ' ὧν εἰς τὰς ὀχετείας ταμιεύεται τὸ ὕδωρ, ἐπισκοποῦσιν, ὅπως ἐξ ἴσης πᾶσιν ἡ τῶν ὑδάτων παρείη χρῆσις. Οἱ δ' αὐτοὶ καὶ τῶν θηρευτῶν ἐπιμελοῦνται, καὶ τιμῆς καὶ κολάσεως εἰσὶ κύριοι τοῖς ἐπαξίοις· καὶ φορολογοῦσι δὲ, καὶ τὰς τέχνας τὰς περὶ τὴν γῆν ἐπιβλέπουσιν, ὑλοτόμων, τεκτόνων, χαλκέων, μεταλλευτῶν· ὁδοποιοῦσι δὲ καὶ κατὰ δέκα στάδια στήλην τιθέασι, τὰς ἐκτροπὰς καὶ τὰ διαστήματα δηλοῦσαν.*

agoranomi omnia opificia ad agros pertinentia inspiciunt, sicuti eorum qui ligna caedunt, domos aedificant, aera cudunt et in metallorum operantur fodinis. Denique vias sternendas curant, et per dena stadia lapides locant deverticula distantiasque indicantes."

„Astynomi[6]) i. e. urbium curatores in sex classes quinquevirorum divisi sunt. Primi quinqueviri opificum opera perlustrant; secundi peregrinorum commodis inserviunt, partim inter eos hospitia distribuentes, partim eorum negotia accurate observantes administrosque atque interpretes praebentes; et post negotia confecta eos usque ad fines deducunt, nec minus aegrotantium curam habent, ac si quis peregrinus mortuus est sepeliunt[7]), eiusdemque opes comitantur aut asservant. Tertii partus et obitus perquirunt et quando et quomodo evenerint, idque fit, ut iusta tributa exigi possint, et ne optimorum inferiorumve natales ac mortis dies incognitae sint. Quarti propolis, cauponibus maioribusque commerciis praesunt: iidemque de mensuris provident et praecipue de frugibus, ut ad modos consignatos vendantur; neque permittunt, ut

6) *Οἱ δ᾽ἀστυνόμοι εἰς ἓξ πεντάδας διῄρηνται· καὶ οἱ μὲν τὰ δημιουργικὰ σκοποῦσιν, οἱ δὲ ξενοδοχοῦσιν· καὶ γὰρ καταγωγὰς νέμουσι, καὶ τοῖς βίοις παρακολουθοῦσι, παρέδρους δόντες καὶ προπέμπουσιν ἢ αὐτούς, ἢ τὰ χρήματα τῶν ἀποθανόντων· νοσούντων τε ἐπιμελοῦνται, καὶ ἀποθανόντας θάπτουσι. Τρίτοι δ᾽εἰσίν, οἳ τὰς γενέσεις καὶ θανάτους ἐξετάζουσι, πότε καὶ πῶς, τῶν τε φόρων χάριν, καὶ ὅπως μὴ ἀφανεῖς εἶεν αἱ κρείττους καὶ χείρους γοναὶ καὶ θάνατοι. Τέταρτοι οἱ περὶ τὰς καπηλείας καὶ μεταβολάς· οἷς μέτρων μέλει καὶ τῶν ὡραίων, ὅπως ἀπὸ συσσήμου πωλοῖτο. οὐκ ἔστι δὲ πλείω τὸν αὐτὸν μεταβάλλεσθαι, πλὴν εἰ διττοὺς ὑποτελοίη φόρους. Πέμπτοι δ᾽οἱ προεστῶτες τῶν δημιουργουμένων, καὶ πωλοῦντες ταῦτα ἀπὸ συσσήμου, χωρὶς μὲν τὰ καινά, χωρὶς δὲ τὰ παλαιά. τῷ μιγνῦντι δὲ ζημία. Ἕκτοι δὲ καὶ ὕστατοι οἱ τὰς δεκάτας ἐκλέγοντες τῶν πωλουμένων. θάνατος δὲ τῷ κλέψαντι τὸ τέλος.*

7) **Indorum** vero defunctorum exsequias iustas perficiunt sacerdotes, Diodor. Sicul. II. c. 40: *παραλαμβάνονται δὲ*

venditor venalia pluries permutet et vendat — hac enim sola ratione res intelligenda videtur — nisi duplex vectigal persolvat. Quinti opificiorum mercatui praesident [8]), ut itidem omnia ad consignatum modum, nova vero seorsum a veteribus vendantur, haecque permiscentem puniant. Sexti et ultimi rerum venditarum decimas exigunt et vectigalia publica defraudantem capite damnant." Haec vero singulae classes procurant [9]), sed universi et proprii officii, et rerum civilium, et publici ornatus honorumque, et sacrorum et fori portusque curam habent. Quae tamen sufficiant de Indorum Aedilibus, ut eorum similitudo mira cum Romanis appareat bonaque administrationis civilis explicatio in his maxime meridionalibus regionibus ostendatur.

De Babyloniorum magistratibus non tam multa proferri possunt, quum Graeci periegetae Babyloniam demum Persici imperii provinciam visentes, quae ad internam administrationem pertinent, non magni momenti aestimarent, et exceptis aedificiis fere nihil acrioribus observarent oculis; Hebraei vero res suas tantum respicientes, obiterque de victoribus suis referentes vix veri speciem, qua freti aliquid accuratius describere possimus, redderent. Attamen id notare volumus, quod

---

(οἱ φιλόσοφοι) ὑπὸ μὲν τῶν ἰδίων εἰς τὰς τῶν τετελευτηκότων ἐπιμελείας, ὡς θεοῖς γεγονότες προσφιλέστατοι καὶ περὶ τῶν ἐν ᾅδου μάλιστα ἐμπείρως ἔχοντες.

8) Non accurate videndum est, quid inter primam et quintam Astynomorum classem intersit, nam utraeque opifices inspiciunt: sed fortasse prima modo operam in fabricis, ut probabilis edatur, perlustrans quintae venditionis in tabernis curam permisit.

9) Strabo III. p. 285. Ἰδίᾳ μὲν ἕκαστοι ταῦτα, κοινῇ δ' ἐπιμελοῦνται τῶν τε ἰδίων καὶ τῶν πολιτικῶν καὶ τῆς τῶν δημοσίων ἐπισκευῆς τιμῶν τε καὶ ἀγορᾶς καὶ λιμένων καὶ ἱερῶν.

Diodorus Siculus [10]) e primis adhuc fabulosis temporibus Ninyam, Nini atque Semiramidis filium, exercitus duces, satrapas iudicesque et *διοικητὰς* — quos civilium rerum curatores recte me interpretari censeo — instituisse narrat; et magna magistratuum copia, quorum nomina prophetae Danielis liber, ultima Babyloniae fata enarrans, distinxit, nos certe docet, administrationem civilem in hoc quoque regno iam antiquitus [11]) separatam a sacerdotali, iudiciali et militari potestate, hoc statu permansisse usque ad imperii finem. Magistratus enim civiles [12]) atque operibus regionis Babyloniae praefecti iuxta Chaldaeorum ordinem sacerdotalem, iuxta satrapas militaresque duces et iudices ita enumerantur, ut illi *διοικηταὶ* et operum praesides Aedilium locum suscipere debeant apud Babylonios.

Eandem certae relationis inopiam, quam de Babyloniis experti sumus, de Phoenicum quoque administratione civili sentimus, etsi commercium florentissimum atque ingens urbium in angusta ora iunctim sitarum populatio, quibus maior ingenii societatisque po-

---

10) Lib. II. c. 21. edit. Bipt. vol. II. p. 63. (*Νινύας*) *στρατηγοὺς δὲ καὶ σατράπας καὶ διοικητάς, ἔτι δὲ δικαστὰς καθ' ἕκαστον ἔθνος ἀποδείξας καὶ τἄλλα πάντα διατάξας, ὡς ποτ' ἔδοξεν αὐτῷ συμφέρειν, τὸν τοῦ ζῆν χρόνον κατέμεινεν ἐν τῇ Νίνῳ.*

11) Rationem chronologicam accuratius hic urgere nolumus.

12) Daniel. totus liber, praecipue cap. 3. v. 2 ex versione vulgata: Nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus, duces, iudices, tyrannos, optimates et praefectos et omnes principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuae; tum v. 12: Sunt ergo viri Iudaei, quos constituisti super opera regionis Babyloniae. Conferantur quae luculentius ex aliorum prophetarum comparatione Leonh. Bertholdt in opere: Daniel nach d. Hebräisch - Aramäischen neu übersetzt und erläutert mit histor. Excursen. Erlang. 2 vol. 1806 — 8. De Babyloniorum magistratibus in excursu secundo prae ceteris commentatus est.

liticae accedit cultura, facilius talium magistratuum institutionem nos suspicari iubet. Et re vera in Phoenicum quoque urbibus auctoritatem publicam ita divisam esse cognovimus, ut reges militarem [13]) et summas res in civili atque iudiciali potestate, sacerdotes res sacras, et *οἱ ἐν τέλει* reliqua civilis atque iudicialis potestatis curarent munera. Sed ut haec opinio magis etiam firmetur, Arrianus [14]) ex Alexandri aetate unum testimonium affert, ubi Tyri oppugnatae occasione summos magistratus iuxta regem muneribus functos civilibus adnotavit: inde concludi liceat, in omnibus Phoenicum foederis urbibus, sicuti Tyri, eandem auctoritatis publicae tum temporis exstitisse constitutionem. Praeterea non iniustum est, clarissimae Phoenicum coloniae Carthaginis instituta civilia accuratius considerare, quae e naturali coniunctione cum metropoli Tyro composita esse nemo negabit, etsi maior Carthaginis potentia, mox super Phoenices elata, potestatis divisionem inter plures magistratus postulabat. Persaepe quidem internam Carthaginiensium administrationem

---

13) Nam auxiliares naves in Persarum classe a singulis urbium regibus ducuntur; Arrianus de expedit. Alex. II. c. 13: *αὐτὸς δὲ ἐπὶ Φοινίκης ᾔει, καὶ ἀπαντᾷ αὐτῷ κατὰ τὴν ὁδὸν Στράτων ὁ Γηροστράτου παῖς, τοῦ Ἀραδίων τε καὶ τῶν Ἀράδῳ προςοίκων βασιλέως· ὁ δὲ Γηροστράτος αὐτὸς μετ' Αὐτοφραδάτου* (satrapae Persici) *ἔπλει ἐπὶ τῶν νεῶν, καὶ οἱ ἄλλοι οἵ τε τῶν Φοινίκων καὶ οἱ τῶν Κυπρίων βασιλεῖς καὶ αὐτοὶ Αὐτοφραδάτῃ ξυνέπλεον.* ibid. c. 15. *καὶ γὰρ ἦσαν τῶν ἐπιφανῶν ἐν Τύρῳ οἵ τε ἄλλοι, καὶ ὁ τοῦ βασιλέως τῶν Τυρίων παῖς· αὐτὸς δὲ ὁ βασιλεὺς Ἀζέμιλκος μετ' Αὐτοφραδάτου ἔπλει.* Conferantur e Xerxis primi tempore Herodot. VII. c. 96 et 98; Diodor. Sicul. XI. c. 3. edit. Bpt. vol IV. p. 84.

14) De expedit. Alex. II. c. 24: *ἦσαν δὲ αὐτῶν τε τῶν Τυρίων οἱ μάλιστα ἐν τέλει καὶ ὁ βασιλεὺς Ἀζέμιλκος· καὶ Καρχηδονίων τινὲς θεωροὶ ἐς τιμὴν τοῦ Ἡρακλέος, κατὰ δή τι νόμιμον παλαιόν, εἰς τὴν μητρόπολιν ἀφικόμενοι.* Neque autem cum viro clar. Chr. Dan. Beckio, Allgem. Welt- u. Völkergesch. vol. I.

tractaverunt antiquarii, quod pleraque de ea a Graecis Latinisve relata non facile inter se coaequari poterant, idcirco maiore contentione ad novas perscrutationes exhortabantur; sic et novissime apud nos Fr. Guil. Klugius [15]) copiosam et bene eruditam commentationem de hac republica conscripsit. Nihilominus haec administratio obscuritatis speciem non plane omisit, quum alii antiquorum scriptorum permutationes non severe examinantes proprios magistratus e Livio, Cornelio Nepote atque Justino, proprios ex Aristotele, Polybio ac Appiano describerent, neque quaererent, num quid discriminis inter suffetem et praetorem et regem Carthaginis re vera esset, an varia unius magistratus nomina censeri deberent: alii autem magis ingenii acumini quam fontium inopiae parentes, suis hypothesibus atque vagis combinationibus, inter res bene compertas mixtis, cognitionem historicam onerarent atque perturbarent. At huius operis consilium mihi non permittit, ut omnia, quae in illis non recte conscripta esse putem, detegam, neque minus equidem totam Carthaginis administrationem pertractare coner, sed perpaucas modo observationes de huius rei publicae potestate civili addere in animo est. Iam Aristoteles [16]) Car-

---

edit. secund. p. 592, sentio, qui et *οἱ ἐπιφανεῖς* ex Arrian. II. c. 15. magistratibus adsociare conatur; nam illi sine dubitatione sunt urbis optimates.

15) Aristoteles de politia Carthaginiensium textum critice recognovit, commentatione historica illustravit et novas quaestiones de Poenorum reipublicae forma instituit F. G. Kluge. Accedit Theodori Metochitae descriptio rei publicae Carth. c. animadvers. Vratislav. 1824. 8vo. Quae vero Ubbo Emmius de Carthaginis republica in: Graecorum respublicae Lgd. Bat. Elzev. 1632. 12mo. vol. II. p. 1—54 compilavit, plane nihil valent. Conf. Heeren. Ideen, tom. II. p. 1. vel oper. t. XIII. edit. 1826.

16) Politic. II. c 8.

Carthaginis instituta politica comparavit cum Lacedaemoniis ac Cretensibus, quibus Polybius [17]) etiam Romanos adiungit, neque immerito, praesertim si Romanorum antiquitatem respicimus: nam illae respublicae iudicialem et civilem auctoritatem coniunctam uni vel duobus summis magistratibus contulerunt, qui vulgo res quoque externas et militares administrandas habuerunt [18]), interdum in terras remotas, ne quid damni absentibus civitatis principibus res internae caperent, alios exercitus duces miserunt [19]).

Carthagine hoc summo imperio functi sunt duo Suffetes, quibus proximi pontifex maximus res sacras [20]), exercitus duces res militares [21]) et quinque-

17) lib. VI. c. 51 et 52.

18) De Carthagine Diodor. Sicul. XIII. c. 45; XIV. c. 54 et 55; XV. c. 15 et 16. Brevissimum modo exemplum e Iustino XXII. c. 7 inserere volo: „Hoc certaminis discrimine tanta desperatio illata Poenis est, ut nisi in exercitu Agathoclis orta seditio fuisset, transiturus ad eum Bomilcar, rex Poenorum, cum exercitu fuerit."

19) Aristotel. loc. cit.: *„αἱροῦνται γὰρ εἰς δύο ταῦτα βλέποντες* — nempe virtutem et divitias — *καὶ μάλιστα τὰς μεγίστας, τούς τε βασιλεῖς καὶ τοὺς στρατηγούς."* Conferas et Iustin. XXII. c. 2 et Hamilcaris, Hasdrubalis Hannibalisque expeditiones. Praeterea conferas Göttlingii excursus de Carthaginiensium administratione politica in sua editione Aristot. Polit. in quibus copiosius de his rebus disseruit, etsi saepe non ita diligenter, ut quemque auctorem historicum ad suam sententiam adtraheret: sed non huius operis est, largius contra eum disputare exemplis.

20) Haud dubie Phoenicum dei summi sacerdos, Herculis (Harockel), ad quem in metropoli solemniter colendum adhuc Alexandri magni aetate publicos legatos Tyrum miserunt Carthaginienses Arrian. de expedit. Al. II. c. 24. v. supra not. 14. ad hoc. c. allat., Carthagine quoque institutus erat. Tyri quidem Herculis sacerdos honos secundus a rega erat, Iustin. XVIII. cap. 4.

21) His et *βοήθαρχος*, qui copiarum auxiliarium procurationem habuit, adsociari debet, neque quinqueviris, sicuti Klu-

viri munera civilia ac iudicialia curaverunt. Praeterea quod ad res externas et militares pertinet, Suffetas in universum adiuvit Seniorum consilium [22]), quos Aristoteles loc. cit. *οἱ γέροντες* et *ἡ γερουσία*, Polybius [23]) *τὸ γερόντιον* nominat; quod ad administrationem internam suffetis et quinqueviris centum quatuor virorum collegium, a Graecis *ἡ σύγκλητος*, a Romanis senatus vocatum, affuit, ita tamen, ut centum quatuor viri non solum consulendi, sed etiam summa omnes magistratus puniendi auctoritate [24]) uterentur; unde eorum vis ad statum quoque externum affluens derivari potest. Quinquevirorum vero vel *τῶν πενταρχίων* [25]) duo fuerunt classes ex vere egregia Huellmangius in opere supra laudato p. 140 proponit, simulque iis Herculis sacerdotem non iuste adnumerat.

22) Livius XXX. c. 16. Itaque Diodor. XX. c. 10: „*ἡ γερουσία τοὺς μὲν ναυάρχας ἅπαντας κατεμέμψατο ..... στρατηγοὺς δὲ ἀπέδειξε τῶν δυνάμεων Ἄννωνα καὶ Βομίλκαν.*" e. q. s.

23) lib. VI. c. 51.

24) Liv. XXXIII. c. 47. „Tandem pervicerunt, ut legati Carthaginem mitterentur, qui apud senatum eorum arguerent, Hannibalem cum Antiocho rege consilia belli faciendi inire." Ad hanc potestatis partem Iustini quoque locus adtrahi debet XIX. c. 2, ubi mala quidem permutatione de delectu centum virorum ex senatu facto pro toto senatu, hunc membrorum numerum continenti, loquitur. Verba sunt: „centum ex numero senatorum iudices deliguntur, qui reversis a bello ducibus, rationem rerum gestarum exigerent, ut hoc metu ita in bello imperia cogitarent, ut domi iudicia legesque respicerent."

25) Aristotel. Politic. II. c. 8: „*τὸ δὲ τὰς πενταρχίας, κυρίας οὔσας πολλῶν καὶ μεγάλων, ὑφ' αὑτῶν αἱρετὰς εἶναι* — quia centum quatuor viros eligunt, rursusque ab iis eliguntur — *καὶ τὴν τῶν ἑκατὸν ταύτας αἱρεῖσθαι τὴν μεγίστην ἀρχήν. ἔτι δὲ ταύτας πλείονα ἄρχειν χρόνον τῶν ἄλλων· καὶ γὰρ ἐξεληλυθότες ἄρχουσι καὶ μένοντες..... ἀμίσθους καὶ μὴ κληρωτάς.* e. q. s. Coniecturam *μένοντες* pro vulgata *μέλλοντες* approbavi.

ni [26]) interpretatione, qua Aristotelis locum, in nota antecedenti exſcriptum, illustravit: quarum classium altera in urbe civium commodis inserviit, altera vel oppidorum vicinorum vel Maurorum subiectorum statum procuravit. Quantum autem de singulis quinquevirorum officiis investigare licet, urbanos omnibus curis, quae ad agriculturam, ad commercium et navigationem, ad annonam, ad officinas et alia eiusmodi pertinerent, praefuiſſe coniectamus [27]), certo omnes de quibuscunque rebus sive civilibus sive criminibus iudicia exercuisse [28]), singulos vero uno eodemque tempore plura administrasse munera [29]), eorumque unum in primis morum praefecturam habuisse [30]) relatum accipimus. Ob hanc autem potestatem iudicialem quinqueviros urbanos Livius [31]) iudices nominat, qua de re Huell-

---

26) Staatsrecht des Alterthums, Bonn 1818, ubi paucis foliis p. 200 — 13. Carthaginis constitutionis adumbrationem brevem nobis praebens, multo plura quam ceteri antiquarii praestitit in perscrutanda veritate, etsi ex suo proposito materiem non plane exhausit. De quinqueviris dictum est p. 207; quibuscum conferas Schneideri disputationem ad Aristotel. Polit. edit. vol. II. p. 145 — 49.

27) Cf. Klugius l. c. p. 139 — 41.

28) Aristotel. loc. cit.: „καὶ τὸ τὰς δίκας ὑπὸ τῶν ἀρχείων δικάζεσθαι πάσας, καὶ μὴ ἄλλας ὑπ᾽ ἄλλων, καθάπερ ἐν Λακεδαίμονι."

29) Ibid.: „φαῦλον δ᾽ ἂν δόξειεν εἶναι καὶ τὸ πλείους ἀρχὰς τὸν αὐτὸν ἄρχειν· ὅπερ εὐδοκιμεῖ παρὰ τοῖς Καρχηδονίοις."

30) Cornel. Nep. Hamilcar. c. 3: „Erat praeterea cum eo adolescens illustris, formosus Hasdrubal: quem nonnulli diligi turpius, quam par erat, ab Hamilcare loquebantur: non enim maledici tanto viro deesse poterant, quo factum est, ut a praefecto morum Hasdrubal cum eo vetaretur esse."

31) Lib. XXXIII. c. 46: „Iudicum ordo Carthagine ea tempestate dominabatur; eo maxime quod iidem perpetui iudices erant. Res, fama vitaque omnium in illorum potestate

manni sententiam inire non possum, si sub iudicum ordine Romanum auctorem centum quatuor viros vel senatum significasse censet, nullo alio argumento fretus, quam quod senatui summa potestas iudicialis oblata esset: at Livii caput proximum neglexit, ubi ille disertis verbis senatum Carthaginiensium a iudicibus distinxit, nullamque dubitationem nobis reliquit, quin senatus omnino diversus sit a iudicibus. Quoniam in capitis quadragesimi sexti initio Livius iudicum vim potentissimam describens, propria quinquevirorum officia, opes famamque et vitam iudicantia attingit, deinde ex Aristotele [32]) cum Livio in hoc loco consentiente, longinquior huius magistratus cursus nobis notus est [33]), denique Livius nullo alio loco, quamvis ceteros magistratus sparsim percensuit, quinquevirorum mentionem fecit: certe verum est, Livium iudices permutasse cum quinqueviris, et magistratum non a numero, sed potius ab iudicandi officio apud eum esse denominatum. Quodsi quis ordinis vocabulo in tam parvo quinquevirorum numero adhibito offensum se putet, meam coniecturam Gesneri auctoritate excusare possim, qui in thesauro linguae latinae consulum quoque ordinem dici posse contendit; quamquam negare non ausim, hac voce quasdam dubitationes mihi interdum occurrisse, utrum ob hanc et incer-

---

erat: qui unum eius ordinis, idem omnes adversos habebat; nec accusator apud iudices infensos deerat."

32) Loc. cit.: „ἔτι δὲ ταύτας (nempe τὰς πενταρχίας) πλείονα ἄρχειν χρόνον τῶν ἄλλων."

33) Livius quidem loc. cit. iudicum potestatem perpetuam fuisse dicit, sed tantum ex abusu bellorum gratia in civitatem immigrato, quod verbis „ea tempestate ordo dominabatur" et mox sequentibus „horum in tam impotenti regno" et legis formula ipsa „ne quis iudex biennium continuum esset" (biennium fortasse tempus adsuetum erat) iam satis contra regulam fuisse significat.

tum τῶν πενταρχιῶν numerum in Aristotele plures urbanorum quinquevirorum classes accipiam, an naturali explicationi fidus maneam; rerum tamen consensus in unius classis comprobatione me retinet, quum insuper Livius [34]) illos quaestores iudicum ordini adiunxisse videtur, saltem ergo decem viros reputaverit.

Deinde quinqueviri extranei, qui ex mea opinione quaestoribus, a Livio [35]) adnotatis, pares sunt, imperia gesserunt in provinciis, itaque maxime tributis iuste exigendis consuluerunt, unde Romanus mutuato nomine eos quaestores nuncupaverit. Qua in re rursus Carthaginiensium constitutio accedit ad Romanam; nam sicuti apud hos iuvenis excellens per quaesturam, aedilitatem curulem ad praeturam et consulatum progrediebatur, sic Carthagine ex quinqueviris extraneis in urbanos efferebantur [36]); atque posteriore tempore lex ab Hannibale in suffetis dignitate prolata, a populo firmata, sanciebat, ut quinqueviratus per unum modo annum duraret [37]), quod tamen ita intelligi oportet, ut

---

34) Loc. cit.: „Horum in tam impotenti regno, neque enim civiliter nimiis opibus utebantur, praetor factus Hannibal vocare ad se quaestorem. Idem pro nihilo habuit; nam et adversae factionis erat, et quia ex quaestura in iudices, potentissimum ordinem, referebantur, iam pro futuris mox opibus animos gerebat. Enimvero indignum id ratus Hannibal, viatorem ad prehendendum quaestorem misit: subductumque in concionem, non ipsum magis, quam ordinem iudicum, prae quorum superbia atque opibus nec leges quidquam essent, nec magistratus, accusavit."

35) Loc. in not. antecedenti exscriptus est.

36) Liv. loc. c.: „quia ex quaestura in iudices referebantur."

37) Ibid.: „ut in singulos annos iudices legerentur, ne quis iudex biennium continuum esset."

uterque quinqueviratus coniunctus biennium expleret, primum annum in provinciis, secundum Carthagine. Sed ut haec tota adumbratio magis firmetur, atque prorsus erroris periculum effugiat, argumenta e Livio praebita cum Aristotelis prioribus verbis conferre volumus, quo his multum adhuc clarioris lucis afferatur. Nam quid quod Aristotelis „πενταρχίαι ἐξεληλυθότες ἄρχουσι καὶ μένοντες aliud ostendunt, quam, si primo loco dictorum consecutionem accurate observes, ut quinqueviri primum annum sive longius tempus urbem egressi magistratus gerant, tum maiore munere ornati in urbe imperent [58]). — At in rebus gravissimis et supra leges excedentibus quinquevirorum potestas semper recurrebat ad senatum centum quatuor virorum, sicuti Romae in usu erat in omnibus officiis maioribus.

Ne tamen diutius in comparatione remotiore versemur, ad huius disquisitionis finem celerius properare, atque tantummodo quaedam verba de Aegyptiis facere volumus. Ante omnia monendum erit, ne tempora fortunasque huius regni permutemus; nam usque ad Ptolemaeorum aetatem vitae politicae cultura sola ex se pependit, et ad interiorem huius populi constitutionis naturam fere immobilis perstitit, neque sub Persarum imperio aliquid in gravioribus institutis omisit, quia Aegyptus proprium regnum, sicuti sub Ptolemaeis, non factum est, sed Persici imperii statu florentissimo Cambysis furorem ob perbreve eius regimen non aegre perpetiens, Darii Xerxisque conatus in religionem depellens, sub provinciae forma omnes mores veteres atque sanctos reservare, et contra posteriora pericula impo-

---

58) Tali modo coniectura μένοντες pro μέλλοντες penitus comprobata esse videtur, et vir aestum. Huellmannus, ut spero, hoc novum opinionis suae prioris subsidium non invitus accipiet, alteramque Livii interpretationem p. 209 cedet.

tentiora tueri potuit. Apud hunc populum potestas civilis cum sacerdotali atque iudiciali arctissime coniuncta uni sacerdotum ordini ita demandata erat, ut etiam rex, qui ipse e sacerdotum vel militum ordine creabatur [39]), fere ubique legibus sacris vinctus, imo etiam post mortem iudicium veritus, nil nisi summi numinis sacerdotumque nomine egisse videatur [40]); quam ob rem regi, e militibus electo, non licuit, sine sacrorum scientia gerere gubernaculum [41]). Itaque omnes magi-

---

59) Plutarch. de Isid. et Osirid. oper. omn. edit. Xylandr. Frcf. sec. II. p. 354: „οἱ δὲ βασιλεῖς ἀπεδείκνυντο μὲν ἐκ τῶν ἱερέων ἢ τῶν μαχίμων, τοῦ μὲν δι' ἀνδρίαν, τοῦ δὲ διὰ σοφίαν γένους ἀξίωμα καὶ τιμὴν ἔχοντος"

40) Diodor. Sic. I. c. 70. edit. Bipont. I. p. 208: „Πρῶτον μὲν τοίνυν οἱ βασιλεῖς αὐτῶν βίον εἶχον οὐχ ὅμοιον τοῖς ἄλλοις τοῖς ἐν μοναρχικαῖς ἐξουσίαις οὖσι, καὶ πάντα πράττουσι κατὰ τὴν ἑαυτῶν προαίρεσιν ἀνυπευθύνως, ἀλλ' ἦν ἅπαντα τεταγμένα νόμων ἐπιταγαῖς, οὐ μόνον τὰ περὶ τοὺς χρηματισμούς, ἀλλὰ καὶ τὰ περὶ τὴν καθ' ἡμέραν διαγωγὴν καὶ δίαιταν· περὶ μὲν γὰρ τὴν θεραπείαν αὐτῶν οὐδεὶς ἦν οὔτ' ἀργυρώνητος οὔτε οἰκογενὴς δοῦλος, ἀλλὰ τῶν ἐπιφανεστάτων ἱερέων υἱοὶ πάντες, ὑπὲρ εἴκοσι μὲν ἔτη γεγονότες, πεπαιδευμένοι δὲ κάλλιστα τῶν ὁμοεθνῶν· ἵνα τοὺς ἐπιμελησομένους τοῦ σώματος καὶ πᾶσαν ἡμέραν καὶ νύκτα προσεδρεύοντας ὁ βασιλεὺς ἔχων ἀρίστους, μηδὲν ἐπιτηδεύῃ φαῦλον·" e. q. s. et totum caput sequens; de iudicio post obitum regis instituto v. cap. 72. Diodorum Siculum hic prae ceteris sequor et cito, quod plurima de administratione interna coniunctim retulit, et quae ad sacerdotum mendacia hyperbolice conscripta non immerito censeantur, a me in medium proferri non debent. Quantum vero magniloqua Champollionii iunioris iudicia de Pharaonum tabulariis, quindecim vel etiam viginti secula ante Christum natum conditis, nunc Augustam Taurinorum translatis, in quibus ipse omnia enucleare posse sperat, has antiquitates illustrabunt, posteriori tempori quidquam dubitantes relinquere debemus.

41) Platon. Politic. opera omn. edit. Stephan. II. p. 290: „ὥστε περὶ μὲν Αἴγυπτον οὐδ' ἔξεστι βασιλέα χωρὶς ἱερατικῆς ἀρ-

stratus, militum tantummodo ducibus exceptis, e sacerdotibus, his quidem rursus in plures classes divisis, eligerentur necesse erat, quod Diodorus Siculus [42]) in universum testari non abnuit, quanquam idem auctor nomarchos i. e. summos Aegypti partibus praefectos, penes quos rerum omnium administratio et cura fuit [43]), et triginta iudicum collegium cum uno praeside archidicasta [44]) non disertis verbis sacerdotibus adsociat, et Herodotus [45]) urbis curatores — *τοὺς ἐπιτρόπους τῆς Μέμφιδος* — a sacerdotibus distinguere videtur. Sed quum nullus ordo medius inter reges et sacerdotes adnotatur, porro de sacerdotibus ipsis, secundum a rege locum tam in honoribus quam in potestate obtinuisse,

---

χειν. Plutarch. loc. citat.: „*ὁ δὲ ἐκ μαχίμων ἀποδεδειγμένος, εὐθὺς ἐγίνετο τῶν ἱερέων καὶ μετεῖχε τῆς φιλοσοφίας*" e. q. s.

42) I. cap. 73: „*καθόλου γὰρ περὶ τῶν μεγίστων οὗτοι (οἱ ἱερεῖς) προβουλευόμενοι συνδιατρίβουσι τῷ βασιλεῖ, τῶν μὲν συνεργοί, τῶν δὲ εἰςηγηταὶ καὶ διδάσκαλοι γινόμενοι.*" — Strabon. Geograph. XVII. cap. 1. edit. Tchntz III p. 416: „*οἱ δ' ἱερεῖς καὶ φιλοσοφίαν ἤσκουν, καὶ ἀστρονομίαν, ὁμιληταί τε τῶν βασιλέων ἦσαν.*"

45) Diod. Sic. I. c. 73 init.: „*Τῆς Αἰγύπτου δὲ πάσης εἰς πλείω μέρη διῃρημένης, ἐφ' ἑκάστῳ τέτακται νομάρχης, ὁ τὴν ἁπάντων ἔχων ἐπιμέλειάν τε καὶ φροντίδα.*"

44) Ibid. c. 75: „*διόπερ ἐκ τῶν ἐπιφανεστάτων πόλεων τοὺς ἀρίστους ἄνδρας ἀποδεικνῦντες δικαστὰς κοινούς, οὐκ ἀπετύγχανον τῆς προαιρέσεως. ἐξ Ἡλιουπόλεως γὰρ καὶ Θηβῶν καὶ Μέμφεως δέκα δικαστὰς ἐξ ἑκάστης προέκρινον...... ἐπεὶ δὲ συνέλθοιεν οἱ τριάκοντα, ἐπέκρινον ἐξ ἑαυτῶν ἕνα τὸν ἄριστον, καὶ τοῦτον μὲν ἀρχιδικαστὴν καθίσταντο.*" De iudicibus tamen Aelianus certum testimonium affert in Var. histor. XIV. cap. 34: „*Δικασταὶ δὲ τὸ ἀρχαῖον παρ' Αἰγυπτίοις οἱ ἱερεῖς ἦσαν. ἦν δὲ τούτων ἄρχων ὁ πρεσβύτατος, καὶ ἐδίκαζεν ἅπαντας.*"

45) Lib. III. c. 27: „*ὁ Καμβύσης...... ἐκάλεε τοὺς ἐπιτρόπους....... καὶ ὡς ψευδομένους θανάτῳ ἐζημίου. Ἀποκτείνας δὲ τούτους, δεύτερα τοὺς ἱρέας ἐκάλεε ἐς ὄψιν.*"

a Diodoro narratur [46]); ceteris vero ordinibus aliud munus vel ordinem, nisi a legibus definitum et a parentibus traditum suscipere non licuit [47]), deinde Diodorus triginta iudices denos e tribus urbibus Heliopoli, Thebis et Memphide, ubi sacerdotum collegia fuerunt principalia, adlectos esse dicit; Herodoti tandem locus bene explicatur, si inter plures sacerdotalis ordinis classes *τοὺς ἱερέας* res tantum sacras facientes ab auctore nuncupatos esse accipias: veritati haud absimile est, nomarchos quoque ac iudices recensere inter sacerdotes. Eadem ratione vulgaria quoque aedilitatis munera, quod de aedium sacrarum cura sine ullo testimonio per se intelligitur, in sacerdotum manibus posita esse reperimus: nam primo omnium ordinum censum agebant et procurabant, ut iidem in vitae genere constituto accurate permanerent [48]), et tabulariis publicis regumque annalibus praesidebant, ut eorum prae-

46) Loc. cit. c. 73: „*εἰσὶ δὲ οὗτοι πάντων τε ἀτελεῖς, καὶ δευτερεύοντες μετὰ τὸν βασιλέα ταῖς τε δόξαις καὶ ταῖς ἐξουσίαις.*"

47) Ibid. c. 74: „*παρὰ μόνοις γὰρ τούτοις οἱ δημιουργοὶ πάντες οὔτ' ἐργασίας ἄλλης, οὔτε πολιτικῆς τάξεως μεταλαμβάνειν ἐῶνται, πλὴν τῆς ἐκ τῶν νόμων ὡρισμένης καὶ παρὰ τῶν γονέων παραδεδομένης.*" et mox infra: „*τὴν μὲν οὖν διαίρεσιν τῆς πολιτείας, καὶ τὴν τῆς ἰδίας τάξεως ἐπιμέλειαν διὰ προγόνων τοιαύτην ἔσχον οἱ τὸ παλαιὸν τὴν Αἴγυπτον κατοικοῦντες.*"

48) Diodor. I c. 77: „*Προσετέτακτο δὲ καὶ πᾶσι τοῖς Αἰγυπτίοις ἀπογράφεσθαι πρὸς τοὺς ἄρχοντας, ἀπὸ τίνων ἕκαστος πορίζεται τὸν βίον. καὶ τὸν ἐν τούτοις ψευσάμενον, ἢ πόρον ἄδικον ἐπιτελοῦντα, θανάτῳ περιπίπτειν ἦν ἀναγκαῖον.* Herodotus II. c. 177 huius officii institutionem ad Amasidis aetatem transfert: „*νόμον τε Αἰγυπτίοισι τόνδε Ἄμασίς ἐστι ὁ καταστήσας· ἀποδεικνύναι ἔτεος ἑκάστου τῷ νομάρχῃ πάντα τινὰ Αἰγυπτίων, ὅθεν βιοῦται· μηδὲ ποιεῦντα ταῦτα, μηδὲ ἀποφαίνοντα δικαίην ζόην, ἰθύνεσθαι θανάτῳ.*" Et uterque auctor Solonem hanc curam ex Aegyptiis mutuatum Athenas transtulisse enarrat, contra quos Plutarchus in Solone aliique eandem legislatori Draconi vindicant.

lectione apta regis vitam ac consilia moderari possent [49]); tum monetae cudendae, ponderum atque mensurarum stricte observandorum [50]), foenoris prohibendi et totius mercaturae curam habebant [51]), nec minus in eos, qui haec falsarent, animadvertebant; deinde eos, qui sigilla transculperent, scribas qui tabulas falsas componerent, aut de relatis in tabulas publicas quidpiam demerent, aut syngraphas ementitas afferrent, in iudicium vocabant [52]); deinde honestati publicae ex utriusque sexus ratione consulebant [53]), et medicos qui ad artificum pertinebant ordinem [54]), et funera [55]) custodiebant; denique agriculturam consiliis geometricis ac

---

49) Hi sacerdotes ἱερογραμματεῖς appellabantur; Diodor. Sic. I. cap. 70: „Μετὰ δὲ ταῦτα τοῦ βασιλέως...... ὁ μὲν ἱερογραμματεὺς παρανεγίνωσκε τινὰς συμβουλίας καὶ πράξεις συμφερούσας ἐκ τῶν ἱερῶν βίβλων, τῶν ἐπιφανεστάτων ἀνδρῶν· ὅπως ὁ τῶν ὅλων τὴν ἡγεμονίαν ἔχων, τὰς καλλίστας προαιρέσεις τῇ διανοίᾳ θεωρήσας, οὕτω πρὸς τὴν τεταγμένην τῶν κατὰ μέρος τρέπηται διοίκησιν;" eadem cap. 73: „ἐκ δὲ τῶν ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις ἀναγεγραμμένων πράξεων τὰς ὠφελῆσαι δυναμένας παραναγινώσκοντες." De sacerdote a sacris libellis et de annalibus Aegyptiorum cf., quae mira doctrina Drumannus in historisch-antiquarischen Untersuchungen zur Inschrift von Rosette, Regiom. 1825, p. 122—131 disseruit.

50) Diod. Sic. I: „Τῶν δὲ νόμισμα παρακοπτόντων, ἢ μέτρα καὶ στάθμα παραποιούντων, ἢ τῶν παραγλυφόντων τὰς σφραγῖδας, ἔτι δὲ τῶν γραμματέων τῶν ψευδεῖς χρηματισμοὺς γραφόντων, ἢ ἀφαιρούντων τι τῶν ἐγγεγραμμένων, καὶ τῶν τὰς ψευδεῖς συγγραφὰς ἐπιφερόντων, ἀμφοτέρας ἐκέλευσεν ἀποκόπτεσθαι τὰς χεῖρας" (nempe ὁ νόμος).

51) De mercatura, usuris et foenore cf. ibid. totum cap. 79.

52) Vide not. 50 h. cap. De his curis locos notiores collegerunt et Goguetius de l'origine des loix edit. Par. 1758. 8vo vol. I. p. 96—124. et Mannertus Alte Geographie vol. X. p. I. 1825. Aegypt. contin. p. 290—314.

53) Diod. I. c. 78: „Πικροὶ δὲ καὶ περὶ τῶν γυναικῶν νόμοι παρ' αὐτοῖς ὑπῆρχον· τοῦ μὲν γὰρ βιασαμένου γυναῖκα ἐλευθέραν προσέταξαν ἀποκόπτεσθαι τὰ αἰδοῖα" e. q. s.

astronomicis nec non canalium apte condendorum institutione tuebantur [56]). At Ptolemaeorum regimine Macedonum Graecorumque administratio politica certo permulta in interiore Aegypti statu novavit, sacerdotibusque auctoritatem in rebus civilibus eripuit, quamquam ritus religiofos reges, ut populo parcerent et sibi maiorem honorem adsumerent, more sólito coli permiserunt, et, Ptolemaeo quarto excepto, plane integros servare iusserunt. Provincias quidem alienigenae cum Ptolemaeis immigrati eorumque posteri vulgariter administrabant, sub Romanis magistratus a Roma missi procurabant; sed in urbibus quatuor magistratus domestici gravioribus officiis fungebantur, nempe exegetes, veste purpurata indutus antiquisque honoribus patriis ornatus, superiori administrationi civili praeerat, hypomnematographus ab epistolis publicis erat [57]), ter-

---

54) Ibid. cap. 82: „οἱ γὰρ ἰατροὶ τὰς μὲν τροφὰς ἐκ τοῦ κοινοῦ λαμβάνουσι, τὰς δὲ θεραπείας προςάγουσι κατὰ νόμον ἔγγραφον, ἀπὸ πολλῶν καὶ δεδοξασμένων ἰατρῶν ἀρχαίων συγγεγραμμένον. κἂν τοῖς ἐκ τῆς ἱερᾶς βίβλου νόμοις ἀναγινωσκομένοις ἀκολουθήσαντες ἀδυνατήσωσι σῶσαι τὸν κάμνοντα, ἀθῶοι παντὸς ἐγκλήματος ἀπολύονται. ἐὰν δέ παρά τὰ γεγραμμένα ποιήσωσι, θανάτου κρίσιν ὑπομένουσιν. ἡγουμένου τοῦ νομοθέτου τῆς ἐκ πολλῶν χρόνων παρατετηρημένης θεραπείας καὶ συντεταγμένης ὑπὸ τῶν ἀρίστων τεχνιτῶν ὀλίγους ἂν γενέσθαι συνετωτέρους." Cf. Herodot. II. cap. 84.

55) Copiose ritus in funeribus exsequendos tum Herodot. II. cap. 85—90, tum Diodor. I. cap. 91—92 praebent.

56) Diodor. I. cap. 81: „Παιδεύουσι δὲ τοὺς υἱοὺς οἱ μὲν ἱερεῖς γράμματα διττά, τά τε ἱερὰ καλούμενα καὶ τὰ κοινοτέραν ἔχοντα τὴν μάθησιν· γεωμετρίαν δὲ καὶ τὴν ἀριθμητικὴν ἐπὶ πλεῖον ἐκπονοῦσιν· ὁ μὲν γὰρ ποταμός, κατ' ἐνιαυτὸν ποικίλως μετασχηματίζων τὴν χώραν, πολλὰς καὶ παντοίας ἀμφισβητήσεις ποιεῖ περὶ τῶν ὅρων τοῖς γειτνιῶσι· ταύτας δ' οὐ ῥᾴδιον ἀκριβῶς ἐξελέγξαι, μὴ γεωμέτρου τὴν ἀλήθειαν ἐκ τῆς ἐμπειρίας μεθοδεύσαντος." e. q. s.

57) Polyb. XV. cap. 27: „τῷ πρὸς τοῖς γράμμασι τεταγμένῳ", qui ex hoc loco etiam inquirentis officium interdum tractavit, itaque plane ad urbium syndicos nostrae aetatis accedit.

tius, qui archidicastae nomen servavit, iudicia, atque quartus custodiam nocturnam curabat: quorum munera et sub Romanorum ditione [58]) in usu permanebant.

---

58) Strabonis locus XVII. cap. 1. edit. Tchntz III. pag. 432 hanc optatam descriptionem ex Augusti temporibus nobis largitur: „*Τῶν δ' ἐπιχωρίων ἀρχόντων κατὰ πόλεις μὲν ὅ,τε ἐξηγητής ἐστι πορφύραν ἀμπεχόμενος, καὶ ἔχων πατρίους τιμὰς καὶ ἐπιμέλειαν τῶν τῇ πόλει χρησίμων· καὶ ὁ ὑπομνηματογράφος, καὶ ἀρχιδικαστής· τέταρτος δὲ ὁ νυκτέρινος στρατηγός*": neque adnotationem obliviscitur „*ἦσαν δ' οὖν καὶ ἐπὶ τῶν βασιλέων* — nempe sub Ptolemaeis — *αὗται αἱ ἀρχαί.*"

CAP. III.

DE ARCHONTE REGE, AGORANOMIS, ASTYNOMIS SIMILIBUSQUE GRAECORUM MAGISTRATIBUS, INPRIMIS APUD ATHENIENSES.

Multo quidem largius huic disquisitioni fluunt fontes, si eam comparamus cum priore: at quantum desideratur adhuc in notissima Graecorum civitate, Atheniensium, si pleniorem ullius generis magistratus commentationem componere aggredimur! Quod vere eodem animo senserunt viri egregii, qui ex seculo decimo sexto ad Graecorum antiquitates civiles perscrutandas clariusque exponendas studia sua direxerunt: inter quos prae ceteris Sigonius et Meursius ex antiquioribus ob magnam, etsi rudem ac incompositam, doctrinae copiam, ex recentioribus A. Boeckhius, Eduardus Meierus atque Fridericus Schoemannus [1]), primum locum in hac litterarum provincia occupantes, nominentur. Quam vero magnum fructum ex horum operibus Graecorum vitae politicae cognitio perceperit, modestum

1) Quibuscum reliqui quoque auctores, qui duabus illis Berolinensis scientiarum Academiae quaestionibus notis commoti, ex Graecis antiquitatibus potestatem et politicam et iudicialem describendam litteris mandarunt, commemorationem valde honorificam merentur Fr. Tittmannus, Ed. Platnerus et Aug. Heffterus, quorum opera nunc in omnium peritorum manibus tenentur.

tamen desiderium reprimere nolimus, ut illis viris placuisset, etiam magis respicere ad diversissima temporum intervalla et fontium differentem auctoritatem atque aetatem, ne interdum rei summa, ex quatuor vel quinque seculorum notitiis comparata, quasi solide explorata frustra gaudeamus; quod exempli gratia in Atheniensium frequentiae computatione et nimiae magistratuum copiae enumeratione, tanquam cuncti in una civitate simul quodam munere functi essent, non dubitandum est. Libenter quidem fatemur, hanc efflagitationem omnino esse difficillimam, et re ipsa illos auctores recentiores persaepe prorsus nostris satisfecisse votis; sed id modo monemus, ne critices immemores simus, coniecturasque veras censeamus atque certas, quae non severe compositae argumentis firmis careant. Cur vero haec nos praemittere necessarium putemus, ex hac disquisitione ipsa colligitur, quod post Boeckhium atque Meierum, viros tam excellentes, qui plurimis huius Antiquitatum Graecarum provinciae rebus viam nobis munierunt, eiusdem materiae quandam partem illustrare conamur, et in his quidem prolegomenis ad Romanorum Aedilium historiam; petimusque igitur a lectoribus benevolis, ut, quae ex illorum libris repetimus, ob necessariam rei coniunctionem addita accipiant, quae nova proponimus, iusto examini subiiciant.

In plerisque civitatibus Graecis, quas integriores cognovimus, auctoritatem publicam fere ubique quadripartitam videmus, iudicialem et militarem maxima ex parte separatam a sacerdotali, hanc autem in quibusdam officiis cum civili sociatam, eademque ratione ac saepius quoque civilem cum iudiciali coniunctam; quorum alterum vulgo ita institutum erat, ut magistratus civiles commissa levissima — Policeyvergehen —, quae cavere deberent, iudicarent atque punirent, graviora crimina, demandatam eorum curam attingentia,

saltem in iudicium vocarent [2]). Neque vero facile est, iudicialis potestatis et civilis — vel potius exsecutionis, ut ad normam recentiorum hac voce uti mihi liceat — fines perhibere inter se diligenter descriptos, quod inprimis de politiae magistratibus — Griechische Policeybehörden —, de quibus ante omnia hic disserere volumus, observandum est. Sed in hoc specimine partim, ut meliorem materiae tam multifariae conspectum comparemus, partim ut hanc disquisitionem ad posteriores de Romanorum Aedilibus commentarios magis accommodemus, magistratuum munera ex ordine apud Romanos comprobato digerimus, et praecipue Atheniensium ob maximam vitae politicae culturam inter Graecos rationem habemus.

Primum igitur de iis curis agimus, quas magistratus civiles circa res sacras, cultum rite observandum ac quosdam ludos faciendos habuerunt; ea tamen brevitate, ut Romanorum Aedilium munera semper in oculis teneamus, neque ullo modo omnium magistratuum Graecorum, quorum mentionem nunc faciemus, descriptionem integram absolvere nobis arrogemus. Multum quidem tum in his cum in ceteris, magistratuum muneribus interest inter Graecos et Romanos, quod apud hos in universum uni magistratui vel tamen uni magistratuum classi, uti praetoribus, aedilibus, quaestoribus omnia munera convenientia ad tempus constitutum traduntur, ex quo quisque praefectus tantummodo muneri demandato se totum dedit, statim ab omni negotio privato desistit, itaque uno eodemque

2) Hanc rem plane exhausit Meierus in opere praemio ornato: der Attische Procefs, Hal. 1824. 8. p. 25—98; cujus operis, iunctim cum Schoemanno ab eo compositi, librum primum atque tertium ipse elaboravit. De Graecorum magistratibus in universum auctorem coaetaneum accipias in Aristotel. Politic. IV. cap. 15.

anno plures curas in uno magistratu comprehendere atque curate administrare potest. Sed pro laboribus in administratione, aut pro sumtibus in munere factis, largissima compensatione gavisus est; quodque enim minus honori tribuebatur Romanis, quodque erat transitus ad magistratum maiorem, et post maximos gestos propraetores vel proconsules in provinciarum administratione maiores opes recipiebant, quam in cursu politico impenderant. At apud Graecos plura munera erant molesta, in quibus ad maiora progrediendi ardor plane deerat, itaque multifarias curas inter plures viros dividi necesse erat, ne gravius onera publica participes premerent; unde Graeci in universum neque viros reipublicae gerendae tam idoneos, neque tam excultam administrationem, quam Romani, nacti sunt. Apud Athenienses primus sacris praefectus est *ὁ ἄρχων βασιλεύς*, cuius dignitatis nomen et historia ostendunt, eam iam antiquis regibus, sequentibusque archontibus, vel per vitae tempus, vel per decem annos electis, nec non Pisistrato ejusque filiis, tanquam regni officium excellens, esse adtributam. Is quidem partim mysteriis cum quatuor aliis curatoribus, *οἱ ἐπιμεληταὶ τῶν μυστηρίων*, qui verisimiliter in grandiore Athenarum conditione demum adsociati sunt, sed plerumque in Aristotelis aetate occurrunt, praesidebat [3]), quam ob rem rex ipse a Demo-

5) Pollnc. Onomastic. VIII. 9. §. 90. edidit. Hemsterhus. p. 909: *ὁ δὲ βασιλεὺς μυστηρίων προέστηκε μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν.*" Eadem firmant et Lysias in Andocid. exscript. in not. 8, et Demosth. in Midiam ed. Spalding. cap. 47, et Harpooration (quem semper ex editione Lipsiensi recentissima 1824. 2 vol. citavi) I. pag. 71. 5. voc. „*ἐπιμελητὴς τῶν μυστηρίων παρ' Ἀθηναίοις ὁ λεγόμενος βασιλεύς· Δημοσθένης κατὰ Μειδίου. Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ φησὶν οὕτως· ὁ δὲ βασιλεὺς πρῶτον μὲν τῶν μυστηρίων ἐπιμελεῖται μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν, οὓς ὁ δῆμος ἐχειροτόνει· τέσσαρες ἦσαν, δύο μὲν ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων, εἷς δὲ ἐξ Εὐμολπιδῶν, καὶ εἷς ἐκ Κηρύκων*" et Scholion ad Platon.

sthene in Midiana [4]) *ἐπιμελητὴς τῶν μυστηρίων*, ab Hesychio [5]) *προνοῶν τῶν μυστηρίων* nominatus est; atque hac auctoritate cuique in iudicium vocato [6]) a mysteriis aliisque legitimis rebus se abstinere interdicebat: partim omnia, quae ad sacra patria pertinebant [7]), pro-

Phaedr. edit. Steph. III. p. 236 ceterum non accurate conscriptum: „*ὁ δὲ βασιλεὺς μυστηρίων προνοεῖται, καὶ τὰς θυσίας τὰς πατρίους διοικεῖ.* Cf. Meier. d. Att. Procefs, p. 47—50; p. 245.

4) Vid. prima verba in not. 5 ex Harpocratione descripta.

5) Sub voc. *βασιλεύς*.

6) Polluc. loc. cit.: „*προαγορεύει δὲ τοὺς ἐν αἰτίᾳ ἀπέχεσθαι μυστηρίων καὶ τῶν ἄλλων νομίμων·*" itaque non solum ob caedis patratae accusationem, ut Kuehnius ad hunc locum postulat, sed quemque ob ullam culpam graviorem in ius arcessitum rex removere potuit.

7) De Pisistrato eiusque filiis Thucyd. VI. cap. 54: „*οὗτοι τύραννοι....... ἐς τὰ ἱερὰ ἔθυον. Τὰ δὲ ἄλλα αὐτὴ ἡ πόλις τοῖς πρὶν κειμένοις νόμοις ἐχρῆτο, πλὴν καθ᾽ ὅσον ἀεί τινὰ ἐπεμέλοντο σφῶν αὐτῶν ἐν ταῖς ἀρχαῖς εἶναι.*" De archonte rege Platon. Politicus edit. Steph. II. p. 290. e.: „*καὶ δὴ καὶ παρ᾽ ὑμῖν οὐχ ἥκιστα δῆλον ὃ λέγω· τῷ γὰρ λαχόντι βασιλεῖ φασὶ τῇδε τὰ σεμνότατα καὶ μάλιστα πάτρια τῶν ἀρχαίων θυσιῶν ἀποδεδόσθαι.*" Plutarch. Quaestion. Romanar. oper. omn. edit. Francof. sec. II. p. 279: „*τοπαλαιὸν οἱ βασιλεῖς τὰ πλεῖστα καὶ μέγιστα τῶν ἱερῶν ἔδρων, καὶ τὰς θυσίας ἔθυον αὐτοὶ μετὰ τῶν ἱερέων· ἐπεὶ δ᾽ οὐκ ἐμετρίαζον, ἀλλ᾽ ἦσαν ὑπερήφανοι καὶ βαρεῖς, τῶν μὲν Ἑλλήνων οἱ πλεῖστοι τὴν ἐξουσίαν αὐτῶν περιελόμενοι, μόνον τὸ θύειν τοῖς θεοῖς ἀπέλιπον.* Plutarchi opinio verissima cognoscitur, si eandem etiam pro pluribus populis, et, ut notissimum est, pro Romanis quoque audimus. Quod nempe ita intelligendum est, ut regiae dignitatis nomen, postquam regum potestas politica aut ob ipsorum superbiam violentiamque in subditos a populis sublata, aut per quendam casum politicum amissa esset, gravissimis curis circa res sacras, tanquam regibus quadam cognatione cum heroibus atque diis praecipue propriis, annecteretur. Hac quidem ratione Romani post Tarquinium Superbum exactum regem sacrificulum instituerunt. Cf. et schol. ad Platon. Phaedr. in not. 3 et Lysiae locum in sequenti not., pluresque locos in Demosthen. in Neaeram edit.

curabat, itaque in caussis ob impietatem [7]) actis, ob sacerdotium controversum in pluribus gentibus [9]), ce-

---

Reisk. p. 1570—77. v. Orat. Attic. ed. Bekker. V. §. 74, 77, 80.

8) Lysias adv. Andocid. init. edit. Steph. p. 105. Bekk. §. 4: „φέρε γάρ, ἂν νυνὶ Ἀνδοκίδης....... ἔλθῃ κληρωσόμενος τῶν ἐννέα ἀρχόντων, καὶ λάχῃ βασιλεύς, ἄλλο τι ἢ ὑπὲρ ἡμῶν καὶ θυσιάσει, καὶ εὐχὰς εὔξεται κατὰ τὰ πάτρια, τὰ μὲν ἐν τῷ ἐνθάδε Ἐλευσινίῳ, τὰ δὲ ἐν τῷ Ἐλευσῖνι ἱερῷ, καὶ τῆς ἑορτῆς ἐπιμελήσεται μυστηρίοις, ὅπως ἂν μηδεὶς ἀδικῇ, μηδὲ ἀσεβῇ περὶ τὰ ἱερά"; et ibid. Bekk. p. 104. §. 11: „Ἀνδοκίδης δὲ τοσοῦτον καταπεφρόνηκε τῶν θεῶν, καὶ ὧν ἐκείνοις δεῖ τιμωρεῖν, ὥστε πρὶν μᾶλλον ἢ ἧττον ἢ ἐπιδεδημηκέναι δέκα ἡμέρας ἐν τῇ πόλει, προςεκαλέσατο δίκην ἀσεβείας πρὸς τὸν βασιλέα." Polluc. loc cit.: δίκαι δὲ πρὸς αὐτὸν λαγχάνονται ἀσεβείας" e. q. s. Demosthen. in Lacrit. in finem, edit. Reiskian. p. 940, edit. Bekk. V, §. 47: „ἀλλὰ ποῦ χρὴ δίκην λαβεῖν;...... παρὰ ποίᾳ ἀρχῇ;...... παρὰ τῷ βασιλεῖ; ἀλλ' οὐκ ἐσμὲν γυμνασίαρχοι, οὐδὲ ἀσεβείας οὐδένα γραφόμεθα." Demosth. adv. Androtion. edit. Reisk. p. 601, edit. Bekk. IV. §. 27: „τῆς ἀσεβείας κατὰ ταὐτὰ ἔστιν ἀπάγειν, γράφεσθαι, δικάζεσθαι πρὸς Εὐμολπίδας, φράζειν πρὸς τὸν βασιλέα." Schol. ad h. l. ap. Reiske: „ὁ γὰρ βασιλεὺς ἐπεμελεῖτο τῶν ἱερῶν πραγμάτων, καὶ ἐπῄει τὰς τῆς ἀσεβείας γραφὰς πρὸς τοὺς Εὐμολπίδας." Cf. Meier l. c. p. 117—118 et Schoemann de comitiis Athen p. 501. Kreuseri opinio (der Hellenen Priesterstaat, Magontiac. 1822. p. 114—16 et p. 511—14) quae archontem regem ob mysteriorum scientiam atque iurisdictionem de gentibus sacerdotalibus semper ex Eumolpidis electum esse suspicatur, non displicet; sed quia cum auctore nihil habeo, quo comprobem, eam tantummodo annotare sufficiat. Omnes vero archontes annuos etiam post Clisthenem e patriciorum ordine creatos esse notissimum quidem constat ex Eusebii Chronic. edit. Scaliger. p. 155: „ἄρχοντες ἐνιαύσιοι ᾑρέθησαν ἐξ Εὐπατριδῶν," quocum coniungas Demosth. in Neaer. edit. Bekker. V. §. 72. cf. not. 28, qui directis verbis Theogenem **archontem regem**, quamvis pauperrimum ac rerum gerendarum plane ignarum, e patriciis electum esse in medium profert. Attamen quidam oratorum loci non satis perspicui contra pugnare videntur, et omnium archontum dignitatem cuique civi Atheniensi vindicant; quod quidem seculum quartum ante Chr. n. nusquam transgreditur.

terisque in rebus sacris ius dicebat. Neque vero intra hos terminos se continebat eius iurisdictio, sed caedis quoque vel insidiarum alicuius capiti paratarum, vel

---

9) Nemo est qui nescit, certas gentes peculiaria sacra curavisse pro tota civitate, ut Ceryces, Eumolpidas, Butadas aliasque complures, unde id, quod Pollux de regis iurisdictione inter gentes sacerdotales refert, sine ulla difficultate intelligi potest. Nam Pollux loc. cit. scribit: „δίκαι δὲ πρὸς αὐτὸν λαγχάνονται... ἱερωσύνης ἀμφισβητήσεως καὶ τοῖς γένεσι, καὶ τοῖς ἱεροῖς πᾶσιν αὐτὸς δικάζει·" qui locus, si ita sola iusta ratione interpungitur, quemadmodum cum Kuehnio ad h. vers. censeo, veram verborum explicationem, quam in textu proponimus, per se nobis offert. Sigonii enim huius loci interpretatio, de republ. Athen. IV. cap. 5. edit. Paris. pag. 576 allata, maius distinctionis signum inter ἀμφισβητήσεως et καὶ τοῖς γ. poni iubet, deinde τοῖς ἱεροῖς in τοῖς ἱερεῦσι transfert, et archonti regi iurisdictionem non solum de rebus sacris, sed in universum de gentibus et sacerdotibus adsignat. Meierus quoque loc. cit., cuius illustratio praeterea mihi valde placet, sine utilitate, ut mihi videtur, ἱεροῖς in ἱερεῦσι correxit, quum hic ἱεροῖς fere eundem sensum quam ἱερεῦσι praebet, insuper et Lexic. Rhetorio. in Bekker. Anecdot. p. 310 et denique Suidas s. voc. ἡγεμονία δικαστηρίου eadem ἱερῶν et q. s. paene ad verbum repetunt. Si vero is in hoc utroque loco coniecturam γερῶν pro ἱερῶν probat, alterum in lexic. Rhet., ex parte saltem mancum facit... Sed huic archontis regis officii parti adscribi debet cura τῶν παρασίτων, sacerdotalium administrorum generis, quod frumentum e publicis agris ad sacra constitutum colligebat, in magno granario, τὸ παρασίτιον asservabat, atque ad singula sacra ac festa dividebat. Cf. Pollux lib. VI. cap. 7. §. 35. edit. Hemsterh. pag. 583. Athenaeus autem nobis legem relinquit Deipnosoph. lib. VI. edit. Basil. fol. 118. vers. 43 seq. ed. Casaub. p. 235, cuius et Pollux loc. proxime notat. mentionem facit, quae archonti regi demandavit, ut parasitos iusto modo e pagis denominandos curaret, illorumque frumenti procurationem accurate inspiceret. Cf. Casaubon. ad h. loc. et de tota regis potestate iudiciali Meier. Att. Proc. l. c. et Heffter Athenaeische Gerichtsverf. Colon. 1822. pag. 47—49, 149, 257, 361—562; — Schoemann de comit. Athen. pag. 304.

veneficii vel ignoto modo interfectorum [9a]) actiones [1]) in Areopagum introducebat, coronaque deposita cum Areopagitis vel cum Eumolpidarum gente sacerdotali iudicabat. Deinde Eleusiniorum, Lenaeorum reliquorumqne festorum Bachanalium, exceptis magnis Dionysiis ab archonte eponymo procuratis, porro Thargeliorum ludorumque gymnicorum curam habebat, in quibus deorum ignipotentium honori cum lampadibus currere [11]), vel Aristophanis atque Platonis aetate et equitare [12]) solebant, sicuti in Panathenaeis maioribus atque minoribus [13]), Hephaestiis Apaturiisque

---

9 a) Sive occisores vel fuga elapsi, vel plane incogniti erant, sive casus per res inanimatas acciderat, quae illapfae quendam interfecerant, ita quidem, ut Demosthen. advers. Aristocrat. Reisk. p. 645. edit. Bekk IV. § 76. de iudicio in Prytaneo referens, nos docet: „si lapis aut lignum, aut ferrum aut aliud id genus inciderat percusseratque, et ipsum quidem iacientem atque interficientem ignoret aliquis, illud vero, quo caedes facta est, noverit habeatque, illis hic dica scribitur.“ Ex analogia facile concludi possit, idem iudicium aeque ac in res inanimes statuisse de animalibus, quae forte hominem occidissent.

10) Polluc loc. citat.: „καὶ τὰς τοῦ φόνου δίκας εἰς Ἄρειον πάγον εἰςάγει· καὶ τὸν στέφανον ἀποθέμενος σὺν αὐτοῖς δικάζει· ..... δικάζει δὲ καὶ τὰς τῶν ἀψύχων δίκας·“ Cf. et not. 21, et de iudicii loco Pausan. I. cap. 3 §. 1. atque Hesych. s. voc. βασίλειος στοά.

11) Polluc. loc. cit.: ὁ δὲ βασιλεὺς .... προέστηκε καὶ Ληναίων καὶ ἀγώνων τῶν ἐπὶ λαμπάδι·“ Incompositam de hac materiam tractantium locorum collectionem praebet Meursius Graec. feriat. lib. V. s. voc. Λαμπάς.

12) Aristoph. Pax. v. 899 — 900: „τρίτη δὲ μετὰ ταῦθ' ἱπποδρομίαν ἄξετε ἡνίκα γε κέλης κέλητα παρακελητιεῖ.“ Platon. de republ. I. cap. 1: „λαμπὰς ἔσται ἀφ' ἵππων τῇ θεῷ· ἀφ' ἵππων; ἦν δ' ἐγώ· καινόν γε τοῦτο· λαμπάδια ἔχοντες διαδώσουσιν ἀλλήλοις ἁμιλλώμενοι τοῖς ἵπποις, ἢ πῶς λέγεις; οὕτως ἔφη“ e. q. s.

13) Nempe quod Minerva ignis ope artes perfecit; de ludis gymnicis in Panathen. vid. Harpocration s. voc. λαμπάς I. p. 119:

ad Hephaestum celebrandum [14]) et Prometheis [15]), Bendidiisque [16]) ac Panis solemnibus [17]), unde cuncti gymna-

„Λυσίας, ἐν τῷ κατ' Εὐφήμου· τρεῖς ἄγουσιν Ἀθηναῖοι ἑορτὰς λαμπάδος, Παναθηναίοις καὶ Ἡφαιστείοις καὶ Προμηθείοις, ὡς Πολέμων φησὶν ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν τοῖς προπυλαίοις πινάκιον." Schol. ad Aristoph. Ran. v. 131 et 1119: „ὁ τῆς λαμπάδος δὲ ἀγὼν τρίτον Ἀθήνησιν ἤγετο κατὰ τὰ Προμήθεια, Ἡφαίστεια, Παναθήναια." Cf. insuper Meurs. Panathenaica in Gronov. thes. antiquit. Graec. vol. VII; Boeckhius in Staatshaush. d. Ath. I. p. 496, et idem auctor in Corpor. Inscript. Graec. fasc. I. p. 117 et 209, ubi diserte de non semper addita discriminis maiorum vel minorum Panath. denominatione memoravit.

14) Herodotus VIII. cap. 98 cursum publicum in Persarum regno describens comparationem assumit ex Hephaesticis: „κατάπερ Ἕλλησιν ἡ λαμπαδηφορίη, τὴν τῷ Ἡφαίστῳ ἐπιτελέουσι." Apaturiorum solus meminit Harpocration s. voc. λαμπάς: „Ἴστρος δ' ἐν πρώτῃ τῶν Ἀτθίδων εἶπεν, ὡς ἐν τῇ τῶν Ἀπατουρίων ἑορτῇ Ἀθηναίων οἱ καλλίστας στολὰς ἐνδεδυκότες, λαβόντες ἡμμένας λαμπάδας ἀπὸ τῆς ἑστίας ὑμνοῦσι τὸν Ἥφαιστον θύοντες, ὑπόμνημα τοῦ κατανοήσαντος τὴν χρείαν τοῦ πυρὸς διδάξαι τοὺς ἄλλους."

15) Vid. not. 13 et Pausan. (Attic.) I. cap. 30. §. 2: „Ἐν Ἀκαδημίᾳ δέ ἐστι Προμηθέως βωμός· καὶ θέουσιν ἀπ' αὐτοῦ πρὸς τὴν πόλιν ἔχοντες καιομένας λαμπάδας· τὸ δὲ ἀγώνισμα ὁμοῦ τῷ δρόμῳ φυλάξαι τὴν δᾷδα" e. q. s.

16) Deae Artemidi Thraciae vel Bendidi Athenis celebrata sunt Bendidia, quibus lampadum cursu certabatur, quod Lunae aequiparata hominibus per noctes facem proferens fingebatur, itaque νυκτιλαμπής vocabatur atque diis ignipotentibus adsociabatur. Hesych. s. voc. δίλογχον· „τὴν γὰρ σελήνην Βένδιν καὶ Ἄρτεμιν νομίζουσιν." Praeterea locus supra e Platon. Republ. I. 1. notatus loquitur de Bendidiis, quocum coniungas eiusd. libr. cap. 24 locosque ab Astio in Platon. Reipubl. edit. pag. 315 et a Meursio in Graec. feriat. C. II. s. voc. Βενδίδεια laudatos, et inscriptionem nr. 157 in Boeckh. Corpor., quae iam in Staatshaush. d. Athen. II. p. 243—59, et nr. VIII in tab. II explicita est.

17) Herodot. VI. cap. 105: „Ἀθηναῖοι..... ἱδρύσαντο ὑπὸ τῇ ἀκροπόλι Πανὸς ἱρὸν, καὶ αὐτὸν ἀπὸ ταύτης τῆς ἀγγελίης θυσίῃσι ἐπετείοισι καὶ λαμπάδι ἱλάσκονται." Liban. declamat.

siarchae sub eius tutela atque regimine positi [18]) cunctaeque controversiae in illis festis a ludis exortae a rege diiudicatae erant. Qua ex adumbratione elucet, Atheniensium archontem regem non solum sacrorum regi respondisse apud Romanos, sed etiam multo latiore provincia Aedilium de rebus sacris accepisse curas. Quod vero de archontis eponymi festorum procuratione dici potest, non pertinet ad hanc disquisitionem, quum nullo modo de omnium festorum cura hic disputare in animo est, sed tantummodo de civilis magistratus coniunctione cum proprio rerum sacrarum munere politico agitur, si hanc vocem adhibere mihi concedant lectores.

Sub archontis regis auctoritate quasi administri socii tam in rebus sacris, quam in iudicio exercendo, creabantur *Φυλοβασιλεῖς* [19]), i. e. tribuum reges, qui

---

XV: *„Μηδ᾽ ὁράσθω τοίνυν ὁ βωμὸς, μεχρὶς ἂν θεραπεύηται Παναθηναίοις μὲν Ἀθηνᾶ, μυστηρίοις δὲ Δημήτηρ, τῇ λαμπάδι δὲ ὁ Πᾶν."* Lexic. Rhetor. in Beck. Anecdot. I. p. 277 eadem firmat.

18) Demostheu. verba in Lacrit., quae iam not. 8. descripsimus. Sed audacius quam par est hoc ex loco Meierus op. land. p. 49 concludere videtur, archontem regem, quod gymnasiarchos nullo excepto instituendos curaret, cuique ludo praefuisse gymnico, etiamsi cum lampadum cursu non celebraretur: attamen argnmenta neque pro neque contra hanc sententiam nunc proferre possumus. De Gymnasiarchis luculentissime interpretatus est Boeckhins Staatshaushaltung d. Athen. I. p. 494 — 498, quibus addas inscriptionem nr. 108 in prim. fasc. Corpor. Inscript. Gr., hano materiam praecipue attingentem: sed certo vir illustris in secundo quoque fasciculo Corpor. Inscr. G. Class. quarta et quinta, quibus de archontum officiis et de rebus agonisticis atque gymnasticis, marmora colligere pollicitus est, etiam copiosiorem totius rei expositionem nobis afferet.

19) Polluc. VIII. 9. §. 111. ed. Hemsterh. p. 952: *„οἱ φυλοβασιλεῖς ἐξ Εὐπατριδῶν δὲ ὄντες μάλιστα τῶν ἱερῶν ἐπεμελοῦντο, συνεδρεύοντες ἐν τῷ βασιλείῳ τῷ παρὰ τὸ βουκολεῖον."*

iuxta τοὺς φυλάρχους, tribuum in cunctis negotiis gentilibus capita, per singulas tribus e patriciorum numero [20]) electi multas curas tribus cuiusque nomine per-

---

20) Hesych. s. voc. φυλοβασιλεῖς· „ἐκ τῶν φυλῶν αἱρετοί, οἱ τὰς θυσίας ἐπιτελοῦντες." Phylarchi vero omnino non pares cum cuiusque tribus curatoribus, οἱ ἐπιμεληταὶ τῆς φυλῆς censendi sunt, ut Meierus Att. Proc. p. 116, Sigonio multa h. l. permutanti de rep. Athen. IV. cap. 2 adsentiens, non considerate in medium profert; iam ex simplici argumento, quod unus tantummodo phylarchus in quaque tribu institutus ex Herodot. lib. V. cap. 69: „δέκα τε δὴ φυλάρχους ἀντὶ τεσσέρων ἐποίησε, δέκα δὲ καὶ τοὺς δήμους κατένεμε ἐς τὰς φυλάς", curatorum autem plures in una tribu creati erant, ut Demosthenes in Midiana ed. Spald. cap. 6. Bekk. IV. §. 13 diserte dicit: „καὶ κατηγοροῦντος τοῦ μὲν ἄρχοντος τῶν ἐπιμελητῶν τῆς φυλῆς, τῶν δ' ἐπιμελητῶν τοῦ ἄρχοντος e. q. s. et cap. 7, ubi Midias curatoribus suae tribus ad Dionysia celebranda creatione adsociari postulat. Num vero phylarchi dignitas, quum ad summum non ante Peloponnesiaci belli tempora tribuum equitatui eodem numero praeficeretur, curas gentiles civilesque amiserit, easque inter tribuum reges ac curatores dividerit, fontium auctoritate destitutus in dubio relinquere coactus sum. Sed phylarchi munere militari hic plane omisso (conf. Pollue. VIII. cap. 9. §. 87 et 94), de illis epimeletis nil nisi obiter memorare mihi in animo est, eos reipublicae statu florenti atque etiam postea, ut contra Sigonium loc. cit. observandum est, praecipue ludorum curam administrasse pro singulis tribubus in exercendis choris vel ullo ornatu procurando, quod Suidas testatur s. voc. ἐπιμεληταί: „ἐχειροτονοῦντο τῶν χορῶν, ὡς μὴ ἀτακτεῖν τοὺς χορευτὰς ἐν τοῖς θεάτροις"; nec minus eosdem inspexisse fundos vel cuiusque tribus reditus publicos, ad quam muneris partem duae inscriptiones adtrahi debent apud Boeckh. Corp. Inscr. Gr. nr. 104. vol. I. p. 142; nr. 108. ib. p. 149, quarum prima, fundorum locandorum pactio, iam exstat Staatshaush. d. Ath. tab. VII. nr. 18 et interpretat. vol. II. p. 338—341. Cf. et Antiphont. in orat. ὑπὲρ τοῦ χορευτοῦ edit. Stephan p. 142; Orat. Att. Bekk. I. §. 11—15, quod exemplum Sigonio debeo. Schoemanni (libr. de comit. Athen. III. pag. 368 seq.) de tribuum curatoribus coniecturam priore non firmiorem hic intactam transgredior, quanquam il-

fecisse apparent, quas archon rex e totius civitatis mandato absolvebat. His insuper proprium erat, iudicio in Prytaneo iubente [21]), res inanimatas, quae illapsae hominem interfecerant, post Dracontis leges [22]) eiicere extra urbis terminos. Eorum vero numerus in scriptis veteribus non notatur, sed verisimiliter cum tribuum et phylarchorum copia congruens in antiquitate quatuor, post Clisthenis tempora decem, atque ex Macedonibus expulsis ineunte seculo quarto a Ch. nat. duodecim non transcendisse videtur. Meierus aliam coniecturam nobis proposuit [23]), quam vero neque ullius fontis loco, neque analogia firmatam, atque contra

lum maximam exemplorum copiam de hac re congessisse lubenter confiteor; attamen valde fallitur Herodoti verba supra exscripta ignorans, si veteres non alios phylarchos quam hos militares agnovisse contendit, et propterea Ubbonem Emmium de republ. Graec. Elzevir. p. 75, auctorem alioquin nec laudabilem nec defendendum, hoc autem loco non commentientem, acriter perstringit.

21) Polluc. VIII. cap. 10. §. 120. Hemsterh. p. 943: „τὸ (nempe δικαστήριον) ἐπὶ Πρυτανείῳ· δικάζει δὲ περὶ τῶν ἀποκτεινάντων, κ᾽ ἂν ὦσιν ἀφανεῖς, καὶ περὶ τῶν ἀψύχων τῶν ἐμπεσόντων καὶ ἀποκτεινάντων· προειστήκεσαν δὲ τούτου τοῦ δικαστηρίου φυλοβασιλεῖς, οὓς ἔδει τὸ ἐμπεσὸν ἄψυχον ὑπερορίσαι." Sed in hoc iudicio archon rex praeses erat, atque tribuum reges ut iudices assidebant, quemadmodum uterque locus e Polluc. Onom. collatus intelligi, verbumque προειστήκεσαν per exercebant vel committebant (de qua significatione Passovii auctoritatem consulas) converti debet. Hac autem ratione Matthiae de iudiciis pag. 155 atque Gruberi, Allgemeine Encyclop. VI. p. 249., sententiae, quae archontis regis auctoritatem in iudicio in Prytaneo negant, mutandae sunt.

22) Pausan. Eliaoor. lib. seo. vel tot. oper. VI. cap. 11: „καὶ οἱ Θάσιοι καταποντοῦσι τὴν εἰκόνα, ἐπακολουθήσαντες, γνώμῃ τῇ Δράκοντος, ὃς Ἀθηναίοις θεσμοὺς γράψας φονικοὺς, ὑπερώρισε καὶ τὰ ἄψυχα, εἴγε ἐμπεσόν τι ἐξ αὐτῶν ἀποκτείνειεν ἄνθρωπον."

23) Att. Proc. p. 116.

veritatis speciem pugnantem, quin refellam non possum. Auctor enim veterem quatuor τῶν φυλοβασιλέων numerum semper Athenis permansisse, atque Clisthenem in politica quatuor tribuum constitutione eversa omnes res ad religionem sacraque pertinentes reliquisse intactas, atque illis nullo auctis quatuor tribuum regibus commisisse contendit. Sed si scire volumus, quam ob rem nos secundum auctorem hanc sententiam veram putemus, aut quibus argumentis ductus auctor eandem finxerit, nihil profert. Nam credere non possum, eum Photii locum [24]) pro hac sententia loqui serio censuisse. Quid vero aliud significat, quam quod ante Clisthenem quatuor tribuum tempore, quatuor quoque φυλοβασιλεῖς fuerunt? Magis etiam mirum videtur, si idem directe contra Hesychium atque Pollucem singularum tribuum sacra omnino non per φυλοβασιλέας, sed proprios gentium sacerdotes perfecta esse censet; atque ut haec firmet inscriptionem antiquam advocat [25]), quae solum Atticae quoque pagos singulos suos sacerdotes habuisse approbat. Praeterea oblivisci nolumus, quam accurate plerumque a Polluce ac lexicographis cuiusque magistratus participum numerus nobis traditus est, quod igitur certo in re tam dubia atque aliena factum foret, nisi consuetus tribuum numerus apud τοὺς φυλοβασιλέας nempe unus in quaque tribu, constitisset, ergo numeri adnotationem superfluam fecisset.

Ad hos φυλοβασιλέας duos alios administros seu adsessores, οἱ πάρεδροι, et unum scribam archonti regi

---

24) S. voc. ναυκράρια: „φυλαὶ δὲ ἦσαν τέσσαρες, καθάπερ πρότερον καὶ φυλοβασιλεῖς τέσσαρες."

25) Apud Chandler Inscr. Antiq. P. II. pag. 48. nr. 7, ub reperitur ὁ ἱερεὺς Πανδίονος Ἀντιφάτους Κυδαθηναιεύς, atque Meierus rem rectissimam pagum Κυδαθηναιέων ad tribum Πανδιονίδα pertinuisse adnotavit.

sicut eponymo ac polemarcho addit Pollux [26]) cum aliis lexicographis, quos vero magistratus Harpocration [27]) tantummodo duobus aliis archontibus adscribit; neque tamen recte, ut Demosthenes [28]), Aristotelis aequalis, manifeste Theogenis archontis regis paredro Stephano ostendit, unde verisimillimum accipitur, vocem *βασιλεύς* negligentiae errore in Harpocratione manuscripto elapsam, et in sequentibus a librario nimis peritum se aestumante *ἕκαστος* male in *ἑκάτερος* esse correctam, quamquam iam Hesychium haec verba accuratissime cum errore ex Harpocratione s. voc. *εὐθύνας* depromsisse non ignarus sum. Hi autem neque sorte, neque populi vo-

---

26) Lib. VIII. cap. 9. §. 92: „*Πάρεδροι δ' ὀνομάζονται, οὓς αἱροῦνται ἄρχων καὶ βασιλεὺς καὶ πολέμαρχος, δύο ἕκαστος, οὓς βούλεται. δοκιμασθῆναι δὲ αὐτοὺς ἐχρῆν ἐν τοῖς πεντακοσίοις, εἶτ' ἐν δικαστηρίῳ· προσαιροῦνται δὲ καὶ γραμματέα, ὃς ἐννόμῳ δικαστηρίῳ κρίνεται.*" Neque minus grave exemplum affert Schol. ad Plat. de leg. XII edit. Steph. II. 945 c.: „*καὶ γὰρ τῷ ἄρχοντι Εὔθυνος ἦν, καὶ πάρεδρος, καὶ τῷ βασιλεῖ ὁμοίως, καὶ τῷ πολεμάρχῳ καὶ τοῖς θεσμοθέταις.*" Praeterea conf. Meier Att. Proc. pag. 57. not. 81, ubi etiam Sellii dissertat. de assessorib. Archontum apud Athen. Lgd. B. 1719. 8vo laudatur, quae quidem mihi, ut Meiero, nec Berolini nec Regiomonti in bibliothecis oblata est. Etymologic. magn. s. voc. *Πάρεδροι οἱ αἱρούμενοι τοῖς ἄρχουσιν, οἷον βοηθοί, σύμβουλοι καὶ φύλακες.* Eadem ad verbum, repetunt lexica Seguer. in Bekker. Anecd. I. p. 288. Denique vox *Πάρεδροι* occurrit quoque in Herodiani fragmentis apud Phrynich. eclog. edit. Lobeck. p. 464.

27) Sub voc. *Πάρεδρος* I. p. 142: „*Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ φησί· Λαμβάνουσι δὲ παρέδρους ὅτε ἄρχων καὶ ὁ πολέμαρχος, δύο ἑκάτερος οὓς ὂν βούληται.*"

28) Orat. in Neaeram Reisk. p. 1369. edit. O. A. Bekk. V. §. 72: „*ἀλλὰ κατιδόντες Θεογένην Κοθωκίδην λαχόντα βασιλέα, ἄνθρωπον εὐγενῆ μέν, πένητα δὲ καὶ ἄπειρον πραγμάτων, συμπαραγενόμενος αὐτῷ δοκιμαζομένῳ, καὶ συνευπορήσας ἀναλωμάτων, ὅτε εἰσῄει εἰς τὴν ἀρχήν, Στέφανος οὑτοσὶ καὶ ὑπελθών, καὶ τὴν ἀρχὴν παρ' αὐτοῦ πριάμενος, πάρεδρος γενόμενος, δίδωσι τὴν ἄνθρωπον ταύτην*" c. q. s.

luntate, sed solum ex archontis, quem adiuvare deberent, arbitrio creabantur, et ita, ut interdum etiam pater a filio archonte paredrus diceretur [29]), interdum vero malo exemplo idem munus ab archontibus pauperibus sive avaris pecunia emeretur [30]). Attamen illi paredri, in Etymologico magno consiliarii et cum futili loquacitatis grano archontum custodes nominati [31]), primum in senatu, tum in adsueto iudicio censeri, et cum ceteris magistratibus post munus abdicatum rationem reddere debebant [32]), scriba autem solus iudicii a legibus praescripti censuram inibat [33]).

Sed praeter hos nuncupatos reges alii quoque curatores, qui etsi non parvae auctoritatis, tamen pro quibusdam officiis minoribus electi in rerum sacrarum

29) Demosthen. in Midian. edit. Spalding. cap. 49. Bekk. IV. §. 178: „ἕτερος ἀδικεῖν ποτ᾽ ἔδοξεν ὑμῖν περὶ τὰ Διονύσια", unde patet de archonte eponymi paredro hic esse sermonem, „καὶ κατεχειροτονήσατ᾽ αὐτοῦ, παρεδρεύοντος ἄρχοντι τῷ υἱεῖ, ὅτι θέαν τινὸς καταλαβόντος ἥψατο, ἐξείργων ἐκ τοῦ θεάτρου." Ulpiani scholion ad h.l. „συμπονοῦντος καὶ συμπαρόντος τῷ παιδὶ, μήπου τι ὡς νέος ἁμάρτῃ κατὰ τὴν ἀρχήν" inepte ex huius electionis exemplo solum compositum est.

30) Vid. exempl. in not. 28.

31) Cf. not. 27. Nec verius schol. ad Plat. de leg. XII a me citat. not. 26, logistas cum paredris permutavit, si his rationem a suis magistratibus poscendi ius adscribit.

32) Harpocration s. voc. Πάρεδρος· „καὶ οὗτοι δοκιμάζονται ἐν τῷ δικαστηρίῳ πρὶν παρεδρεύειν, καὶ εὐθύνας διδόασιν, ἐπὰν παρεδρεύωσιν."

33) Hos vero archontum scribas plane neglexit Boeckhius Staatshaush. d. A. I. p. 198—205, quanquam de scribis Atheniensium in universum tractare voluit; nam sine omni dubio eos inter scribas publicos referre possumus, quod publice censebantur, verisimiliter pari modo ac paredri anno peracto officii rationem debebant; ita ut tantum eligendi ratio quoddam discrimen inter eos atque civitatis scribas — οἱ γραμματεῖς τῆς πόλεως — sorte lectos fecerit.

administratione apud Athenienses occupati erant, quos florentissimo rerum statu iam auctores coaetanei [a]) aut omnium hominum religiosissimos, i. e. creberrime sacrificantes, aut duplo plura festa ullo alio populo celebrantes nominaverunt. Sane quidem hoc maxime intererat inter hos et illos, quod illi ex ordine per annum, hi autem tantum ad certas procurationes persequendas instituerentur. Duorum primos nominamus Boonarum (ὁ βοώνης) dignitatem, de qua omnia testimonia vetera [34]), eam amplissimis adnumeratam,

---

a) Xenophon. de republ. Athen. cap. 5. §. 2: „*Πῶς γὰρ ἂν καὶ οἷοί τε εἶεν, οὕςτινας πρῶτον μὲν δεῖ ἑορτάσαι ἑορτὰς, ὅσας οὐδεμία τῶν Ἑλληνίδων πόλεων*", et mox infra §. 8: „*καὶ ἄγουσι (οἱ Ἀθηναῖοι) μὲν ἑορτὰς διπλασίους ἢ οἱ ἄλλοι.*" Ex posteriore aetate audiatur Pausan. I. cap. 24. §. 3: „*λέλεκται δέ μοι καὶ πρότερον, ὡς Ἀθηναίοις περισσότερόν τι ἢ τοῖς ἄλλοις ἐς τὰ θεῖά ἐστι σπουδῆς.*"

34) Harpocrat. I. 40. s. voc. *Βοώνης·* „*Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Μειδίου·*" (edit. Spalding. cap. 47. Bekk. §. 171 laudare in animo habuit lexicographus, ubi Midias *βοώνης* quondam factus dicitur, etsi sequentia in oratione non leguntur, itaque e communiore scientia ad illustrandum locum addita esse videantur) „*ὅτι λαμπρὸς ἦν ὁ βοώνης, καὶ αἱ μέγισται ἀρχαὶ ἐπὶ τούτῳ ἐχειροτονοῦντο*"; quae verba accuratissime Suidas s. voc. *βοώτης*, corrigend. in *βοώνης*, repetit. Alius locus in Suida (editionem Kuesterianam semper adhibuimus) s. vera voce *βοώνης* hanc utilem notitiam addidit: „*ἦν δὲ λαμπρὸν τὸ βοώνην γενέσθαι, ἐπειδὴ* σ τ ρ α τ η γ ο ὺ ς *φασὶ βοώνας μάλιστα χειροτονεῖσθαι.*" Cf. et loc. Libanii Declam. VIII, apud Boeckh. Staatshaush. d. A. I. p. 252 citat., sed iam a Valesio in not. ad Harpocrat. adnotatum: „*ἐπειδὰν γὰρ ἀπηλλάγημεν ἐκ τῶν ἐκκλησιῶν καὶ τῆς ἀγορᾶς, ἰδόντες τὸν μὲν στρατηγὸν ᾑρημένον, τὸν δὲ πρεσβευτὴν κεχειροτονημένον, τὸν δὲ σιτώνην, τὸν δὲ βοώνην·*" et Polluc. lib. VIII. cap. 9. §. 114: „*ἱεροποιοί, βοῶναι, ὑπηρεσιῶν ὀνόματα*, ubi adhuc observandum est, omnes codices *βοῶν* legere, et demum a Valesio verissima emendatione *βοῶναι* esse correctum: vox autem *ὑπηρεσιῶν* a Polluce non tam falso de boonis atque sacrificiis, ut Boeckhius l. c. I. pag. 252 censet,

adeoque primis civitatis magistratibus ac imperatoribus, etiamsi iidem, ut persaepe factum esse mihi videtur, muneribus suis adhuc fungerentur, prae ceteris demandatam esse concorditer retulerunt. Hi autem Boonae a populo creabantur, ut pro tota civitate ad sacra [35]) diesque festos [36]) ac viscerationes cum iis coniunctas boves emerent.

Quibus proxime accedunt Sacrifici, *οἱ ἱεροποιοί*, inter quos annui (*οἱ κατ' ἐνιαυτόν*) [37]), et pro singulis mensibus constituti [38]) (*ἐπιμήνιοι*), et Eumenidibus proprii (*ἱερ. ταῖς σεμναῖς θεαῖς*) [39]) distinguuntur, ut Boeckhius [40]) iam accurate observavit. Omnibus au-

---

quam sensu latiore administri, magistratui (*ἀρχῇ*) iusto oppositi, usurpata esse videtur.

35) Lex. Seg. ap. Bekker. Anecdot. I. p. 219: „*βοώνης· ἄρχων ὁ τοὺς βοῦς ὠνούμενος τῇ πόλει πρὸς τὰς θυσίας· ἡρεῖτο δὲ ὑπὸ τῆς πόλεως, ἵνα βοῦς ὠνήσεται.*" Suidas I, 440: „*β. οὗτος παρὰ τῆς πόλεως ἡρεῖτο, ἵνα βοῦς αὐτῇ πρίηται πρὸς τὰς θυσίας.*" Boeckh. Corp. inscript. nr. 157, quae iam prius Staatsh. d. Athen. II. pag. 243—259 illustrata erat, ubi pag. 251 Boonae pecuniam superfluam post emtionem aerario reddunt.

36) Ulpian. schol. ad Demosth. verba e Midiana not. 34 excitata „*βοώνην δὲ τὸν ὠνούμενον βοῦς εἰς τὰς ἑορτάς.*"

37) Inscript. nr. 1. tab. I. apud Boeckh. Staatsh. d. Ath. II. p. 165: „*ἱεροποιοῖς κατ' ἐνιαυτὸν Γρύλλῳ Ἐρχιεῖ καὶ συνάρχουσιν ἐς τὴν ἑκατόμβην.*" Inscr. nr. 8. tab. II. ibid. p. 256. Iidem et *οἱ ἱεροποιοί οἱ ἐν τοῖς ἱεροῖς* nominati esse videntur, vid. not. 42 a).

38) Hesych. s. voc. *ἱεροποιοί*=*ἐπιμήνιοι*, et s. voc. *ἐπιμηνίοι, οἱ ἱεροποιοί· „ἐκαλεῖτο, δὲ καὶ θυσία τις ἐπιμήνια ἡ κατὰ μῆνα τῇ νουμηνίᾳ συντελουμένη.*"

39) Etymolog. magn. s. voc. *ἱεροπ.*: „*μὴ ἀγνῶμεν, ὅτι καὶ ἄλλοι εἰσὶν ἱερωποιοὶ τῶν σεμνῶν θεῶν τὸν ἄριθμον δέκα.*" Vid. eadem in Photii lexic.

40) Staatsh. d. Ath. I. pag. 175, 218, 251, et Corp. inscr. I. pag. 107 et 109 et inscr. nr. 71 a et nr. 157, quarum posteriorem iam in Staatsh. d. Ath. II. pag. 245—259 expositam inve-

tem sacrificis commune erat officium, sacra sibi mandata procurare, victimasque ac suffimenta inspicere, ne qua debilia vel impura sacris praeberentur[41]), — quamobrem iidem et *τῶν μωμοσκόπων* nomen acceperant —, atque omnino sacerdotes, vates ac quemque sacrorum observare administrum, ne quid impii contra ritus sanctos, aut aliqua fraus ab his committi posset[42]), denique cum quaestoribus sacerdotibusque communem sacrarum pecuniarum gerere curam[42a]). Quod vero ad singulas classes pertinet, sacrifici annui, numero decem, nec quidem e quaque tribu unus, sed e toto populo[43]) sorte electi[44]), vaticinia sacra, Aristotele in Atheniensium politia testante[45]), instituebant, et si quando opus

---

nimus. De Polluc. loc. altero cf. not. 54, alter exstat infra not. 48.

41) Ulpian. schol. ad. Demosth. orat. in Mid. cap. 47. Bekk. §. 171: „*ἱεροποιὸς ὁ ἐπισκοπῶν τὰ θύματα, μὴ ἀδόκιμα καὶ πηρὰ εἶεν.*"

42) Aliud Ulpian. schol. ad eand. Demosth. orat.: „*ἱεροποιὸν καλοῦσι τὸν ἐποπτεύοντα τοὺς μάντεις ὅτι θύουσι, μήπου τι κακουργῶσιν ἐν ταῖς θυσίαις.*" Conf. praeterea, quae Aristotel. Politic. VI. cap. 8 in fin. in universum de sacrificis philosophatus est.

42a) Boeckh. Staatsh. d. Ath. inscr. III. tab. I. vol. II. p. 204: „*παρὰ δὲ τῶν νῦν ταμίων καὶ τῶν ἐπιστατῶν καὶ τῶν ἱεροποιῶν τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς, οἱ νῦν διαχειρίζουσιν, ἀπαριθμησάσθων καὶ ἀποστησάσθων τὰ χρήματα*" e. q. s. Nec minus huius pecuniae tabulas asservare debebant, ut eadem inscriptio docet „*ἀποφαινόντων δὲ τὰ γεγραμμένα οἵ τε ἱερεῖς καὶ οἱ ἱεροποιοί.*"

43) Demosth. in Mid. cap. 53, Bekk. §. 115: „*ἱεροποιὸν αἱρεθέντα ἐξ Ἀθηναίων ἁ π ά ν τ ω ν.*"

44) Etymolog. magn. l. cit.: „*ἱεροποιοὶ κ λ η ρ ω τ ο ὶ ἄρχοντές εἰσι, δέκα τὸν ἀριθμόν.*"

45) Ibid.: „*οἵ τά τε μαντεύματα ἱεροθυτοῦσι, κ' ἄν τι καλλιερῆσαι δέῃ, καλλιεροῦσι μετὰ τῶν μάντεων καὶ θυσίας τὰς νομιζομένας ἐπιτελοῦσι, καὶ τὰς πενταετηρίδας ἁπάσας διοικοῦσι πλὴν Παναθηναίων· ταῦτα δὲ Ἀριστοτέλης ἱστορεῖ ἐν τῇ Ἀθηναίων πολι-*

esset litationibus, ut propitium fieret numen, cum vatibus sacra faciebant, et praeter annua sacrificia constituta, sicuti e.g. Asclepea ac Bendidea [46]), quinquennalia, quae quidem quinto quoque anno post olympiadis modo spatium expletum, nec tamen semper in primis olympiadum annis, celebrabantur, nempe Delia [47]), Brauronia Artemidi dicata, Heraclea [48]) atque Eleusinia, i. e. omnia quinquennalia exceptis Panathenaicis maioribus [49]) administrabant, pompasque festas in iis adsuetas comitabantur [50]). Sacrifici autem pro singulis mensibus constituti, qui forsan et agremones dicti sunt [51]),

---

τείς." De Panathenaeorum exclusione conf. Boeckhii doctam observationem Staatsh. d. A. II. pag. 167—168.

46) Boeckh. Staatsh. d. Ath. vol. II. p. 248, inscr. VIII. tab. II, et Corp. inscript. Faso. I. nr. 157.

47) Quod primum sub Pisistrati regimine factum erat, Thucyd. III. cap. 104: „*καὶ τὴν πενταετηρίδα τότε πρῶτον μετὰ τὴν κάθαρσιν ἐποίησαν οἱ Ἀθηναῖοι τὰ Δήλια.*" Sed de intervallo inter quinquennalia consulas Boeckh. Staatsh. II. pag. 165.

48) Harpocration s. voc. *Ἡράκλεια.* De Brauronibus quinquennalibus, iuxta quae, ut Panathenaica minora, et annua celebrabantur, loquitur Aristophan. Pax. v. 874—876:

„Tryg. *ἐπαίομεν Βραυρῶνά δ' ὑποπωκότες·.....*
„Serv. *ὦ δέσποτα, ὅσην ἔχει τὴν πρωκτοπεντετηρίδα.*"

Cf. schol. ad h. l. et v. 899 ct seq.

49) Polluc. VIII. cap. 9. §. 107. ed. Hemsth. p. 927: „*Δέκα ὄντες οὗτοι ἔθυον θυσίας τὰς πενταετηρίδας, τὴν εἰς Δῆλον, τὴν ἐν Βραυρῶνι, τὴν τῶν Ἡρακλείων,* (mala vulgaris lectio *Ἡρακλειδῶν* iam edit. Hemst. castigata est) *τὴν Ἐλευσίναδε.*" De sacrificorum in Cereris sacris curis vid. insuper inscript. octavam tab. II. apud Boeckh. Staatsh. II. 248, et Corp. inscr. I. nr. 157, et ad totum locum conf. not. 45, atque Harpocrat. s. voc. *Παναθήν.*

50) Etymol. magn.: „*οἱ λογοποιοὶ τὰς πομπὰς πομπεύουσιν ὑμῖν μετὰ τῶν ἱεροποιῶν.*"

51) Hesych. s. voc. „*ἀγρέμονα, τὸν ἐπιμήνιον*"; sed non multum his verbis incertis, alia auctoritate non fretis, confidere volumus.

et quorum curas proprias atque numerum fere penitus ignoramus, sacrificiis tantum menstruis nuncupatis [52]) praefuisse videntur; attamen Demosthenis etiam locum [53]), qui vulgo communibus vel annuis sacrificis adscribitur, ad menstruos trahere velim, ubi initiationis sacra a Demosthene in sacrifici officio pro senatu facta memorantur. Postremo tertia sacrificorum classis, pariter ac prima e decem viris constituta [54]), unicam curam Furiis, ab Atheniensibus tanquam sanctissimis deabus adoratis, sacra religiosissima, quibus nullus homo culpatae vitae, nullus servus admittebatur, semel per annum procurare debebat [55]). Sed fortasse aliquis iuxta sacrificos quatuordecim feminarum, Dionyso sacra se-

52) Vid. not. 38 et Harpocrat. s. voc. ἐπιμήνια. „Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ τῆς Ἱερείας· ἔοικεν εἶναι ἐπιμήνια ἤτοι τὰ καθ' ἕκαστον μῆνα θυόμενα, ἢ τὰ ὑπὲρ ὅλου μηνὸς ἅπαξ ποτὲ γιγνόμενα θύματα." Cf. Meurs Graec. feriat. V. p. 210—214. s. v. Numenia, et Attic. lect. V. cap. 5.

53) In Midiam cap. 53. Bekk. §. 114: „εἴασέ με εἰςιτήρια ὑπὲρ τῆς βουλῆς ἱεροποιῆσαι καὶ θῦσαι καὶ κατάρξασθαι ἱερῶν."

54) Etymol. magn. in not. 39 et Demosth. in Mid. Spald. cap. 55. Bekk. §. 115: „ταῖς σεμναῖς θεαῖς ἱεροπ.... αἱρεθέντα τρίτον αὐτόν", quae lectio vulgaris sine disceptatione contra Maussaci coniecturam παρὰ τὸν αὐτόν (in not. ad Harpocrat.), a quibusdam bene acceptam, servanda est; sed verba non apte illustrantur, ut e. g. Kuehnius ad Polluc. VIII. 9. §. 107 cum suis pedissequis non tertium Eumenidum sacrificum interpretatur, sed per sortem in numero decem annuorum ἱεροποιῶν tertium factum, nempe ut Eumenidum sacra faceret: quod autem veritatem non tangit; nam Demosthenes certo tum fuit tertius inter Eumenidum sacrificos, quemadmodum e Dinarchi oratione adversus Lycurgum apud Etymol. m. s. voc. ἱεροπ. alium decimum demum eorum locum tenentem cognovimus: „καὶ τὰς σεμνὰς θεὰς αἷς ἐκεῖνος ἱεροποιὸς καταστὰς δέκατος αὐτός."

55) Meurs. Graec. feriat. lib. II. s. voc. Εὐμενίδεια.

creta administrantium, *τῶν γεραιρῶν*, commemorationem desiderare posset, praeterquam quod eas archon rex ipse institueret [56]); quas vero obiter modo transiens iterum moneo, ut hac dissertatione nullo modo plenam ullius Graecorum magistratus descriptionem praebere coner, sed nil nisi arctiorem coniunctionem civilium officiorum cum rebus sacris in uno eodemque magistratu vel etiam magistratus administro accurate ostendere cupiam.

Magis autem ad nostram rem faciunt *οἱ συλλογεῖς τοῦ δήμου*, quibus, quum alioquin ex priore interpretatione iidem semper rei pecuniariae magistratus extraordinarii personam [57]) egissent, nuperrime demum ex iustissima veteris inscriptionis [58]) illustratione Boekhius locum proprium inter graviores sacrificiorum administros adsignavit, neque tamen officium quoque iudiciale eosdem habuisse [59]) denegavit. Nam ex V. D.

---

56) Etymolog. magn. ex Dionys. Halicarnass. „*γεραιραί, παρὰ Ἀθηναίοις γυναῖκές τινες ἱεραί, ἃς ὁ βασιλεὺς καθίστησιν ἰσαρίθμους τοῖς βωμοῖς τοῦ Διονύσου, διὰ τὸ γεραίρειν τὸν θεόν.*" Pollux VIII. 9. §. 108: „*αὗται ἄῤῥητα ἱερὰ Διονύσῳ ἔθυον μετ' ἄλλης θεωρίας· καθίστη δὲ αὐτὰς ὁ βασιλεὺς οὔσας τέσσαρες καὶ δέκα.*" Eadem succinctius reddunt Hesychius et Harpocration s. voc. *γερ.*, quibuscum Demosth in Neaeram plur. loc. conferas, edit. Reisk. p. 1371—72, Bekk. V. §. 79—81.

57) Lex. Seguer. p. 304: „*συλλογεῖς· ἄρχοντες ὑπὸ τοῦ δήμου χειροτονητοί, οἵ τινες ἀπεγράφοντο τὰς οὐσίας τῶν ὀλιγαρχικῶν*"; quod etiam incertius relinquunt Harpocration eademque repetens Suidas, nil nisi ex Isaeo *ἐν τῷ περὶ μετοικισμοῦ* magistratus nomen esse perscribentes. Plane deest verbi *συλλογ.* interpretatio in Polluce atque Hesychio.

58) Nr. 99 in Corp. Inscript. Fasc. I. p. 138: „*ἐξ Ὀλυμπιείων παρὰ τῶν τοῦ δήμου συλλογέων*", quae iam prius Staatsh. d. A. tab. II. nr. 8 publicata, nec vero oper. I. pag. 170, 251; II. pag. 253 tam iusto dilucidata erat.

59) De hac cura optime observarunt Meierus in histor. iur. Attic. de bonis damnatorum. Berol. 1819. pag. 207, idemque auctor cum Schoemanno Att. Proc. p. 112, 258, 507.

argumentis *οἱ συλλογεῖς* in sacris potissimum faciendis occupati erant, ut Minervae et Jovis Olympii, qua ex re argute coniectavit, optimatium bona, quae, ut publicarentur, in indicem relata ab illis dicuntur, post anarchiam in ipsum hunc festarum epularum usum potuisse converti; ita ut, propter hoc brevi solum temporis spatio post triginta tyrannos negotium commissum, lexicographus non valde gnarus [60]) ex quodam vel oratoris vel historiographi loco oligarchorum opum perscriptionem praecipuam *τῶν συλλογέων* finxerit curam.

Postremo inter sacrarum rerum adiutores civiles a nobis enumerentur *οἱ περιστίαρχοι* [61]), interdum et *καθαρταί* dicti, qui parvis porcis, nullo membro

---

60) Vid. not. 57.

61) Egregium argumentum ex Aeschin. advers. Timarch. apud Harpocrationem forma magis amplificata asservatum est s. v. *καθάρσιον*· „*ἔθος ἦν Ἀθήνησι καθαίρειν τὴν ἐκκλησίαν καὶ τὰ θέατρα καὶ ὅλως τὰς τοῦ δήμου συνόδους, μικροῖς πάνυ χοιριδίοις, ἅπερ ὠνόμαζον καθάρσια· τοῦτο δ' ἐποίουν οἱ λεγόμενοι περιστίαρχοι, οἵπερ ὠνομάσθησαν οὕτως ἤτοι ἀπὸ τοῦ περιστείχειν ἢ ἀπὸ τῆς Ἑστίας*": quod quidem scholion fere ad verbum a Scholiaste ad Aristoph. Acharn. v. 42—44 descriptum est, qui verisimiliter lexicographum aetate priorem inspexerit. Ea vero non sunt oratoris verba integra, sed solum ad sensum e memoria consignata, et ut antiquitatis perscrutatori satis fieret plenius composita; nam Aeschines ipse de Atheniensium in rebus gravioribus consultandi genere adsueto in oratione nunc nobis exstante oper. edit. Steph. p. 4; Or. Att. Bekk. III. §. 23 scribam hanc legem tantummodo perlegere iubet: „*ἐπειδὰν τὸ καθάρσιον περιενεχθῇ, καὶ ὁ κῆρυξ τὰς πατρίους*" e. q. s., v. not. 64; de peristiarchis tamen plane silet. Quae verba succinctius quidem, sed in re eadem et Pollux VIII. 9. §. 104, ubi *περιστιάρχων* pro *ἑστιάρχων* legendum esse iam dudum doctorum virorum observationes comprobarunt, et Hesychius ac Suidas contulerunt; quibus tamen Suidas etiam haec verba addit ex Istro in Atticis: „*ἔξωθεν γὰρ (περιστίαρχοι) περιέχονται, μαχαιροφοροῦντες ἑκάστου τῶν ἱερῶν, οἰκίαις περιειλημμένοι δημο-*

mutilis [62]), comitiorum locum lustrabant, priusquam populus concionem iniret, ne quid extra *τὸ κάθαρμα* [63]), i. e. expiatam scenam, a populo, deos in consultando semper adiuvantes credente, perageretur: tum demum post piaculum circumlatum praeco vota patria facere hisque adhuc gravem exsecrationem contra cives male pro patria sentientes ac suadentes annectere debebat, atque ita ex lege ad populum referre permissum erat [64]). Eodem modo theatra a peristiarchis perlustrabantur [65]), quod ea, sicut cuncta ad ludos scenicos pertinentia, Baccho atque Veneri dicata erant, et insuper Bacchi theatrum persaepe ad conciones habendas adhi-

---

σίαις, καὶ περίδρομον ἔχοντες." Denique afferas schol. ad Aristoph. Eccles. v. 128: „*ὁ τῶν καθαρσίων προηγούμενος ἐν ταῖς ἐκκλησίαις.*"

62) *Καθαρταί* vocabantur a scholiaste ad Aristoph. Acharn. v. 44. Praeterea ex eodem Acharn. v. 784—785 apparet, ubi rustico Megarensi filias suas pro porculis vendituro Dicaeopolis opponit, iisdem qui cauda carent sacrificari non posse:

„Dic. *ἀλλ' οὐδὲ θύσιμός ἐστιν αὑτηγί.*
Meg. *σὰ μάν·*
πᾶ δ' οὐχὶ θύσιμός ἐστι;
Dic. *κέρκον οὐκ ἔχει.*"

63) Aristoph. ibid. v. 43 et 44, quibus praeco ad populum clamat; „*πάριτ' ἐς τὸ πρόσθεν..... πάριθ', ὡς ἂν ἐντὸς ἦτε τοῦ καθάρματος.*"

64) Aeschin. adv. Timarch. Steph. p. 4. Bekk. §. 23 ex lege: „*ἐπειδὰν ὁ κήρυξ τὰς πατρίους εὐχὰς εὔξηται, προχειροτονεῖν κελεύει τοὺς προέδρους περὶ ἱερῶν τῶν πατρίων καὶ κηρύκων καὶ πρεσβειῶν καὶ ὁσίων· καὶ μετὰ ταῦτα ἐπερωτᾷ ὁ κήρυξ, τίς ἀγορεύειν βούλεται τῶν ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότων.*" Cf. Demosth. adv. Timocrat. ed. Bekk. §. 20. Sigon. de rep. Ath. II. cap. 4, et praecipue Schoemann de comit. Athen. lib. I. pag. 91—95. 9; et de exsecratione insuper Demosth. de fals. legat. Steph. p. 363; Bekk. IV. §. 70: „*ταῦθ'* (nempe *τὴν ἀράν*) *ὑπὲρ ὑμῶν καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν ὁ κήρυξ εὔχεται*", et Schoemann. pag. 92. not. 9.

65) Vid. not. 61. et Polluc. ibi laudatum: „*ἐκάθαιρον ... οὗτοι καὶ τὸ θέατρον.*"

bebatur [66]), nempe ut de Dionysiis rite peragendis populus statueret, aut iniuriae peccataque circa Dionysia allata diiudicarentur.

Quemadmodum vero magistratus vel procuratores extraordinarii, de quibus nunc disseruimus, in rebus sacris occupati erant, sic quoque in ludis sub duorum archontum principum auctoritate administros curatoresque inferiore dignitate ornatos invenimus, qui quibusdam certis curis praefuerunt, nec vero ulla ratione, si severe rem recensere vis, magistratus nomen, quod posteriores lexicographi, ut Hesychius atque Suidas [67]), nimis largiter effundunt, merentur. Horum fuerunt decem Athlothetae, quos Boeckhius [68]) ac Tittmannus [69]) ex proposito obiter miserunt, equidem vero mea disquisitione implicitos percenseam necesse est. In sensu latiore, qui dignitatis titulum accurate non aestimat, athlothetae et *τῶν ἀγώνων ἐπιστάται* [70]) et *αἰσυμνῆται* [71]), porro praesertim in ludis gymnicis *βρα-*

---

66) In lege apud Demosth. in Midiam init. ed. Spalding. cap. 5. Bekk. §. 8: „*τοὺς πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν ἐν Διονύσου τῇ ὑστεραίᾳ τῶν Πανδίων· ἐν δὲ ταύτῃ χρηματίζειν πρῶτον μὲν περὶ ἱερῶν· ἔπειτα τὰς προβολὰς παραδιδότωσαν τὰς γεγενημένας ἕνεκα τῆς πομπῆς ἢ τῶν ἀγώνων τῶν ἐν τοῖς Διονυσίοις, ὅσαι ἂν μὴ ἐκτετισμέναι ὦσιν.*" Cf. praefationem eiusd. edit. p. 15—15. De Bacchi theatro in Munychia ad conciones assumto vid. Thucyd. VIII. cap. 93 et Schoemann. de comit. A. p. 57; 255—236.

67) Hesych. exempli gr. s. voo. *ἀγωνοθέται· ἀρχῆς ὄνομα Ἀθήνησιν*, qui tamen nil nisi curatores erant, quorum officium *ἐπιμέλειαν* vel *διακονίαν* Aeschin. contr. Ctesiph. Steph. p. 55—56; ed. Bekk. §. 13—15 accurate descripsit atque a magistratu diligenter distinxit. —

68) Staatsh. d. Ath. I. p. 252.

69) Darstellung d. Griech. Staatsverfassungen. Leipz. 1822. pag. 505.

70) Pollux III. c. 30. §. 140.

71) Hesych. s. voc. *αἰσυμνῆται·* „*οἱ τοῦ ἀγῶνος προεστῶντες.*" vid. not. 75.

βευταί a quibusdam [72]) auctoribus, et a Platone [73]) ac Demosthene ipsis, vocati, deinde ob virgam, dignitatis signum in festis ab iis unice adhibitum, *ῥαβδονόμοι* [74]) ac *ῥαβδοῦχοι* [75]), nec autem, ut quidam volunt, *ῥαβδοφόροι* nuncupati sunt, i. e. viatores vel accensi, qui ad quietem in theatris conservandam instituti erant [76]). Hi autem *ἀθλοθέται*, quorum dignitas *ἀθλοθεσία* vel ab Aristophane *ἀθλοθετία* dicebatur [77]), pariter ac supradicti *φυλοβασιλεῖς* e quaque decem tribuum singuli eligebantur, quod archontibus thesmothetis faciendum erat [78]), et censurae publicae subiiciebantur. Quodsi vero eorum totam officiorum provinciam perlustramus, hanc sola magnorum minorumque Panathenaeorum cura speciali definitam reperimus, quam iidem per quadriennium continuum gerebant [79]);

---

72) Pollux III. c. 50. §. 144.

73) De leg. XII ed. Steph. II. p. 949 a: „*καὶ γυμνικῶν τε καὶ ἱππικῶν ἄθλων ἐπιστάτας καὶ βραβέας.*"

74) Hesych. s. voc. *ῥάβδοι* rhabdonomum aequiparat *τῷ βραβευτῇ.*

75) Suidas III. pag. 248: „*ῥαβδοῦχοι οἱ κριταὶ τοῦ ἀγῶνος, οὓς Αἰσυμνήτας λέγουσιν.*"

76) At rhabdophori aeque ac rhabdonomi nomen communius *ῥαβδοῦχοι* gerebant: Suid. III. p. 248 ex scholio ad Aristoph. Pacem v. 733: „*ῥαβδοῦχοι ἦσαν ἐπὶ τῆς θυμέλης ῥαβδοφόροι τινὲς πρὸς εὐταξίαν τῶν θεατῶν.*" Schol. ad Platon. Protagor. „*ῥαβδοῦχοι ἄνδρες τῆς τῶν θεάτρων εὐκοσμίας ἐπιμελούμενοι.*"

77) Pollux III. cap. 50. §. 144.

78) Ibid. VIII. cap. 9. §. 87: „*καὶ κληροῦν* (nempe *τοὺς θεσμοθέτας*) *δικαστὰς καὶ ἀθλοθέτας, ἕνα κατὰ φυλὴν ἑκάστην.*"

79) Eximium ac fere unicum documentum de athlothetis Atheniensibus ab eodem quibusdam segmentis inferius traditur §. 93: „*ἀθλοθέται δέκα μέν εἰσιν, εἷς κατὰ φυλήν· δοκιμασθέντες δὲ ἄρχουσι τέσσαρα ἔτη ἐπὶ τῷ διαθεῖναι τὰ Παναθήναια, τόν τε μουσικὸν, καὶ τὸν γυμνικόν* (nempe *ἀγῶνα*, quod verbum a librariis facile omissum vix inconsiderate Kuehnius textui inserendum esse proposuit) *καὶ τὴν ἱπποδρομίαν.*" Quibuscum compa-

ita ut quodque certamen, sive musicum, iam ex Periclis tempore huic festo semper adiunctum [80]), sive gymnicum sive in equis vehendo, instituerent atque in festis diebus regerent, quam ad rem, ut maiores sumtus impendi possent, ex Minervae Poliadis aerario grandis pecuniae summa athlothetis dabatur [81]); tum in ludis ipsis usus veteres stricte observandos curarent, iustum certaminum ordinem in consequentibus diversarum artium musicarum generibus tuerentur [82]), spectatores non minus quam certaminum aemulos severa disciplina continerent, deinde victoribus palmam adtribuerent, denique cunctas lites hac occasione exortas componerent. Plerique auctores recentes athlothetas prorsus agonothetis aequiparare soliti sunt, et ob fontium inopiam rem penitus exploratam nunquam in medium proferre poterimus, num quid certo interesset inter athlothetas et agonothetas, ut. Nicander,

---

res Eleorum duos agonothetas in ludis Olympicis, a legum custodibus (οἱ νομοφύλακες) in ritibus circa sacra ludosque eruditos (Pausan. oper. lib. VI. vel Eliacor. II. cap. 24), quos ex olympiade vicesima quinta septem novis auctos Hellanodicas appellaverunt, v. ibid. lib. V. cap. 9, cui adiungas Van Dale dissertat. de Agonothetis et Hellanodicis cap. 1, quam manu paratam me non habuisse confiteor.

80) Plutarch. vit. Pericl. c. 13: „φιλοτιμούμενος δ' ὁ Περικλῆς τότε πρῶτον ἐψηφίσατο μουσικῆς ἀγῶνα τοῖς Παναθηναίοις ἄγεσθαι, καὶ διέταξεν αὐτὸς, ἀθλοθέτης αἱρεθεὶς, καθότι χρὴ τοὺς ἀγωνιζομένους αὐλεῖν, ἢ ᾄδειν, ἢ κιθαρίζειν."

81) Inscriptio I. tab. I. apud Boeckh. Staatshaush. d. A. II. p. 165, quae quarto anno olympiadis nonagesimae secundae exsculpta est: „ἀθλοθέταις παρεδόθη ἐς Παναθήναια τὰ μεγάλα, Φίλωνι Κυδαθηναιεῖ καὶ συνάρχουσιν, Ἀθηναίας Πολιάδος" quinque talenta ac mille drachmas, quae graecis signis numeralibus expressa sunt. Exemplum simile praebet ibidem inscr. II. tab. I. vol. II. p. 185.

82) Confer. de hac Periclis institutione, quam athlothetae officio perfecit, Plutarchi locum supra not. 80 exscriptum.

grammaticus poetaque notus duobus seculis ac dimidio aetate prior quam Pollux, et ob talem antiquitatem non plane negligendus, etsi forsan nimio scientiae etymologicae amore vix severus antiquitatis perscrutator, nobis apud Hesychium reliquit [83]), contendens ludos modo gymnicos demandari athlothetis, musicis vero solos praeesse agonothetas: an philologus procul ab Athenis, aut patria Colophone, aut in Aetolia vitam degens, ex etymologica verborum significatione sola in universum de certaminum iudicibus hoc discrimen constituerit. Utcunque vero se habeat, tantum tamen saltem indubium relinquitur, quin in Panathenaeis, Atheniensium republica florente, athlothetae cunctis certaminibus atque adeo nominatim musicis praeficerentur [84]). Usui autem apud Athenienses communi consentaneum est, quod inter hos decem tribules certaminum iudices unus per quoddam dierum spatium constitutum, verisimiliter dierum numero cum prytanum regimine, neque vero tribuum aequalitate [85]) con-

83) Verba, quae Ammonius quoque in verb. synonymor. lexic. atque Phavorinus (Dindorfii Grammatici veteres. Lips. 1824. vol. I.) reddiderunt, sunt s. voc. ἀγωνοθέτ. „ὥς Νίκανδρος, ἀθλοθέτης ὁ μόνα γυμνικὰ, ἀγωνοθέτης δὲ ὁ τὰ μουσικὰ ἀκροάματα διατιθέμενος·" quam vero distinctionem equidem magis grammaticam quam re comprobatam putare mihi persuasum habeam. Sed idem Hesychius ex communi horum comportantium compilatorum consuetudine s. voc. ἀθλοθέτης directissime ἀγωνοθέτην sine ulla adnotatione athlothetae dignitati vocem prorsus synonymam aequat.

84) Quod planissime Plutarchi loco, not. 80 integre descripto manifestatur.

85) Nam contra hanc opinionem, si eam defendere vis, inscriptio not. 81 excitata pugnaret, quum tribus Aegeis prytanis dignitatem tum temporis gereret, Philo autem athlothetarum praeses e pago Cydathenaeo, ad tribum Pandionidem pertinenti, adsumtus esset.

gruens, praeses censendus [86]) nobis occurrit, qui omnium athlothetarum nomine pecuniam ex aerario accipere, nec minus eodem modo rationem reddere debebat, cuius igitur nomen solum cum collegarum additione in universum, exempl. gr. „Philo athlotheta et officii socii" in tabulis inscriptionibusque publicis edebatur. Sed etiam eundem praesidem variantem reperimus apud sacrificos supra descriptos, sacrae pecuniae atque Minervae quaestores, Hellenotamias [87]) et alia curatorum collegia. Sed ut huic disquisitioni de civilibus sacrorum ludorumque curatoribus peractae finem faciam, nihil restat, quam ut pecuniarum, quae in festis ad deorum honorem ac sacra perficienda spectaculaque scenica visenda plebi distribuerentur [88]), administratores memorem; quos tamen pluribus verbis describere post Boeckhii illustrationem egregiam [89]) res plane inutilis foret. Quodsi vero nunc apud Athenienses haec munera e regia dignitate vel archontis regis vices gerentis officio profecta, demumque grandiore reipublicae statu multiplicata esse ostendimus, eadem ratione ad alios Graecorum populos pergere possumus, similiaque argumenta nanciscimur, quemadmodum

---

85) Eadem inscriptione accuratissime „τοῖς ἀθλοθέταις... Φίλωνι Κυδαθηναιεῖ καὶ συνάρχουσιν."

87) Ibid. et pluribus aliis inscriptionibus apud Boeckh. Corp. Inscr. fasc. I, et Staatsh. d. Ath. inscr. II. tab. I; X. tab. V; XII. tab. V. cum illustrationibus in volumine secundo.

88) Polluc. lib. VIII. cap. 9. §. 114: „Θεωρικὰ δὲ χρήματα εἰς τὰς ἑορτὰς καὶ θεῶν τιμὰς τῷ πλήθει νεμόμενα· καὶ τὸ διδόμενον ἐκαλεῖτο θεωρικὸν, ὥςπερ καὶ τὸ ἐκκλησιαστικὸν καὶ τὸ δικαστικόν· ὅπερ καὶ τριώβολον καὶ δυώβολον καὶ ὀβολός· ὧν ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως αἱρετὸς ἦν ἐπὶ τῶν προςιόντων καὶ ἀναλισκομένων·" nempe ita ut pecunias accipiendas ac dispensandas curaret.

89) Staatshh. d. Ath. vol. I. p. 196 et 232.

praecipue reges, ut Lacedaemoniorum [90]), Ephesi Codridae [91]), Cyrenes Battiadae [92]) aliique reges [93]) summam sacrorum atque festorum ludorumque curam tuerentur: at ne aequos nostri operis fines transgrediamur, hic sistamus, taliaque viris in antiquitate magis expertis concedamus liceat.

Nunc igitur ad aliam Aedilium munerum comparationem cum Graecis comprobatam prodire in animo

---

90) Xenophon de republ. Laced. cap. 15. §. 2: „*θύειν μὲν βασιλέα πρὸ τῆς πόλεως τὰ δημόσια ἅπαντα, ὡς ἀπὸ τοῦ θεοῦ ὄντα.*" Aristotel. Politic. edit. Heins. Elzevir. III. cap. 10: „*ἔτι δὲ τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ἀποδέδοται τοῖς βασιλεῦσιν (ἐν τῇ Λακωνικῇ πολιτείᾳ).*"

91) Strabo XIV. cap. 1. edit. Tauchn. vol, III. pag. 162: „*Ἄνδροκλον, ... υἱὸν γνήσιον Κόδρου τοῦ βασιλέως Ἀθηνῶν, γενέσθαι τοῦτον Ἐφέσου κτίστην· διόπερ τὸ βασίλειον τῶν Ἰώνων ἐκεῖ συστῆναί φασι· καὶ ἔτι νῦν οἱ ἐκ τοῦ γένους ὀνομάζονται βασιλεῖς, ἔχοντές τινας τιμάς, προεδρίαν τε ἐν ἀγῶσι καὶ πορφύραν ἐπίσημον τοῦ βασιλικοῦ γένους, σκίπωνα ἀντὶ σκήπτρου, καὶ τὰ ἱερὰ τῆς Ἐλευσινίας Δήμητρος·*" quibus afferas Pausan. Arcadic. vel. lib. VIII. cap. 13. §. 1.

92) Herodot. lib. IV. cap. 161: „*τῷ βασιλέϊ Βάττῳ τεμένεα ἐξελὼν, καὶ ἱερωσύνας, τὰ ἄλλα πάντα τὰ πρότερον εἶχον οἱ βασιλῆες, ἐς μέσον τῷ δήμῳ ἔθηκε*" sc. Demonax Mantineensis. Cf. Mannert alte Geograph. vol. X. pars II. nuperrime publicat. pag. 61 — 65.

93) Aristot. Polit. III. cap. 10: „*οἱ μὲν οὖν βασιλεῖς ἐπὶ τῶν ἀρχαίων χρόνων καὶ τὰ κατὰ πόλιν, καὶ τὰ ἔνδημα, καὶ τὰ ὑπερόρια συνεχῶς ἦρχον· ὕστερον δὲ, τὰ μὲν αὐτῶν παριέντων τῶν βασιλέων, τὰ δὲ τῶν ὄχλων παραιρουμένων, ἐν μὲν ταῖς ἄλλαις πόλεσι θυσίαι κατελείφθησαν.*" Ibid. cap. 11: „*βασιλείας μὲν εἴδη ταῦτα, τέτταρα τὸν ἀριθμόν· μία μὲν ἡ περὶ τοὺς ἡρωϊκοὺς χρόνους· στρατηγὸς γὰρ ἦν καὶ δικαστὴς ὁ βασιλεὺς καὶ τῶν πρὸς τοὺς θεοὺς κύριος·*" quibus cum locis coniungas Kreuser d. Hellen. Priesterst. pag. 11 — 15, cui quidem in citandis locis non multum confidamus. Praeterea magna exspectatione speramus proxime fore, ut Lobeckius, vir omni antiquitatis scientia praestantissimus, de hac re perscrutatu haud facili nos certiores faciat.

est, nempe aedium tam publicarum quam privatarum curam, quae non immerito in obscurissimis nostrae scientiae rebus habetur. Nam praeter quaedam inscriptionum fragmenta valde abrupta atque orationum loca ambigua fere nihil nisi perpaucas posteriorum lexicographorum adnotationes ex antiquitate accepimus: e quibus id saltem colligitur, magistratum superiorem [94]) de omnibus aedificiis apud Athenienses non reperiri, sed modo singulorum vel aedium vel ad sumsum aedificiorum generum curatores posse enumerari. Quodsi vero quis contra hanc arctiorem opinionem domorum confinii definitores, ut voce significanti uti mihi liceat, *τοὺς ὁριστάς* in medium producat, sane, si melioribus fontibus plane silentibus unicum lexici rhetorici compilatorem sequi audeamus, eos non modo publicis, sed etiam privatis aedibus consuluisse, veruntamen soli finium metiendorum officio inferiori ad geometrarum morem satisfecisse [95]) accipere debemus. Sed ad illos curatores primos referas templorum praefectos, qui apud Aristotelem [96]) nomine communi *ναοφύλακές* nobis occurrunt, apud Athenienses vero proprie *οἱ ἐπιστάται τοῦ νεώ* dicebantur, scilicet Dianae,

---

94) Vix memoratu dignum videtur, quod ex Plutarch. Pericl. cap. 13, ubi Phidias, tanquam Periclis amicus solertissimus grandibus huius viri operibus ingenio et consilio praefuisse narratur: „*πάντα δὲ διεῖπε καὶ πάντων ἐπίσκοπος ἦν αὐτῷ Φειδίας*" e. q. s., et mox infra: „*πάντα δ᾽ ἦν σχεδὸν, ἐπ᾽ αὐτῷ καὶ πᾶσιν ἐπεστάτει τοῖς τεχνίταις διὰ φιλίαν Περικλέους*": a quibusdam pessima permutatione *ἐπίσκοπος* magistratus factus sit.

95) Lex. Seg. ap. Bekk. Anecdot. I. pag. 287: „*ὁρισταί· ἀρχή τίς ἐστιν, ἥτις ἀφώριζε τὰ ἴδια καὶ τὰ δημόσια οἰκοδομήματα πρὸς τὰ οἰκεῖα ἑκάστου μέτρα, ὥςπερ τινες ὄντες γεωμέτραι καὶ ὁριοδεῖκται.*" Nam Pollux IX. cap. 1. §. 9 et Hesych. s. voc. *ὁρισταί* non nisi vocem synonymam *ὁρίζοντας*, Harpocration vero Suidasque ne vocem quidem praebent.

96) Politic. lib. VI. cap. 8 in fin.

Apollinis vel alius dei sive deae templi; qua re vulgariter propior aedis denominatio curatori adiuncta [97]), interdum quoque omissa erat [98]). Hi quidem, a Boeckhio [99]) argute cum *ἐπιστάταις τῶν δημοσίων ἔργων* collati — qui autem generaliter sic dicti ex mea sententia omnes operum publicorum, exceptis templis, custodes, itaque et viarum, navalium portuumque curatores complectebantur — non dubie templo exstruendo vel reficiendo praepositi, et unius scribae [100]) auxilio adiuti erant; sed iidem, quum in inscriptionibus ad templa spectantibus simul cum annuis curatoribus, nempe deorum quaestoribus ac sacrificis, medii inter eos positi nominarentur [101]), verisimiliter ceteram quoque templi curam praeter sacra atque pecuniarum administrationem habebant. Per se constat eosdem prae ceteris observasse operum conductores sive susceptores, qui apud Graecos in cunctis aedificiis e suscipiendi ratione *ἐργολάβοι*, vel *ἐργολῆπται* [102]), vel simpliciter *ὠνηταί* [103]), ex arte vero *ἀρχιτέκτονες* [104]) dice

---

97) Sicuti „*τοὺς ἐπιστάτας τοῦ νεὼ τοῦ ἐν πόλει*" in marmore apud Boeckh. Corp. Inscript. Fasc. I. nr. 160. v. 1.

98) Ibid. Inscr. nr. 76. pag. 116—117, quae ab eodem auctore iam publicata erat Staatsh. d. Ath. tab. II. inscr. III; vid. §. 7. vol. II. pag. 204.

99) In animadversionibus ad inscript. in not. 97 laudat. Fasc. I. pag. 276.

100) Chandler Inscr. Ant. II. 1. ex Boeckh. Staatsh. d. Ath. I. pag. 218.

101) Inscr. in not. 98 excitata: „*παρὰ δὲ τῶν νῦν ταμιῶν καὶ τῶν ἐπιστατῶν καὶ τῶν ἱεροποιῶν τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς.*"

102) Hesychius certo inepte vocem synonymam *ἀρχολάβων* pro *ἐργολάβος* affert s. voc. *ἀρχολ.*

103) Boeckh. Corp. Inscript. Fasc. I. nr. 102, et Staatsh. d. Ath. I. pag. 331. not. 42.

104) Sola artificis significatione usurpatur in Polluc. VIII. cap. 10. §. 121: „*τὸ δὲ Μητίχου δικαστήριον μέγα, οὕτω κληθὲν*

bantur. Quod autem utrumque negotium saepissime ab uno viro perficiebatur, vox *ἀρχιτέκτων* non minus operis redemptorem, *τὸν ἐργολάβον*, significat [105]).

Fere eodem modo in theatris, porticibus gymnasiisque exstruendis vel reficiendis actum est, in quibus similes curatores [106]) iidemque conductores ex inscriptionibus cognoscuntur; ita ut nihil aliud addere possimus, quam ut *ἀρχιτέκτων* ob quoddam theatrum conducendum atque semper conservandum et *θεατρώνης* et *θεατροπώλης* nominaretur, qui insuper quotannis aerario vectigal constitutum penderet, et propter hoc a quoque spectatore parvam collectam, inde a Periclis tempore pauperibus, paullo post omnibus civibus Atheniensibus ex aerario publico distributam, poscendi ius acciperet [107]); quam ob causam in tali pactione operis praefectus atque susceptor in unam personam con-

---

ἀπὸ ἀρχιτέκτονος Μητίχου"; bis in Plutarch. Pericl. cap. 15. Inscript. nr. 77 in Boeckh. Corp. Ins. I. pag. 118, ubi ter *ἀρχιτέκτονος* mentio fit, ob nimias lacunas nihil explicat.

105) Vid. Otfr. Mueller de Minervae Poliadis sacris et aede pag. 46—56, et Boeckh. Corp. Inscr. I. nr. 160. v. 2. p. 261 seq. Utramque significationem fusius exponit Lex. Seg. ap. Bekk. Anecd. I. pag. 202: „*Ἀρχιτέκτων· ὁ τῶν οἰκοδομημάτων ἐπιστάτης, καὶ ὁ ἄρχων τῶν τεκτόνων, καὶ ὁ κατὰ σκευωρίαν κατασκευάζων τι πρᾶγμα*" et pag. 450: „*Ἀρχ. δύο σημαίνει, τὸν τῶν οἰκοδομημάτων εἶναι ἐπιστάτην καὶ κυρίως τὸν ἄρχοντα τῶν τεκτόνων, ὅς καὶ τὴν διάθεσιν τοῦ κατασκευάσματος ἐπινοεῖ· λέγεται δὲ ἀπὸ τούτων ἀρχιτέκτων καὶ ὁ κατασκευάσας τινὶ καὶ ὁ σκευωρησάμενος πρᾶγμά τι. Δημοσθένης τούτῳ τῷ ἀρχιτέκτονι τῆς ὅλης φησὶν ἐπιστολῆς.*" Sic etiam Plutarchus Pericl. cap. 13 Mnesiclem utroque negotio fungentem in medium proferre videtur. Harpocration atque Suidas nonnisi s. voc. *Ἱπποδάμεια* vocem *ἀρχ.* memorant, sed ut videtur, solummodo artificis negotio, opera suscipientis publica.

106) Quemadmodum Pericles, Odei aedificandi praeses a Plutarcho vita Pericl. cap. 13 dicitur „*ἐπιστατοῦντος καὶ τούτῳ Περικλέους.*"

107) Boeckh. Staatsh. d. Ath. I. pag. 235—256, 550—551.

gruerent necesse fuit. Sed tantummodo in aedificando theatro interdum adhuc exactores vel aestimatores, qui *ἐπιτιμηταί* et *δοκιμασταί* appellati sunt, creatos esse ex marmore apud Boeckhium [108]) videmus, de quibus editoris illustrationem probabilem hic repetere sufficiat: ex qua illi aestimatores, nostra inscriptione triumviri, opus exigebant, quum conductores theatrum aedificatum tradidissent, nec non iudicabant factane omnia ex syngrapha essent, necne essent.

Quod ad cetera aedificia publica adtinet, murorum instruendorum decemviros, *τοὺς τειχοποιούς*, inter *τοὺς ἐπιστάτας τῶν δημοσίων ἔργων* relatos [109]), praemittere volumus. Hi populi iussu singuli e quaque tribu, nec vero annui, quod etiam per se intelligitur, sed solummodo ad rei necessitatem creabantur [110]); deinde censurae proprii iudicii, in quod

108) Corp. Inscript. I. nr. 102. pag. 140—141; locus est in v. 5: „*ἐπιτιμητὰς δὲ αἱρεῖσθαι Πειραιέας, ὅταν παραδιδῶσι τὸ θέατρον, τρεῖς ἄνδρας ἐκ Πειραιέων.*"

109) Aeschin. in Ctesiph. Steph. p. 55, Or. Att. Bekk. III. §. 14: „*καὶ τοὺς ἐπιστάτας, τῶν δημοσίων ἔργων — ἔστι δὲ ὁ Δημοσθένης τειχοποιὸς ἐπιστάτης τοῦ μεγίστου τῶν ἔργων.*" Pollux VIII. cap. 9. §. 119 breviter ac falso *τειχοποιός· ὑπηρεσιῶν ὄνομα* adspersit; sed Harpocration, Hesychius atque Suidas hunc curatorem publicum plane omiserunt.

110) Aeschin. l. cit. Steph. pag. 57; Or. Att. Bekk. III. §. 27: „*ἔγραψε ψήφισμα Δημοσθένης..... καὶ ἐπέταξεν ἐν τῷ ψηφίσματι, ἑκάστης τῶν φυλῶν ἑλέσθαι τοὺς ἐπιμελησομένους τῶν ἔργων ἐπὶ τὰ τείχη καὶ ταμίας, καὶ μάλα ὀρθῶς, ἵν᾽ ἡ πόλις ἔχοι ὑπεύθυνα σώματα, παρ᾽ ὧν ἔμελλε τῶν ἀνηλωμένων λόγον ἀπολήψεσθαι.*" Quibuscum coniungas Libanium in argum. orat. Demosth. p. Coron. „*ᾑρέθησαν ἐπὶ τὸ ἔργον ἄνδρες δέκα φυλῆς ἑκάστης εἷς.*" Sic etiam quaestores, qui illis curatoribus pecunias penderent, unaque cum iis expensorum rationem conficerent, a singulis tribubus, non a cuncto populo, eligebantur, Boeckh Staatsh. d. A. I. p. 185 et 217, Schoemann. de comit. Ath. pag. 374.

caussas officium suum attingentes sive etiam offendentes introducebant [111]), subiiciebantur, et magnas pecunias administrandas ex aerario accipiebant [112]), unde post negotium confectum de pecuniarum usu reipublicae scribae et logistis, sicuti ceteri magistratus *ὑπεύθυνοι*, rationem reddere debebant [113]). Sed sub eorum cura itidem *ἀρχιτέκτονες* opus exstruendum, sive murum sive aliam munitionem, suscepisse videntur, quod in Piraeo observatur, quem *ἀρχιτέκτων* Hippodamus Milesius sive Thurius in primo bello contra Persas gesto quum aedificiis amplificavit directisque viis divisit, tum primo muro, verisimiliter portum solum tuenti, cinxit [114]); unde etiam honorem adeptus est, ut ibi forum principale ab eo Hippodamium nominaretur [115]).

---

111) Aeschin. l. cit. Steph. p. 55; Or. Att. Bekk. III. §. 14: „*οἱ δὲ τῶν ἔργων ἐπιστάται πάντες ἡγεμονίᾳ χρῶνται δικαστηρίου*", et ibid. §. 27: „*ὡς τοίνυν καὶ τὴν τῶν τειχοποιῶν ἀρχὴν ἦρχεν....*, *καὶ τὰ δημοσία χρήματα διεχείριζε...*, *καὶ δικαστηρίων ἡγεμονίας ἐλάμβανε.*"

112) Sic Demosthenes a tribu Pandionide electus, circa decem talenta *τειχοποιοῦ* munere fungens e publico accepit Aeschin. l. cit. Steph. pag. 57 et 58. Or. Att. Bekk. III. §. 23 et 31: „*ὃς ἐκ τῆς διοικήσεως εἰς ταῦτα ἔχει μικροῦ δεῖν δέκα τάλαντα.*"

113) Cf. not. 110 et Aeschin. l. c. Steph. p. 56, Bekk. §. 15: „*τί τούτους (τοὺς ἐπιστάτας) κελεύει ποιεῖν (ὁ νομοθέτης); οὐ διακονεῖν ἀλλ' ἄρχειν δοκιμασθέντας ἐν τῷ δικαστηρίῳ, ἐπειδὴ καὶ αἱ κληρωταὶ ἀρχαὶ οὐκ ἀδοκίμαστοι ἀλλὰ δοκιμασθεῖσαι ἄρχουσι, καὶ λόγον καὶ εὐθύνας ἐγγράφειν πρὸς τὸν γραμματέα καὶ τοὺς λογιστὰς, καθάπερ καὶ τὰς ἄλλας ἀρχὰς, κελεύει.*" Affer. ibid. Steph. p. 58. Bekk. §. 29.

114) Schol. ad Aristoph. Equit. v. 326: „*Ἱππόδαμος ἐν Πειραιεῖ κατῴκει..... καὶ πρῶτος αὐτὸς τὸν Πειραῖα κατὰ τὰ Μηδικὰ συνήγαγεν*", cui addas Aristotel. Politic. II. cap. 6. §. 1: „*Ἱππόδαμος Μιλήσιος, ὃς καὶ τὴν τῶν πόλεων διαίρεσιν εὗρε, καὶ τὸν Πειραῖα κατέτεμε*", et ibid. VII. cap. 11. §. 8.

115) Harpocration s. v.: „*Ἱπποδάμεια, Δημοσθένης ἐν τῷ πρὸς Τιμόθεον ἀγοράν φασιν εἶναι ἐν Πειραιεῖ, καλουμένην Ἱππο-*

Deinde inter hos aedificiorum curatores *τοὺς ἐπιμελητὰς τῶν νεωρίων* enumeramus, ab Aristotele [116]) magistratibus in quaque civitate necessariis sub *λιμένων φυλάκων* nomine adsociatos, in Hesychio *νεωρούς* et *νεωριοφύλακας* dictos, qui et triremium armamenta publica custodiebant [117]), itaque cives armamenta lente parantes vel plane negligentes ex officio trierarchis atque triremis instruendae societatum praesidibus, quum portum relinquerent, tradebant [118]); et navalia locosque, per quos deducerentur triremes, purgandos procurabant [119]). Quod praeterea de instituendi iure hac in re observandum est, plurimis exemplis constat, populum de cunctis operibus publicis aut exstruendis aut reficiendis, priusquam curatores opus aggredi possent, adeoque saepius priusquam iidem nominarentur, scivisse in comitiis, nonnunquam etiam antea consuluisse

---

δάμειαν, ἀπὸ Ἱπποδάμου Μιλησίου ἀρχιτέκτονος τοῦ οἰκοδομησαμένου τοῖς Ἀθηναίοις τὸν Πειραῖα." Lex. Seg. apud Bekk. Anecd. I. p. 266 s. ead. v. *„τόπος ἐν τῷ Πειρ. ἀπὸ Ἱππ. Μ. ἀρχ. ποιήσαντος Ἀθηναίοις τὸν Πειραῖα καὶ κατατεμόντος τῆς πόλεως τὰς ὁδούς."*

116) Politic. VI. cap. 8. §. 3. — Hesych. s. voc. *νεωρός*.

117) Demosth. in Androt. Reisk. pag. 612, Bekk. IV. §. 63: *„Σάτυρος γὰρ ὁ τῶν νεωρίων ἐπιμελητὴς οὐχ ἑπτὰ τάλαντα εἰσέπραξεν ὑμῖν, ἀλλὰ τέτταρα καὶ τριάκοντα τοὺς αὐτοὺς τούτους ἀνθρώπους, ἐξ ὧν παρέθηκε τὰ σκεύη ταῖς ἐκπλευσάσαις ναυσίν."* Cf. Schol. Ulpian. ad h. l. et Sigon. de rep. Ath. IV. cap. 3. pag. 612.

118) Demosth. contra Euerg. Reisk. pag. 1145, Bekk. V. §. 21: *„ἡ μὲν ἀρχὴ ἐπεκλήρωσε καὶ παρέδωκε τοὺς ὀφείλοντας τὰ σκεύη τῇ πόλει.* (Cf. ib. §. 20. *σκεύη οὖν ἐν τῷ νεωρίῳ οὐχ ὑπῆρχε ταῖς ναυσίν, ἀλλ' ἔχοντες οἱ ὀφείλοντες οὐκ ἀπεδίδοσαν· πρὸς δὲ τούτοις οὐδ' ἐν τῷ Πειραιεῖ ὄντα ἄφθονα ὀθόνια καὶ στύππια καὶ σχοίνια, οἷς κατασκευάζεται τριήρης*) *οἱ δὲ τῶν νεωρίων ἐπιμεληταὶ τοῖς τριηράρχοις τοῖς ἐκπλέουσι τότε καὶ τοῖς ἐπιμεληταῖς τοῖς ἐν ταῖς συμμορίαις.*

119) Schol. Ulpian. not. 117 citat.

Areopagum, tanquam summam salutis tutelaeque publicae auctoritatem, ut eius sententia explorata operis suscipiendi norma teneretur, sicuti Aeschines de aedificiis circa Pnycem restaurandis [120]) nobis refert. — Sed tantummodo apud Athenienses tot munera circa aedificiorum curam occupata in medium proferre possumus, quae, ut res ipsa postulat, in urbibus minore populi frequentia et simpliciore cultura politica gaudentibus, uno duntaxat magistratu, cui insuper alia tutelae publicae officia demandata erant, quemadmodum plerumque astynomo, inspiciebantur: quod etiam Aristoteles disertis verbis nos docuit [121]).

At materiae connexus nunc tandem nos ducit ad eos magistratus, qui indubie maximam curarum similitudinem cum Romanorum Aedilibus ostendunt, qui in foris viisque securitatem publicam in latissimo verbi sensu ita tuebantur, ut quam minime tum hominum vita opesque, tum cuncta civilium institutionum commoda, damni periculo obiicerentur. Hi autem magi-

120) In Timarch. edit. Steph. pag. 11—12, Or. A. Bekk. Rem bene illustravit Schoemann. de comit. Athen. pag. 294, ubi insuper exemplum commemoratione dignissimum adscripsit e Valer. Maxim. VIII. cap. 12. exter. §. 2, quod artifices ipsi cum populo communicassent de ratione, quam sibi descripsissent operis alicuius instituendi: „nam Philo, qui armamentarium pulcherrimum Atheniensibus exstruxit (cf. Plin. hist. n. VII. cap. 57, et Cic. de Orat. I. cap. 14) „ita facunde rationem institutionis suae in theatro, i. e. in concione ibi congregata, reddidit, ut disertissimus populus non minorem laudem eloquentiae eius, quam arti tribueret."

121) Politic. VI. cap. 8: „καλοῦσι δ' ἀστυνομίαν οἱ πλεῖστοι τὴν τοιαύτην ἀρχήν· ἔχει δὲ μόρια πλείω τὸν ἀριθμόν· ὧν ἑτέρους ἐφ' ἕτερα καθιστᾶσιν ἐν ταῖς πόλεσιν πολυανθρωποτέραις· οἷον τειχοποιοὺς καὶ κρηνῶν ἐπιμελητὰς καὶ λιμένων φύλακας"; et ibidem quasdam periodos infra: „ἔνθα μὲν οὖν, ἐπὶ πᾶσι τούτοις ἀρχαὶ πλείους εἰσίν· ἔνθα δ' ἐλάττους· οἷον ἐν ταῖς μικραῖς πόλεσι μία περὶ πάντων."

stratus, apud Graecos Astynomi et Agoranomi dicti, certo in plurimis civitatibus opulentis simul instituebantur [122]), et hac solummodo distinctione, si quid in universum de eorum officiis statuere volumus, inter se differebant, ut illi magis corporum saluti atque morum curae consulerent, hi vero praecipue civium commoda in mercatura quietemque ac disciplinam in foris observarent. Sed uterque magistratus in separatis muneris partibus vel pro quibusdam diebus festis pariter ac archon rex plures adiutores sive curatores habebant, qui plerumque ab iisdem non regebantur, sed proprio arbitrio administrabant. Praeterea iuxta hos magistratus, qui tamen semper curis non gravissimis fungebantur, superius tutelae publicae atque morum moderamen continebant vel reges, vel eorum vices gerentes, vel senatus aetate maximus. Sic etiam apud Athenienses, si de salutis publicae tutela disserimus, primum occurrimus Areopago [123]), antiquissimo huius civitatis collegio, quod tam summa morum censura [124]), quam summo

122) Totum Aristotel. Politic. caput, quod nota antecedenti laudavi, ex generali magistratuum necessariorum descriptione, quos auctor sine dubitatione, nisi usu comprobatos atque vulgatos cognovisset, non inter antiquiora instituta civilia descripsisset, cogit, ut nostram opinionem veram esse accipiamus.

123) De cunctis Areopagi officiis confer. Plutarch. Solon. cap. 19, exemplorumque collectionem in Meursii Areopag., in Gronov. thes. ant. Gr. V., Tittmann Darstellung d. Griech. Staatsverf. pag. 252—257, et Meier. Att. Procefs p. 9—20.

124) Isocrat. Areopagit. ed. Steph. pag. 147; Or. A. Bekk. II. §. 57: „οὕτω γὰρ ἡμῶν οἱ πρόγονοι σφόδρα περὶ τὴν σωφροσύνην ἐσπούδαζον, ὥστε τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν ἐπέστησαν ἐπιμελεῖσθαι τῆς εὐκοσμίας" e. q. s. Itaque magistratus a populo creatos, quorum mores non bona fama celebrarentur, reiicere poterant Areopagitae, quod apparet e Demosth. pro corona Reisk. pag. 271—272; Or. A. Bekk. IV. §. 154: „τοιγαροῦν εἰδυῖα ταῦτα ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου τότε τούτῳ πεπραγμένα, χειρο-

criminum capitalium iudicio, ornatum, cuiusque civis securitatem [125]) maximamque disciplinae auctoritatem tuebatur [126]), et in omnibus casibus extraordinariis populo ultimum erat refugium; ita tamen, ut inprimis eum cognoscamus tanquam publicum consilium regens, cuius mandata magistratus inferiores exsequerentur. Sed ipse etiam in externis rebus vivendi continentiam strictissime observabat, quum nulli, qui apud cauponem in taberna prandisset, Areopagum adire liceret [127]). Singula Areopagi munera ad politiam pertinentia quum percensemus, in morum praefectura ex Solonis tempore curam habebat, ut quemque Atheniensem certo

---

τονησάντων αὐτὸν ὑμῶν σύνδικον ὑπὲρ τοῦ ἱεροῦ τοῦ ἐν Δήλῳ...... τοῦτον μὲν εὐθὺς ἀπήλασεν ὡς προδότην" e. q. s. Eodem iura Athenienses, qui post cladem apud Chaeroneam acceptam patriam deseruerant, morte damnavit Areopagus, Lycurg. contr. Leocrat. ed. Steph. pag. 154, Or. A. Bekk. III. §. 52. — Conf. de aliis morum censurae exemplis Demosth. in Neaeram, Reisk. p. 1572, Bekk. V. §. 80.

125) Dinarch. contr. Demosth. ed. Steph. pag. 104; Or. A. Bekk. III. §. 112: „καὶ τὴν κοινὴν τῶν ὑμετέρων σωμάτων φυλακήν, ἐφ' ᾗ τέτακται τὸ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ συνέδριον."

126) Lysias in Euandr. ed. Steph. pag. 176; Or. A. Bekk. I. §. 11: „μετὰ τῆς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλῆς τὸν ἅπαντα χρόνον τῶν μεγίστων κύριος γένεσθαι."

127) Athenaeus XIII. cap. 7. edit. Casaub. pag. 615: Ὑ„περίδης.... τοὺς ἀρεοπαγίτας φησὶν ἀριστήσαντα τινὰ ἐν καπηλείῳ κωλῦσαι ἀνιέναι εἰς Ἄρειον πάγον." Potterus Archaeolog. Graec., Rambach. interpret. Germanic. I. pag. 211 hoc vetitum perperam ad archontes solos designavit, qui tali modo vix unquam contra se peccaverint. Sed ceterum Areopagitae ad gravissimam vivendi rationem adstricti erant, in consessibus nunquam ridere poterant, et propriam legem a Plutarcho nobis traditam observabant, qua cuique Areopagitae interdictum erat, ne comoedias scriberent; de glor. Atheniens. oper. ed. Francof. sec. II. p. 348 B. Conf. Aeschin. in Timarch. Steph. 12, Bekk. III. §. 81 — 84.

quaestui, unde ali posset, operam dare observaret [128]), atque in otiosos animadverteret, ne ii rei publicae molesti fierent aut vitae plane perditae dederentur [129]). Quam ob rem iam primae civium iuventuti consulebant Areopagitae, ita ut sub eorum cura singulari gymnasiorum praefecti, *οἱ κόσμηται* [130]) vel *οἱ σωφρονισταί* [131]) — quibuscum Lacedaemoniorum paedonomi congruere videntur [132]) — deni quotannis e singulis tribubus singuli creati, prudenti institutione bonos epheborum mo-

128) Plutarch. Solon. cap. 22: „*καὶ τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν ἔταξεν (ὁ Σόλων) ἐπισκοπεῖν, ὅθεν ἕκαστος ἔχει τὰ ἐπιτήδεια, καὶ τοὺς ἀργοὺς κολάζειν.*" Valer. Maxim. II. cap. 6. §. 4 fusius hanc rem exposuit: „est et eiusdem urbis sanctissimum consilium Areopagus, ubi quid quisque Atheniensium ageret, aut quonam quaestu sustentaretur, diligentissime inquiri solebat; ut homines honestatem, vitae rationem memores reddendam esse, sequerentur." Conf. insuper Isocrat. Areopagit.; Steph. pag. 148—149, Bekk. II. §. 43—48, et Diogen. Laert. in Cleanthis vita VII. cap. 5. §. 2.

129) Athenaeus IV. cap. 19. pag. 168. A. B. ... „*ὅτι δὲ τοὺς ἀσώτους καὶ τοὺς μη ἔκ τινος περιουσίας ζῶντας τὸ παλαιὸν ἐκάλουν τὲ οἱ Ἀρεοπαγῖται καὶ ἐκόλαζον, ἱστόρησαν Φανόδημος καὶ Φιλόχορος ἄλλοι τε πλείους.*"

130) Erotianus in lexic. Hippocrat. s. voc. *κόσμου*· „*Κοσμητάς τοὺς ἐφήβων εὐταξίας προνοοῦντας*", quod exemplum mutuatus sum a Meursio lect. Attic. II. cap. 5. pag. 65, qui et tres inscriptiones Graecas affert, cosmetarum mentionem facientes, tertiam adhuc verbo *κοσμητεύειν* utentem.

131) Etymologic. magn. et lex. Seguer. apud Bekk. Anecd. I. p. 301. s. voc. *σωφρονισταί*· „*ἄρχοντές τινες χειροτονητοί, δέκα τὸν ἀριθμόν, ἑκάστης φυλῆς εἷς ἐπεμελοῦντο δὲ τῆς σωφροσύνης τῶν ἐφήβων, μισθὸν παρὰ τῆς πόλεως λαμβάνοντες ἕκαστος καθ' ἡμέραν δραχμήν.*" Harpocration atque Suidas de his nihil praebent, Hesychius vero inutiliter vocem synonymam *νουθετητής*.

132) Hesych. s. voc. *παιδονόμος*· „*ἀρχή τις παρὰ Λάκωσι.*" Sine alia adnotatione historica invenies *παιδονόμον* generaliter iuventutis moderatorem dictum apud Aristotel. Polit. IV. cap. 15 duobus locis.

res ornarent, et mercedis loco quotidie unam drachmam pro singulis ex aerario accipientes caverent, ne levius adolescentes suo iure agentes laberentur. Nec minus autem in moribus custodiendis feminarum luxui atque insanis epularum sumtibus, tam in familiaribus conviviis, quam in nuptiis atque sacris factis [133]), Areopagus praepositus erat, quo in posteriore officio serius demum post reipublicae libertatem amissam [134]) proprios administros assumsit feminarum custodes, *τοὺς γυναικονόμους* [135]), vel in aliis Graecorum civitatibus, forsan etiam Athenis, *τοὺς γυναικοκόσμους* appellatos, quorum vero neque numerum, neque electionis modum novimus [136]). At praeter eos tres quoque bi-

133) Athenaeus VI. cap. 11. pag. 245. C.: „*καὶ Φιλόχορος δ' ἐν ἑβδόμῃ Ἀτθίδος οἱ γυναικονόμοι, φησὶ, μετὰ τῶν Ἀρεοπαγιτῶν ἐσκόπουν τὰς ἐν ταῖς οἰκείαις συνόδους, ἔν τε τοῖς γάμοις καὶ ταῖς ἄλλαις θυσίαις.*"

134) In Menandri Comici (342 † 293 a. Ch. nat.) temporibus lex fuit recens, quae gynaeconomos etiam convivas invitatos percensere et quemque supra numerum triginta accedentem irritum dimittere iussit, quod Athenaeus loc. cit. ex illius Cecryphalo refert:

„Παρὰ τοῖς γυναικονόμοις δὲ τοὺς ἐν τοῖς γάμοις
Διακονοῦντας ἀπογεγράφθαι πυθόμενος
Πάντας μαγείρους κατὰ νόμον καινόν τινα,
Ἵνα πυνθάνωνται τοὺς κεκλημένους, ἐὰν
Πλείους τις ὧν ἔξεστιν ἑστιῶν τύχῃ
Ἐλθών."

Cf. not. sequent.

135) Athenaeus loc. cit.: „*καὶ τῶν γυναικονόμων ἀριθμούντων, τοὺς κεκλημένους, καὶ κελευόντων αὐτὸν ἀποτρέχειν ὡς παρὰ τὸν νόμον ἐπὶ τοῖς τριάκοντα ἐπόντος. ὅτι δ' ἦν ἔθος τοὺς γυναικονόμους ἐφορᾶν τὰ συμπόσια καὶ ἐξετάζειν τῶν κεκλημένων τὸν ἀριθμον, εἰ ὁ κατὰ νόμον ἐστί.*" e. q. s.

136) Sigonius de republ. Athen. IV. cap. 3, qui insuper inter gynaeconomos et gynaecocosmos male distinguit, Maussacus ad Harpocration. pag. 255 et Meursius lect. Att. II. cap. 5. p. 65 ex Pollucis loco infra citato, ob malam signorum distin-

bendi custodes, *οἱ οἰνόπται*, in epulis coercendis occupati erant, qui curatores administrique inferioris gradus [137]), per ludibrium a munere celebrantibus ingrato oculi appellati [138]), iam in florenti reipublicae statu instituti erant, quare Eupolis Comicus, Alcibiadis aequalis, eos ioci caussa iamiam memoravit [139]). Hi in publicis epulis ellychnia et lucernas ceterumque apparatum idoneum praebebant, nec non aequam obfervabant potationem [140]), quam etiam in privatis conviviis grandioribus rexisse videntur [141]). Miror tamen Sigonium [142]) oenoptarum curam tantummodo adtraxisse ad prandia, certo ob vocem *δεῖπνον* in Athenaeo, quum nihil magis auctoribus Atheniensibus comprobatur, quam ut apud hunc populum *τὸ δεῖπνον* coena es-

---

ctionem male intellecto, viginti — vel etiam triginta — viros gynaeconomos in medium proferunt; verba enim sequentia de viginti viris, post triginta tyrannos expulsos ad rempublicam instituendam electis, cum gynaeconomis adiungunt: sed haec iam reprobraverunt virorum doctorum animadversiones ad h. l. in edit. Hemsterhusiana. Meierus Att. Proc. pag. 97 gynaeconomos sorte creatos putat.

137) Athenaeus X. pag. 425: „*καὶ ἦν ἡ ἀρχὴ εὐτελής, ὡς ὁ ῥήτωρ φησὶ Φιλῖνος ἐν τῇ Κροκαριδῶν διαδικασίᾳ.*" Hesych. s. voc. *οἰνόπται·* „*ἀρχὴ εὐτελής, καθ' ἣν θρυαλλίδας καὶ λύχνους καὶ τὰ τοιαῦτα δεῖ τὸν αἱρεθέντα ἄρχοντα παρέχειν.*"

138) Hac ratione Athenaei verba X. pag. 425 explicanda esse censeo „*ἐκάλουν δέ τινες τούτους καὶ ὀφθαλμούς.*",

139) Ibid.: „*ἀρχὴ γοῦν εἰσὶν οἱ οἰνόπται παρὰ Ἀθηναίοις, ὡς μνημονεύει ἐν ταῖς πόλεσιν Εὔπολις*" e. q. s.

140) Ibid.: „*οἱ δὲ οἰνόπται οὗτοι ἐφεώρων τὰ ἐν τοῖς δείπνοις, εἰ κατ' ἴσον πίνουσιν οἱ συνόντες· καὶ ὅτι τρεῖς ἦσαν οἱ οἰνόπται, οἵτινες καὶ παρεῖχον τοῖς δειπνοῦσι λύχνους καὶ θρυαλλίδας.*" Pollux VI. cap. 3. §. 22: „*οἰνόπτης, ὁ τὸν οἶνον ἐπιβλέπων· οὗτος δὲ καὶ λύχνους καὶ θρυαλλίδας παρεῖχε, καὶ τὴν ἐξ ἴσου πόσιν ἐφεώρα.*" Cf. not. 137.

141) Ex Athenaei verbis in not. antecedenti colligi potest.

142) In republ. Athen. IV. cap. 3. pag. 621.

set, quae saepissime usque ad multam vesperam convivas contineret.

Sed ad gynaeconomos redeundum est, qui, ut mihi verisimillimum videtur, iam antea, quam epularum curam accepissent, apud Athenienses instituti erant, ut τῷ κόσμῳ γυναικῶν consulerent, quod quidem non ornamenti significatione, sed potius εὐταξίας, bonorum morum intelligendum est, quam ob rem eas feminas γυναῖκας ἀκοσμούσας nuncupatas esse censeo, quae contra morum decorisque disciplinam egerint ac peccaverint. In has iam Solon severissime animadverterat constitueratque [143]), ut mulier, quae in adulterio comprehenderetur, vestibus ornatis atque sacris publicis se abstineret, ne puras consuetudine sua corrumperet; et ut ea contra legem comta per vias incedens aut sacra concelebrans a quoque cive occurrenti impune violari ac verberari posset, dummodo noxia nec occideretur, nec mutilaretur. Itaque Pollucis locus [144]), qui praecipue de gynaeconomis nos edocet, epularum coercitionem plane silet, et solummodo de effrenium feminarum punitione loquitur, quam iidem ita severe intendere poterant, ut feminarum impudicarum nomina, mulctas ea-

143) Aeschin. contr. Timarch. ed. Steph. pag. 26; Or. A. Bekk. III. § 183: „ὁ δὲ Σόλων, ὁ τῶν νομοθετῶν ἐνδοξότατος γέγραφεν ἀρχαίως καὶ σεμνῶς περὶ τῆς τῶν γυναικῶν εὐκοσμίας· τὴν γὰρ γυναῖκα, ἐφ᾽ ᾗ ἂν ἁλῷ μοιχὸς, οὐκ ἐᾷ κοσμεῖσθαι, οὐδὲ εἰς τὰ δημοτελῆ ἱερὰ εἰσιέναι, ἵνα μὴ τὰς ἀναμαρτήτους τῶν γυναικῶν ἀναμιγνομένη διαφθείρῃ· ἐὰν δ᾽ εἰσίῃ ἢ κοσμῆται, τὸν ἐντυχόντα κελεύει καταῤῥηγνύναι τὰ ἱμάτια, καὶ τὸν κόσμον ἀφαιρεῖσθαι, καὶ τύπτειν, εἰργόμενον θανάτου, καὶ τοῦ ἀνάπηρον ποιῆσαι· ἀτιμῶν τὴν τοιαύτην γυναῖκα, καὶ τὸν βίον ἀβίωτον αὐτῇ παρασκευάζων."

144) VIII, cap. 9. § 112: „γυναικοκόσμοι (cum Hemsterhusio vulgatam lectionem aliis similibus vocis compositionibus comprobatam, et in ineptis librariorum negligentia in γυναικοκόμοι deperditam, pro γυναικονόμοι servo) δὲ ἀρχοὶ ἐπὶ τοῦ κόσμου τῶν γυναικῶν· τὰς δὲ ἀκοσμούσας ἐζημίουν, καὶ τὰς ζημίας αὐτῶν γράφοντες ἐξετίθεσαν ἐπὶ τῆς πλατάνου τῆς ἐν Κεραμεικῷ."

rumque caussas, in alba tabula proscriptas [145]) ad platanum in Ceramico, loco alioquin non semper honesto [146]), affigerent. Mulcta vero gravissime in mille drachmas e Philippidis lege constituta esse dicitur, ut Harpocration [147]) ex Hyperide et Crobylo comico nobis asservavit. Sed dubitari vix potest, quin gynaeconomi, astynomorum officium in lenociniis adiuvantes [148]), libidinum quoque interpretes, matrimonia corrumpentes, castigarent, saltem tamen custodirent, qui in re deprehensi adeo capitali supplicio e Solonis legibus plecti deberent, quum iis maximam adulterii commissi culpam adtribueret legislator [149]), postea, ut adulteri ipsi paediconesque apud thesmothetas accusarentur [150]). Similes vero mulierum disciplinae curatores reperiuntur et apud Lacedaemonios, ut *ἁρμοσύνοι* [151]), a verbo *ἁρμόζειν* pari ornandi significatione, ac *τοῦ κοσμεῖν* sic

145) Hesych. s. voc. *πλάτανος· „δένδρον, πρὸς ὅ οἱ γυναικονόμοι τὰς ζημίας ἐν λευκώματι ἐξετίθεσαν."*

146) Hesych. s. voc. *Κεραμεικός· „τόπος Ἀθήνησιν, ἔνθα αἱ πόρναι προεστήκεσαν· εἰσὶ δὲ δύο Κεραμεικοί, ὁ μὲν ἔξω τείχους, ὁ δὲ ἐντός.*

147) S. voc. *ὅτι· „ὅτι χιλίας ἐζημιοῦντο αἱ κατὰ τὰς ὁδοὺς ἀκοσμοῦσαι γυναῖκες, Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Ἀρισταγόρας δευτέρῳ εἴρηκεν. Κρώβυλος δὲ ὁ κωμικός φησι τοῦ Φιλιππίδου τὸν νόμον εἶναι τὸν περὶ τούτων κείμενον."*

148) Vid. huius magistratus descriptionem mox sequentem.

149) Aeschin. in Timarch., Steph. p. 26; Or. A. Bekk. III. §. 184: *„καὶ τοὺς προαγωγοὺς γράφεσθαι κελεύει, κἂν ἁλῶσι, θανάτῳ ζημιοῦν, ὅτι τῶν ἐξαμαρτάνειν ἐπιθυμούντων ὀκνούντων καὶ αἰσχυνομένων ἀλλήλοις ἐντυγχάνειν αὐτοὶ τὴν αὑτῶν ἀναίδειαν παρασχόντες ἐπὶ μισθῷ, τὸ πρᾶγμα εἰς διάπειραν καὶ λόγον διέστησαν."*

150) Ibid. §. 16, 160 et ſeq., quibuscum confer. Meier. Att. Proc. pag. 66.

151) Hesych. s. voc. *Ἁρμοσύνοι· „ἀρχή τις ἐν Λακεδαίμονι ἐπὶ τῆς εὐκοσμίας τῶν γυναικῶν."* Confer. Aristotel. Politic. II. cap. 7 de feminarum conditione apud Spartanos.

dicti; et apud alios Graecorum populos, ut *τεμποῦροι*[152]) ac verisimiliter pluribus aliis nominibus appellati, quia digna antiquitatis testimonia [153]) hanc curam supra plurimas civitates maiores extensam esse manifestant, atque in quibusdam ita severam, ut mulieres nunquam in foris aspici possent [154]). — Sed morum praefectura nunc missa, ad reliquam Areopagi administrationem transeamus. In homicidiis puniendis prae ceteris ea, quibus hominis clam occidendi consilium inesset, diiudicabat, itaque de caedibus, quae venificio aut igni diligenter perpetratae erant, iudicium exercebat [155]), quod inquirendum apud Romanos Aedilium erat, deinde tamen, sicuti in caussis circa res sacras,

---

152) Hesych. s. voc. *Τεμποῦροι· „ἀρχὴ ἐπιμελουμένη τῶν γυναικῶν εὐκοσμίας."*

153) Aristot. Polit. VI. cap. 8 in fin.: *„ἰδία δὲ ταῖς σχολαστικοτέραις καὶ μᾶλλον εὐημερούσαις· πόλεσιν, ἔτι δὲ φροντιζούσαις εὐκοσμίας, γυναικονομία, νομοφυλακία, παιδονομία."* Cf. ibid. IV. cap. 15. plur. locis: quibus addas Menandrum rhetor. apud Meurs. lect. Attic. II. cap. 5: *„καὶ γὰρ γυναικονόμους πολλαὶ τῶν πόλεων εἰσὶν αἱ χειροτονοῦσαι."*

154) Ibid.: *„ἐν αὐταῖς δὲ τῶν πόλεων οὔτε πρὸ πληθούσης ἀγορᾶς νέον φαίνεσθαι, οὔτε μετὰ δείλην ὀψίαν καλόν· οὐδὲ γυναῖκα καπηλεύειν, ἢ ἄλλό τι ποιεῖν τῶν κατὰ τὴν ἀγοράν."*

155) Lex *ἐκ τῶν φονικῶν νόμων τῶν ἐξ Ἀρείου πάγου* apud Demosth. in Aristocrat. Reisk. p. 627, Bekk. IV. §. 22, quam iisdem verbis repetit Pollux VIII. cap. 10. §. 117: *„Ἄρειος πάγος δίκαζε δὲ φόνου καὶ τραύματος ἐκ προνοίας, καὶ πυρκαϊᾶς, καὶ φαρμάκων, ἐάν τις ἀποκτείνῃ δούς"* e. q. s., quibuscum conf. ibid. §. 118 et 125, et Lucian. Anachars. cap. 19: *„πυρκαΐαν δικάζει"*, et de originibus huius iudicii Meurs. Areopag. in Gronov. thes. Gr. A. vol. X, eiusd. lect. Attic. V. cap. 4. Atque Meierus Att. Proc. pag. 145. not. 34 demonstrare studet, Areopagum per quosdam annos Periclis auctoritate amisisse capitis quaestionem, quam demum post triginta tyrannos expulsos receperit. Vid. insuper Plutarch. praecepta reipubl. gerend., oper. edit. Francof. sec. II. pag. 812. C.

post Aedilium quaestionem senatus ultimum iudicium reddebat. Praeterea Areopagum in alia internae administrationis parte regentem videmus, ea quidem, quae spectat ad sanitatem publicam: quae quamvis re vera non multum laudari potest in antiquitate, tantum tamen, quantum prospiceretur apud Athenienses, Areopago demandatum erat, quemadmodum iam Meursius ex Hygini fabulis [156]) exposuit. Qua ex re suspicari licet, medicos quoque publicos sub Areopagi cura muneri suo incubuisse, qui haud dubie iam seculo quinto ante vulgarem temporum rationem Athenis repererentur. Nam certissime Aristophanes in Acharnensibus [157]), ad medicos publicos alludens, Dicaeopolim rustico ob nimiam lamentationem oculis aegroto auxilium negantem dicere iubet:

„ἀλλ᾽ ὦ πόνηρ᾽, οὐ δημοσιεύων τυγχάνω."

et sequenti versu patientem ad Atheniensium medicum mittit:

„οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ κλαῖε πρὸς τοὺς Πιττάλου." [158])

quem Suidas *Σπίτταλον* scribens clarissimum tunc temporis Athenis fuisse medicum docet. Deinde Areopagus ut summum salutis publicae consilium summa cura circa res sacras fungebatur [159]), praesertim quum totus religionis cultus nova doctrina falsisque sententiis in

---

156) Cap. 274. ap. Meurs., Gron. th. A. pag. 2116.

157) V. 1043 — 1045.

158) Pittalus iterum ab Aristophane laudatur v. 1256. Suidae locus est in edit. Kuster. III. pag. 362.

159) Demosth. in Neaeram, Reisk. pag. 1372, Bekk. V. §. 80: „ἡ βουλὴ ἡ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, ὥςπερ καὶ τἆλλα πολλοῦ ἀξία ἐστὶ τῇ πόλει περὶ εὐσέβειαν...... καὶ περὶ τῶν ἱερῶν πρόνοιαν ἐποιεῖτο." Cf. quae de archonte rege supra scripsimus.

perniciei discrimen incidere posset [160]); quod non raro Areopagi sententiam expostulavit. Nam plura poenarum genera in talibus criminibus adhibita reperimus, et mulctae iudicium usque ad exilium cicutaeque potionem persequi possumus. Ex hac enumeratione munerum, quae Areopagus semper gerebat, non aegre coniectari poterit, in quibusnam casibus extraordinariis ad eum provocarent Athenienses. Erant enim eae res, quae ad astynomorum atque agoranomorum officia, iam alioquin cum Areopagi curis valde coniuncta, pertinentes ulla occasione oblata vim solita maiorem nancisci potuissent, ut utilitas publica graviter commoveretur. Quam ob rem Areopagum post bella contra Persas gesta in viarum cura [161]) occupatum videmus, ne viae in urbe restauranda novis domibus exstructis inaedificarentur, aut, architectis cancellos ad eas positos

---

160) Harpocrat. s. voc. *ἐπιθέτους ἑορτάς· „ἐλέγετο δὲ παρ' αὐτοῖς καὶ ἐπίθετά τινα, ὁπόσα μὴ πάτρια ὄντα ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴ ἐδίκαζεν, ὡς σαφὲς ποιεῖ Λυσίας ἐν τῇ πρὸς τὴν Μιξιδήμου γραφὴν ἀπολογίᾳ."* Quae repetita sunt in Suida ac Etymolog. magn. Isocrat. Areopagit., Steph. pag. 145; Bekk. II. §. 50: *„ἀλλ' ἐκεῖνο μόνον ἐτήρουν, ὅπως μηδὲν μήτε τῶν πατρίων καταλύσουσι, μήτ' ἔξω τῶν νομιζομένων προςθήσουσιν."* Quibuscum confer. Diogen. Laert. in Stilponis vita II. cap. 12. §. 5, ubi Stilpo Phidiae Minervam, quia Phidiae, non Iovis esset, non ipsam deam censere vellet, *„ἐφ' ᾧ καὶ εἰς Ἄρειον πάγον προςκληθέντα μὴ ἀρνήσασθαι, φάσκειν δ' ὀρθῶς διειλέχθαι· μὴ γὰρ εἶναι αὐτὴν θεὸν, ἀλλὰ θεάν· θεοὺς δὲ εἶναι τοὺς ἄῤῥενας· καὶ μέντοι τοὺς Ἀρεοπαγίτας εὐθέως αὐτὸν κελεῦσαι τῆς πόλεως ἐξελθεῖν."* Ibid. in Aristippo II. cap. 8. §. 15; tum in Plutarch. de placit. Philos. I. cap. 7, quo loco Euripides, Areopagum metuens, opinionem deos non esse non aperte proposuisse dicitur; postremo Cicer. de leg. II. cap. 15. §. 57.

161) Heraclid. Pont. de politiis, in Athen.: *„Θεμιστοκλῆς καὶ Ἀριστείδης, καὶ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴ πολλὰ ἐδύναντο, καὶ τῶν ὁδῶν ἐπεμελοῦντο, ὅπως μή τινες ἀνοικοδομῶσιν αὐτὰς, ἢ δρυφάκτους ὑπερτείνωσιν."*

transgredientibus, coarctarentur. Nec minus e simili ratione Areopagitae eos, qui mensurarum atque ponderum exemplaria, in locis mercaturae aptissimis bono publico proposita, corruperant, puniebant [162]): qua in re tamen oblivisci nolumus adnotare, inscriptionem hoc summi iudicii officium tradentem omnino non excedere Romanorum imperium in Graecia. Denique non possumus, quin Areopagi auctoritati extra ordinem addamus, quod statuas, coronas aliosque honores ac dona honorifica, vel populo solo, vel populo cum senatu ad eum provocante, adiudicaret [163]); quamvis partim Areopagus ob summam morum censuram, de qua supra locuti sumus, haec gloriae testimonia iam tribuere deberet.

Quemadmodum vero apud Athenienses in moribus moderandis aliisque rebus aedilitiis Areopagum cum Aedilibus comparavimus [164]), sic apud Spartanos [165]), Messenios, Cyrenaicos et Heracleenses, ut hos modo nominem, Ephororum magistratum aequiparare possumus. Spartanorum enim Ephori, a Romanis aucto-

162) Boeckh. Staatsh. d. Ath. inscr. 19. tab. 8. vol. II. p. 354. §. 9: „ἐπιμελείσθω δὲ καὶ ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου, καὶ τὸν κακουργοῦντά τι περὶ τούτων κολαζέτω κατὰ τοὺς ἐπὶ τῶν κακοῦργων κειμένους νόμους."

163) Vid. exempla, quae collegit Tittmann. Darstellung d. Griech. Staatsverf. pag. 256—257.

164) Per se quidem intelligitur, hoc l. me ob brevitatem diligenter Censorum coniunctionem in hac cura notissimam silentio praeteriisse, atque in posteriora sustulisse capita, lib. III. cap. 7 et 10.

165) De cunctis Ephororum officiis praeter Mansonis librum, in omnium manibus versantem, legas succinctam sed accuratam huius magistratus descriptionem a Tittmanno oper. laudat. pag. 104—117 concinnatam.

ribus ipsis [166]) cum tribunis plebis comparati, sicuti Areopagitae, supremam totius administrationis tutelam habebant [167]), itaque regum ac imperatorum emissorum delicta perduellionisque crimina inquirebant [168]). Sed eodem quoque modo inprimis morum disciplinam observabant [169]), in otiosos animadvertebant [170]), fori mercaturaeque curam gerebant [171]), quam ob rem semper consessus suos atque etiam curiam suam, *τὸ ἐφορεῖον*, in foro habebant [172]). Tum iidem publicam educationem moderabantur, paedonomos quidem ac gy-

---

166) Cicer. de leg. III. cap. 7. §. 16; Valer. Maxim. IV. cap. 1; extern. §. 8.

167) Aristotel. Politic. II. cap. 7; Pausan. III. cap. 11. §. 2.

168) De regibus conf. Xenophon. Agesil. cap. 1. §. 36; Plutarch. in Agide plurib. locis cap. 7, 10, 11, 19; eundem in Agesil. cap. 4; de imperatoribus vid. eund. in Lysandr. cap. 19—20. De coniurstionis crimine refert Xenophon. Hellen. III. cap. 3. §. 5: „*κατηγορεύει τις πρὸς τοὺς ἐφόρους ἐπιβουλὴν καὶ τὸν ἀρχηγὸν τοῦ πράγματος Κινάδωνα*" e. q. s.

169) Xenophon de republ. Lacedaem. cap. 8. §. 4; Aelian. Var. hist. III. cap. 10; Plutarch. in Agide cap. 10; eiusd. instituta Laconica in fin., oper. edit. Francof. II. pag. 239—240.

170) Schol. ad Thucyd. I. cap. 84. nr. 4, edit. Poppon. II, 2. p. 314: „*ἐν γὰρ Λακεδαίμονι ἔφοροί τινες ἦσαν, οἳ εἴ τινα ἴδοιεν ἀργοῦντα, τοῦτον ἔτυπτον, λέγοντες ὅτι ὁ ἀργῶν καὶ τῶν νόμων σπεύδει καταφρονεῖν.*"

171) Etymolog. Gudianum: „*ἔφοροι οἱ τὰ τῶν πόλεων ὤνια ἐπισκεπτόμενοι*", et apud Athenienses quoque in veteribus legibus *ἀγορά* dicta erat *ἐφορία* Demosthen. in Aristocrat. Reisk. pag. 632, Bekk. IV. §. 59. Cf. Otfr. Mueller. Dorier II. p. 116.

172) Aelian. Var. hist. II. cap. 15: „*τοὺς τῶν ἐφόρων θρόνους, ἔνθα εἰώθασι καθήμενοι χρηματίζειν καὶ τῶν πολιτικῶν ἕκαστα διατάττειν.*" Pausan. III. cap. 11. §. 3: „*Λακεδαιμονίων τοῖς Σπάρτην ἔχουσίν ἐστιν ἀγορὰ θέας ἀξία, καὶ τῆς τε γερουσίας βουλευτήριον, καὶ τῶν ἐφόρων, καὶ νομοφυλάκων, καὶ καλουμένων Βιδιαίων ἀρχεῖά ἐστιν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς.*" Cf. insuper Plutarch. Agis cap. 12 et 16, et Spartanorum apophthegmata, oper. ed. Francof. II. p. 232.

mnopaedia inspiciebant ephebosque continebant [173]), quinqueviris Bidiaeis: hoc in officio ephoros adiuvantibus [174]). Praeterea Ephori ludos publicos [175]) procurabant, litesque in his exortas diiudicabant, atque sacra quaedam in festo Minervae Chalcioecae, epheborum pompam ornantia, administrabant [176]): denique in publicis epulis praesidebant [177]), vestium

---

173) Xenoph. respubl. Laced. cap. 4. §. 3—6: „αἱροῦνται τοίνυν αὐτῶν οἱ ἔφοροι ἐκ τῶν ἀκμαζόντων τρεῖς ἄνδρας· οὗτοι δὲ ἱππαγρέται καλοῦνται· τούτων δ᾽ ἕκαστος ἄνδρας ἑκατὸν καταλέγει διασαφηνίζων, ὅτου ἕνεκα τοὺς μὲν προτιμᾷ, τοὺς δὲ ἀποδοκιμάζει...... Ἢν δέ τις (τῶν ἡβώντων) ἀπειθῇ τῷ διαλύοντι, ἄγει αὐτὸν ὁ παιδονόμος ἐπὶ τοὺς ἐφόρους. οἱ δὲ ζημιοῦσι μεγαλείως, καθιστάναι βουλόμενοι εἰς τὸ μήποτε ὀργὴν τοῦ μὴ πείθεσθαι τοῖς νόμοις κρατῆσαι." Aelian. V. hist. XIV. cap. 7: „προςεγέγραπτο δὲ τῷ νόμῳ, καὶ διὰ δέκα ἡμερῶν πάντως τοῖς Ἐφόροις τοὺς ἐφήβους παρίστασθαι γυμνοὺς δημοσίᾳ."

174) Pausan. III. cap. 11. §. 2: „τοῖς δὲ ἐφόροις καὶ Βιδιαίοις πέντε ἀριθμὸν ἑκατέροις οὖσι, τοῖς μὲν ἐπὶ τῷ τὰ Πλατάνιστα καλούμενα καὶ ἄλλους τῶν ἐφήβων ἀγῶνας τιθέναι καθέστηκεν." Vid. Bidiaeorum curiam propriam in foro not. 172. Cf. Mueller. Dorier II. p. 127—128.

175) Xenoph. Hellen. VI. cap. 4. §. 16. Lacedaemoniorum a Thebanis apud Leuctra victorum nuntius: „εἰς τὴν Λακεδαίμονα ἀγγελῶν τὸ πάθος ἀφικνεῖται, γυμνοπαιδιῶν τε οὐσῶν τῆς τελευταίας, καὶ τοῦ ἀνδρικοῦ χοροῦ ἔνδον ὄντος. οἱ δὲ ἔφοροι ἐπεὶ ἤκουσαν τὸ πάθος, ἐλυποῦντο, ὥςπερ οἶμαι ἀνάγκη· τὸν μέντοι χόρον οὐκ ἐξήγαγον, ἀλλὰ διαγωνίσασθαι εἴων." Eadem fusius narrat Plutarch. Agesil. cap. 29.

176) Polyb. IV. cap. 35. §. 2: „κατὰ γάρ τινα θυσίαν πάτριον ἔδει τοὺς μὲν ἐν ταῖς ἡλικίαις μετὰ τῶν ὅπλων πομπεύειν ἐπὶ τὸν τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Χαλκιοίκου νεών, τοὺς δ᾽ Ἐφόρους συντελεῖν τὰ περὶ τὴν θυσίαν, αὐτοῦ περὶ τὸ τέμενος διατρίβοντας." e. q. s.

177) Athenaeus IV. cap. 8 ex Nicocle, quae de placentis lauri foliis conditis scripsit: „διακούσας δὲ πάντων ὁ Ἔφορος ἤτοι ἀπέλυσεν, ἢ κατεδίκασεν, ὁ δὲ νικήσας ἐζημίωσεν ἐλαφρῶς" e. q. s.

ornatum atque usum observabant [178]), luxuriosos vero nimisque molliter viventes castigabant [179]). Ephororum administratio ad decem Cretensium Cosmos, quos Aristoteles plane eandem potestatem habuisse [180]) memorat, nos duceret, nisi nos, comparatione sola iam contentos, ad Atheniensium magistratus reverti oporteret. Nam cum Areopago sex archontes Thesmothetae coniungendi sunt, qui cum illo publicae securitatis tuendae curam partientes summam, partem minus gravem administrabant, et contra quamque laesionem ac violentam iniuriam tam cives, quam servos tuebantur, itaque litium accusationes accipiebant, hasque caussas in Heliaeae iudicium introducebant [181]). Inde derivari poterit Thesmothetarum munus nocturnas quoque custodias in urbe observandi, quibus caverent, ne qua licentia vel adeo impietas vias locosque publicos pollueret [182]): qua ex ratione eorum officium iudiciale exten-

---

178) Aelian. V. hist. XIV. cap. 7: *ἐπίθεντο δὲ καὶ φροντίδα οἱ Ἔφοροι καθ᾽ ἑκάστην πολυπραγμονεῖν τὰ περὶ τὴν στολὴν, εἰ ἕκαστα αὐτῆς μὴ ἀπολείπεται τοῦ κόσμου τοῦ δέοντος.*"

179) Ibid.: „*οἱ αὐτοὶ (Ἔφοροι) Ναυκλείδην ὑπερσαρκοῦντα τῷ σώματι καὶ ὑπέρπαχυν διὰ τρυφὴν γενόμενον, ἐκ τῆς ἐκκλησίας τῶν θεωμένων κατήγαγον, καὶ ἠπείλησαν αὐτῷ φυγῆς προστίμησιν, ἐὰν μὴ τὸν βίον, ὃν ἐβίου τότε, ὑπαίτιον ὄντα, καὶ Ἰωνικὸν μᾶλλον, ἢ Λακωνικὸν, τοῦ λοιποῦ μεθαρμόσηται.*"

180) Politic. II. cap. 8: „*οἱ μὲν γὰρ ἔφοροι τὴν αὐτὴν ἔχουσι δύναμιν τοῖς ἐν τῇ Κρήτῃ καλουμένοις Κόσμοις, πλὴν οἱ μὲν ἔφοροι πέντε τὸν ἀριθμὸν· οἱ δὲ κόσμοι δέκα εἰσίν.*"

181) Demosth. in Midiam, Reisk. p. 529; Bekk. IV. §. 47, ubi haec lex descripta est: „*ἐάν τις ὑβρίζῃ εἴς τινα, ἢ παῖδα ἢ γυναῖκα ἢ ἄνδρα, τῶν ἐλευθέρων ἢ τῶν δούλων, ἢ παράνομόν τι ποιήσῃ εἰς τούτων τινά, γραφέσθω πρὸς τοὺς θεσμοθέτας ὁ βουλόμενος Ἀθηναίων, οἷς ἔξεστιν, οἱ δὲ θεσμοθέται εἰσαγόντων εἰς τὴν ἡλιαίαν*" e. q. s. Cf. Harpocrat. s. voc. *θεσμοθ.*

182) Ibid. Reisk. p. 525; Bekk. §. 36: „*καὶ τὸν θεσμοθέτην, ὃς ἔναγχος ἐπλήγη τὴν αὐλητρίδα ἀφαιρούμενος*", quem locum Ulpiani scholion ita illustravit: „*οἱ θεσμοθέται τῶν τε ἄλλων ἐπε-*

sum esse videtur, ita ut insidiarum, paediconum, meretricum, adulteriique crimina inquirerent eorumque caussas introducendas haberent [183]), quod vero pluribus verbis exponere supersedeo ob eruditam Meieri [184]) disquisitionem, quae cuncta huius magistratus munera amplectitur. Sed omnibus his curis in unam collectis non facile est denegare, Thesmothetarum collegium ad Areopagi exemplum in arctiore consociatione cum astynomis atque agoranomis esse accipiendum, ita ut illi quasi praesides horum munera, quae non ab Areopago inspicerentur, regerent, et in maioribus rebus ipsi administrarent. Quod si constat, non occulte intelligimus, quemadmodum Thesmothetae, qui insuper peregrinitatis caussas diiudicarent [185]), veluti magistratus mercatorii naviculariis atque omnino mercaturae ampliori consulerent, et *τὰς δίκας ἐμποριкὰς καὶ ἀπὸ συμβόλων* in iudicium adducerent [186]), quod sine dubio

---

μελοῦντο, καὶ δὴ καὶ τῆς εὐκοσμίας· καὶ νύκτωρ περιϊόντες ἐσκόπουν, μή τινες ἁρπαγαὶ γίγνωνται. τότε οὖν, εὑρών τινας, νεωτέρους ἁρπάζοντας τὴν αὐλητρίδα, ἠβουλήθη ἀφελέσθαι, καὶ οὕτως ὑπ᾽ αὐτῶν ἐπλήγη."

183) Pollux VIII. cap. 9. §. 88: „*γίγνονται δὲ πρὸς αὐτοὺς γραφαὶ ξενίας, δωροξενίας...... βουλεύσεως, μοιχίας.*" Argumentum oration. Demosth. in Androtion. Reisk. p. 588: „*ἦσαν γὰρ ἓξ θεσμοθέται, οἱ περὶ ἑταιρήσεως δικάζοντες.*" De paediconibus conf. legem apud Aeschin. in Timarch. Steph. p. 5; Bekk. III. §. 16: „*ἄν τις Ἀθηναίων ἐλευθέρων παῖδα ὑβρίσῃ, γραφέσθω ὁ κύριος τοῦ παιδὸς πρὸς τοὺς θεσμοθέτας*"... e. q. s.

184) Att. Proc. pag. 59—68.

185) Vid. Polluc. in not. 183 et Harpocration. s. voc. *δωροξενίας*: „*Ἀριστοτέλης δ᾽ ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ περὶ τῶν θεσμοθετῶν λέγων γράφει ταυτί· εἰσὶ δὲ καὶ γραφαὶ πρὸς αὐτούς, ὧν παράστασις τίθεται ξενίας καὶ δωροξενίας, ἄν τις δῶρα δοὺς ἀποφύγῃ τὴν συκοφαντίαν.*"

186) Demosth. paragraph. in Apatur., Reisk. pag. 892, Bekk. V. §. 1: „*τοῖς μὲν ἐμπόροις καὶ τοῖς ναυκλήροις* (de quibus conf. Lex. Seguer. pag. 282) *κελεύει ὁ νόμος εἶναι τὰς δίκας πρὸς*

in Demosthenis aetate his archontibus per leges demandatum erat. Sed Meierus [187]), ut mihi videtur, argute neque tamen contra antiquitatis testimonia proposuit, Thesmothetas etiam ante Nautodicarum institutionem gessisse hanc curam; nam *οἱ Ναυτοδίκαι* mercaturae rebusque venalibus per mare Athenas provectis atque litibus mercatoriis diiudicandis providebant [188]), sicuti navicularriis et peregrinitatis caussis praeerant [189]), sed tantummodo temporibus inde a claris Graecorum bellis contra Persas gestis usque ad Philippum Macedonem, Atheniensium mercatura quum maxime floreret, negotiorumque copia proprium posceret magistratum:

τοὺς θεσμοθέτας, ἐάν τι ἀδικῶνται ἐν τῷ ἐμπορίῳ ἢ ἐνθένδε ποι πλέοντες ἢ ἑτέρωθεν δεῦρο" e. q. s.; idem in Phormion. Reisk. p. 920, Bekk. V. §. 45. — Pollux VIII. cap. 9. §. 88: „*εἰσάγουσι δὲ (οἱ θεσμοθέται) καὶ δίκας ἐμπορικὰς καὶ μεταλλικάς...... καὶ τὰ σύμβολα τὰ πρὸς τὰς πόλεις κυροῦσι, καὶ τὰς δίκας* (sic corrigendum est *δικαστάς*, quod adhuc ed. Hemsterhusiana retinuit) *ἀπὸ συμβόλων· εἰσάγουσι καὶ τάς τῶν ψευδομαρτυριῶν ἐξ Ἀρείου πάγου.* De Atheniensium pactionibus cum quibusdam urbibus in rebus diiudicandis consulas Harpocration. „*σύμβολα τὰς συνθήκας, ἃς ἂν ἀλλήλαις αἱ πόλεις θέμεναι τάττωσι τοῖς πολίταις, ὥστε διδόναι καὶ λαμβάνειν τὰ δίκαια· πολλάκις Δημοσθένης καὶ Ἰσαῖος"* et Valesii notam doctam ad h. loc. pag. 335—334, ed. Lips. p. 501—502. Porro conf. Meierum p. 67, iuste disputantem contra Heffter. Ath. Gerichtswes. pag. 93.

187) Att. Proc. p. 85—86, qui Sigonium republ. Athen. IV. c. 5. p. 614, et Boeckh. Staatsh. d. Ath. I. p. 54 valde amplificavit.

188) Suidas s. voc. *Ναυτοδίκαι·* „*ἄρχοντες ἐπὶ τοῖς ναυκλήροις δικάζοντες, καὶ τοῖς περὶ τὸ ἐμπόριον ἐργαζομένοις ὡς, καὶ ναυφύλακες ἄρχοντές τινες ἐπὶ τῆς τῶν νεῶν φυλακῆς"* quibuscum cf. Lysias *περὶ δημοσίων χρημάτων*, Bekk. I. §. 5 et 8, et Harpocration. s. voc. *Ναυτοδ.*, a Meiero l. c. not. 48 recte illustratum.

189) Pollux VIII. cap. 9. §. 126: „*οἱ δὲ ναυτοδίκαι ἦσαν οἱ τὰς τῆς ξενίας δίκας εἰσάγοντες."* Lex. Seguer. p. 283: „*ναυτοδίκαι ἄρχοντές τινές εἰσι τοῖς ναυκλήροις δικάζοντες καὶ τοῖς περὶ τὸ ἐμπόριον ἐργάταις."*

deinde vero mercatura labente rursus Thesmothetae iuxta cetera sua munera et Nautodicarum officio sufficiebant. Luciani locus [190]), huic opinioni contrarius, quem vero Meierus ut contra se dicentem frustra affert, Nautodicas quidem in primum post Alexandri magni mortem seculum defert; sed in re omnino nihil demonstrare potest, quod auctor, etsi in colloquiis Alexandri temporum aequalem agit, ob notissimam levitatem antiquitatis perscrutator severus atque veritatem historicam acriter perpendens nullo modo censeri debet, et nos praeterea multo gravioribus argumentis, ex hac aetate ipsa collectis Thesmothetas solos hoc iudicium exercentes cognovimus. At plura de mercatura maritima sub Agoranomorum administris mox infra disseremus, postquam Astynomorum magistratum descripsimus. —

Nullus apud Graecorum populos magistratus ad Aediles magis accedit, quam **Astynomi**, aedium, viarum, bonae disciplinae munditiaeque publicae curatores, quare iam supra eos Areopagi mandata perficientes in medium protulimus. Hi autem nostrae hodiernae administrationi accommodati, lingua vernacula **niedere Policey-Beamte** nuncupantur, et ubique fere nulla civitate excepta hodie instituuntur [190 a]); sed nunc etiam negotia in foris observant, simulque mer-

190) Dialog. meretric. II. cap. 2: „μέμνημαι γαρ ὡς πρώην ἐδικάσατο περὶ συμβολαίου ναυτικοῦ. τάλαντον γάρ, οἶμαι, ὀφείλων τῷ πατρί, οὐκ ἤθελεν ἐκτίνειν· ὁ δὲ παρὰ τοὺς ναυτοδίκας ἀπήγαγεν αὐτόν," e. q. s.

190 a) Hodie quoque apud Graecos in Morea habitantes hunc magistratum uti vicorum praesidem secundum periegetae recentissimi repererunt, qui aut cum eparcho, nempe primo praefecto, aut hoc absente eparchi nomine solus res publicas curare solet, ex. gr. hospitibus advenientibus domicilia assignat, ceterisque eorum rebus consulit: quae referuntur a Britanno Emersonio in itinere, quod per Graeciam contra Turcas bellantem anno 1825 fecit, et a. sequenti in publicum edidit.

cantium commodis inserviunt. Quod non multo aliter in antiquitate factum est, quum fere in omnibus urbibus Agoranomorum officia cum Astynomis coniuncta essent, ita ut in maioribus saltem ad certa tempora, in minoribus semper unum curatorum genus utroque fungeretur officio, quod mox ἀγορανόμοι, mox ἀστυνόμοι diceretur, prout ob urbis commercium vel conditionem una alterave cura maxime eminens nomen poposcerit. Verisimile tamen puto in emporiis plerumque Agoranomos esse creatos, qui simul ceteris politiae inferioris praefuerint curis, quemadmodum in universum Agoranomorum saepius fit mentio. Sed haec utriusque muneris coniunctio perscrutandi operam nobis facit impeditiorem, quia ob minorem distinctionem Latini auctores utrumque munus aedilitatem dicunt, Romae solam huic sufficientem non ignorantes, quare non possumus, quin eorum argumenta pro singulis, sive Astynomis sive Agoranomis, fere prorsus mittamus. Quod autem vulgariter non observatum est, ita ut viri eruditissimi a vera via cognoscenda aberrarent, praesertim quum posteriorem Jurisconsultorum Romanorum versionem, qui Graece scribentes Aedilem e maiore aedium cura in hac aetate ἀστυνόμον redderent, ad Atheniensium Astynomos adtraherent. Sic Maussacus [191]) inutiliter exemplorum copiam exhausit, ut e Romanorum Imperatorum legibus et Ulpiani scholio [192]) male assumto Astynomos, tum etiam Logistas appellatos [193]), in reipublicae curatores vel patres civitatum

191) Not. ad Harpocration. s. voc. ἀστυνομ. pag. 105; Lips. p. 153.

192) Ad Demosth. in Timocrat.

193) Digest. I. tit. 22. §. 6, q. l. de reipublicae curatoris adsessore sermo est; ib. L. tit. 8. §. 2 et 5; tum Cod. repet. lect. I. tit. 54. l. 5. e Gordiani consulatu „curator reipublicae, qui graeco vocabulo logista nuncupatur, mulctandi ius non habet"; ib. VIII. tit. 15. l. 1. — Conf. apud Agoranom. not. 261.

mutaret. Quem vero errorem ne Meierus quidem effugit, qui alioquin omnium diligentissimus de Astynomis et Agoranomis disseruit[194]): nam cum Maussaco ex Papiniani libri graeci, *μονόβιβλον ἀστυνομικόν* nuncupati, fragmentis, quae Justiniani digesta nobis praebent[195]), leges accuratissimas de viis publicis purgandis pontibusque reficiendis ac similibus rebus[196]), Romae ac municipiorum Romanorum Aedilibus solummodo aptas[197]), immo etiam Romanorum edicto aedilitio cautas, mutuatus est, ut nobis Astynomorum in omnibus Graecorum urbibus leges offerret indubias atque vulgatas[198]). — At re vera ex Aristotele[199]) generalia Astynomorum officia comperimus, quod idem post haec enumerata disertis verbis dicit, in plerisque civitatibus magistratus, his curis fungentes, *ἀστυνόμους* esse nominatos. Quibus autem, ab ipso etiam, sicuti

194) Att. Procefs, pag. 88—96; Boeckhius Staatsh. d. A. I. 218, obiter eos memorat.

195) Lib. XLIII. tit. 10.

196) Ibid.: „*Οἱ ἀστυνόμοι ἐπιμελείσθωσαν τῶν κατὰ τὴν πόλιν ὁδῶν καὶ τὰ ῥεύματα*" e. q. s. §. 2: „*ἐπιμελείσθωσαν δὲ ὅπως μηδεὶς ὀρύσση τὰς ὁδούς.....· ὁ μὲν δοῦλος ὑπὸ τοῦ ἐντυχόντος μαστιγούσθω· ὁ δὲ ἐλεύθερος ἐνδεικνύσθω τοῖς ἀστυνόμοις· οἱ δὲ ἀστυνόμοι ζημιούτωσαν κατὰ τὸν νόμον*", pro quibus verbis, si Meieri interpretatio ſalva haberetur, certissime *κατὰ τοὺς νόμους*, quae in quaque oratione Graeca tritissima versantur, scripta esse deberent.

197) Conf. Thibaut. Civilist. Abhandlung.; dissert. de Aedilib. pag. 145. Dirkſen. Civilist. Abh. II. pag. 211.

198) Meier. oper. laud. pag. 94: „wir können mit Sicherheit annehmen, dafs die dort den *ἀστυνομικοῖς* beigelegten Geschäfte den meisten Griechischen Astynomen zukommen."

199) Polit. VI. cap. 8. §. 2: „*ἑτέρα δὲ ἐπιμέλεια ταύτης* (sc. *ἀγορανομίας*) *ἐχομένη καὶ σύνεγγυς, ἡ τῶν περὶ τὸ ἄστυ δημοσίων καὶ ἰδίων, ὅπως εὐκοσμία ᾖ, καὶ τῶν πιπτόντων οἰκοδομημάτων, καὶ ὁδῶν σωτηρία καὶ διόρθωσις· καλοῦσι δ' ἀστυνομίαν οἱ πλεῖστοι τὴν τοιαύτην ἀρχήν.*"

a Platone [200]), *τοῖς ἀγορανόμοις* in rerum urbanarum tum communium, tum etiam privatarum procuratione adsociatis, has curas demandat: in cunctis aedificiis, tam publicis quam privatis iustum observare ornatum ac collocationem, vias publicas conservare, collapsas reficere, rixasque in iis ac in limitibus communibus coercere, denique omnibus praeesse rebus, quae has procurationes attingunt [201]). Peraeque cum his consentit Plato [202]), qui adhuc generalibus huius magistratus officiis canalium fontiumque curam addit, atque Astynomos omnia civium commoda sub diu comparanda, foris exceptis, adiuvare iubet; quapropter eosdem e civium ditissimorum, cunctis negotiis vacantium, numero creare statuit. Sed Astynomos apud Athenienses his curis, quas percensuimus, plerumque functos esse e singulis testimoniis colligimus, etsi ex oratoribus ac Polluce ceterisque lexicographis plures alios curatores

200) Quod manifestissime e mulctarum astynomicarum constitutione apparet, de leg. edit. Steph. pag. 764 d.: „τὰ αὐτὰ — mulctae, quae agoranomis permittebantur — δὲ καὶ ἀστυνόμοις ἔστω ζημιώματά τε καὶ κολάσεις ἐν τῇ ἑαυτῶν ἀρχῇ, μέχρι μὲν μνᾶς αὐτοὺς ζημιοῦντας, τὴν διπλασίαν δὲ μετὰ ἀγορανόμων."

201) Aristotel. loc. citat. in not. 199 e. q. seq.: „καὶ τῶν ὁρίων τῶν πρὸς ἀλλήλους, ὅπως ἀνεγκλήτως ἔχωσι· καὶ ὅσα τούτοις ἄλλα τῆς ἐπιμελείας, ὁμοιότροπα· καλοῦσι δ' ἀστυνομίαν οἱ πλεῖστοι τὴν τοιαύτην ἀρχήν."

202) De leg. VI. edit. Steph. pag. 759: „ὁδῶν δὲ καὶ οἰκοδομιῶν καὶ κόσμου τοῦ περὶ τὰ τοιαῦτα, ἀνθρώπων τε, ἵνα μὴ ἀδικῶσι, καὶ τῶν ἄλλων θηρίων, ἐν αὐτῷ τε τῷ τῆς πόλεως περιβόλῳ καὶ προαστείῳ, ὅπως ἂν τὰ προσήκοντα πόλεσι γίγνηται, ἑλέσθαι δεῖ τρία μὲν ἀρχόντων εἴδη· περὶ μὲν τὸ νῦν δὴ λεχθὲν ἀστυνόμους ἐπονομάζοντα, τὸ δὲ περὶ ἀγορᾶς κόσμον, ἀγορανόμους", quibuscum tres alii loci comparentur in eodem libro pag. 763. c. d., inprimisque haec verba: „δεῖ δὴ καὶ τούτους δυνατούς τε εἶναι καὶ σχολάζοντας τῶν κοινῶν ἐπιμελεῖσθαι· διὸ προβαλλέσθω μὲν πᾶς ἀνὴρ ἐκ τῶν μεγίστων τιμημάτων ἀστυνόμον ὃν ἂν βούληται."

vel sub Astynomorum auctoritate, vel simul cum iis proprio magistratu, viarum atque locorum publicorum aquarumque curas administrantes novimus. Quorum aliam classem Plutarchus in medium profert [203]), *οἱ ἐπιστάται τῶν ὑδάτων*, qui aquas perducendas in urbem curarunt; aliam Pollux nobis praebet [204]), fontium custodes, *κρηνοφύλακες*, quos Aristoteles *κρηνῶν ἐπιμελητάς* nominat [205]), et cum *τειχοποιῶν* et *λιμένων φυλάκων*, uti curatoribus Astynomias participibus in urbibus frequentioribus coniungit. Iisdem

---

203) In Themistocl. et Sigon. de rep. Ath. IV. cap. 5.

204) Onomast. VIII, 9. §. 115. pag. 935: „ἦν μέντοι καὶ κρηνοφυλάκιον ἀρχή, δηλούσης τὸ ἔργον αὐτῆς τῆς ἐπικλήσεως." Vulgatam lectionem δούλους εἰς τὸ ἔργον α. τ. ε. ἔχουσα ex duobus glossematibus haud dubie exortam contra nostram, egregii codicis (quinti inter Parisienses a Lederlino dicti) fide firmatam, ex Iungermanni opinione removi, quod haec sola sensum verum Atheniensiumque administrationi accommodatum praebet, quam vero equidem simpliciter cum Iungermanno interpretor: fontium cura magistratui oblata erat, cuius officium nomen ipsum indicat. Sane igitur miror Hemsterhusium, Meursii sententia Athen Attic. III. cap. 10 (Gronov. thes. a. G. vol. V.) fretum, ut videtur, hunc locum e vulgata ob plurium librorum manuscriptorum auctoritatem servare voluisse, alteramque lectionem ut plane ineptam abiicere non veritum esse; nam, quanquam vulgata intellectu neque difficilis est, neque offendit lectorem, veritati tamen historicae plane contraria est, ac omnino librarii ignari manum redolet. Quibus enim argumentis scimus servos publicos magistratibus opem ita tulisse, ut unum idemque nomen magistratibus eorumque servis fuisset? aut quo alio huius libri loco, etsi Pollux plurimos magistratus recenset, ministros opifices adsociat magistratibus? — Alii lexicographi fontium custodes aut prorsus ignorant, ut Harpocration et Suidas, aut certe nihil grave afferunt, ut Hesychii verba vana: „ὁ τὴν κρήνην φυλάσσων."

205) Polit. VI. cap. 8: „ἀστυνομία δ' ἔχει μόρια πλείω τὸν ἀριθμόν· ὧν ἑτέρους ἐφ' ἕτερα καθιστᾶσιν ἐν ταῖς πολυανθρωποτέραις πόλεσιν· οἷον τειχοποιούς, καὶ κρηνῶν ἐπιμελητάς, καὶ λιμένων φύλακας."

non incommode annectere conamur clepsydrae instructorem, τὸν ἐφύδωρα [206]), qui sorte electus aequalem temporis mensuram in iudiciis aliisque rebus publicis custodiendi munus exercebat, cuius persaepe oratores Attici inprimisque Demosthenes mentionem faciunt; sed ad viliora officia in iudiciis pertinebat. Denique non possumus, quin et τοὺς ὁδοποιούς et τοὺς γνώμονας, quibus apud Athenienses creatis occurrimus, huc referamus: illos, qui vias sternendas suscipiebant [207]), stratasque inspiciebant; hos, qui oleas Minervae Athenis sacratas custodiebant, atque singulos per annos haec oliveta permigrabant [208]), ut in quamque impietatem in has arbores, quae ἀσεβείας crimen haberetur, animadverterent: quod ergo utrumque curatorum genus officia administrabat, quae in aliis urbibus Graecis, atque verisimiliter interdum quoque Athenis, nempe ante et post florentem huius urbis statum, semper Astynomis demandabantur.

Quod autem ad Astynomos ipsos eorumque numerum adtinet, Athenis decem a populo creabantur, quorum altera pars dimidia in Piraeo, altera in ipsa

206) Pollux. VIII. 9. §. 115. pag. 935: „ἐφύδωρ· ἐπιμελετὴς δέ τις κληρωτὸς ἐγίγνετο, ὃς ἐκαλεῖτο ἐφύδωρ, ὁ παραφυλάττων τὴν ἰσότητα τῆς κλεψύδρας." Conf. insuper Kuehnii adnotationem non indoctam ad h. loc., et Schoemann. Att. Procefs, lib. IV. pag. 716—717.

207) Aeschin. in Ctesiph.; Orat. Attic. Bekk. III. §. 25: „ἦσαν δὲ καὶ ὁδοποιοὶ καὶ σχεδὸν τὴν ὅλην διοίκησιν εἶχον τῆς πόλεως."

208) Lexic. Seguer. pag. 228: „γνώμονες· ἄρχοντές τινες ἦσαν οἱ ἐπισκεπτόμενοι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τὰ χώρια πάντα, μή πώς τις ἐξέκοψε τὰς μορίας." Pollux, Harpocration et Suidas de hoc curatore nihil tradunt. Sed orator. loc. accipias e Meier. Att. Procefs, pag. 302, 306; Append. huius libr. ad pag. 302, et Heffter Athen. Gerichtsverf. pag. 188, qui etiam utrique hoc ἀσεβείας crimen copiosius illustraverunt.

urbe curas gerebat [209]), uti omnes lexicographi, qui eorum mentionem accuratiorem faciunt [210]), consentientes referunt, aut, quod non invitus concedo, posteriores ex Harpocratione repetunt. Sed Meursius [211]) in notissimo suo emendandi impetu, quia Piraeum cum Munychiis ei adiunctis tertiam Athenarum partem fecisse demonstravit, Agoranomorum numerum duplici modo correxit, nempe eorum summam duplicans viginti (κ') pro decem (ι') legere, tum ex his quindecim Athenis, quinque Piraeo praefectos accipere proposuit: deinde ex eadem ratione eandem emendationem in Astynomorum numero necessariam esse voluit. Sed viri festinatio prorsus non rationem habuit, quod Piraeus tanquam portus Athenarumque emporium ex sola commercii causa maiore forensium disciplinaeque civilis magistratuum numero uteretur, quam naturalis populi frequentia efflagitare posset. Quodsi vero ad argumenta ad hanc coniecturam firmanda spectamus, nihil aliud Meursius proferre potuit, quam ut Harpocration eandem divisionem in Sitophylacum magistratu (quindecim Athenis, quinque in Piraeo) et Plutarchus post Athenas a Lacedaemoniis expugnatas in instituendis triginta urbi praefectis, quos vulgo triginta tyrannos nuncupant, praeter quos in Piraeo administrando decem alii praeficerentur, traderent. Sed quisnam in his exemplis non videt rem

209) Harpocrat. s. voc. Ἀστυνόμος· „Δημοσθένης κατὰ Τιμοκράτους. δέκα φησὶν εἶναι τοὺς ἀστυνόμους Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ, πέντε μὲν Πειραιεῖ, πέντε δ' ἐν ἄστει. τούτοις δέ φησι μέλειν περί τε τῶν αὐλητρίδων καὶ ψαλτριῶν καὶ τῶν κοπρολόγων καὶ τῶν τοιούτων." Lex. Seguer. apud Bekk. I. pag. 455 et Suidas eadem verba praebent.

210) Nam Pollux. X. cap. 4. pag. 988 tantummodo vocem ab ἄστυ derivandam offert, et Hesychius explicationem futilem „ὁ διοικῶν κατὰ τὸ ἄστυ" descripsit.

211) Lect. Attic. I. cap. 19.

comparatam esse plane aliam? Ubi enim reipublicae administratio generalis, aut certe gravissimum eius officium in antiquís civitatibus, nempe frumenti cura, ut iusto pretio ac exagio venderetur, attingebatur, sane populi frequentia magistratuum atque curatorum numerum statuere debebat; itaque in minore minorem quoque talium curatorum copiam poscebat. Nec vero minus hac in re offendor, quod et Meierus, hic vir accurate eruditus atque diligenter has res difficiles componens, non modo non indubie[212]) Meursii numerum et curatorum partitionem, sicuti rem e fontibus haustam atque unice iustam prodit, sed etiam Boeckhium

212) Att. Procefs, pag. 93, et se revocans ad pag. 89 et not. 61 ibid. Mire enim scribit: „Da uns schlechterdings keine andere Stelle bekannt ist (als Harpocration), in der etwas über die Zahl der Attischen Agoranomen gesagt würde, so ist es auffallend, dafs Böckh. Sth. I. p. 52 von zehn Agoranomen, fünf in der Stadt, fünf im Piraeus spricht. Die Analogie der Zahl bei den verwandten Magistraturen ist, wenn man nur auf Harpocrat. sieht, nicht unserer Annahme entgegen: denn in Ἀστυνόμοι, Σιτοφύλακες, Μετρονόμοι lehrt er, dafs auch diese 6 Magistraturen aus je zwanzig bestanden haben, wovon funfzehn für die Stadt, fünf für den Piraeus gewesen seyen" etc. At Harpocration ipse plane contrarium profert: nam nec viginti Agoranomos, nec viginti Astynomos, nec tot Metronomos tradit, sed illorum decem, horum quindecim viros e fontibus aequis praebet, imo etiam Metronomorum partem maiorem decem Piraeo, minorem quinque urbi praeficit, quod facile tam e mercatorum commercii natura, quam e iusta auctoritate sic recte scriptum esse videtur, ut infra apud Metronom. demonstrabimus. Astynomorum ergo numerus non codicum erroribus adscribendus est, quod pér se semper periculosum esset, sed praeterea in eo Suidas, lexicon Seguerian. ac Photius plane consentiunt, ita ut Meierus solam Meursii coniecturam Harpocrationis textui inureret. Quod etiam luce clarius fit e Sitophylacum numero, quem omnia veterum loca a tribus prioribus curatorum generibus prorsus differentem v i g i n t i et supradicto modo inter urbem atque Piraeum divisum citaverunt: sed de his nunc iam satis disseruimus.

aggreditur, quam si is nulla auctoritate fretus leviter in Atheniensium oeconomia de d e c e m Astynomis et Agoranomis scripsisset. — Praeterea Astynomorum dignitatem Athenis sorte electam cum ceteris magistratibus similibus rationi publicae reddendae subiectam, neque vero officiis maioribus ac gloria singulari in ea administranda dignis adnumeratam esse e Demosthene in Timocratem scimus [213]. Sed de singulis eorum curis Harpocration iuxta vulgares in aedificiis ac viis publicis, prioribus testimoniis comprobatas, inprimis de eorum auctoritate in auloedas atque cantatrices nos docet [214], quae non minus omnium puellarum lascivarum lenonumque coërcitionem, ut quisque facile concedet, amplexa esse videtur, novamque Astynomorum

213) Orat. Attic. ed. Bekk. V. §. 112; Reisk. pag. 735: „δικαίως δ' ἂν ἐμοὶ δοκεῖ παθεῖν ὁτιοῦν, ὅςτις οἴεται δεῖν, εἰ μέν τις ἀγορανόμος ἢ ἀστυνόμος ἢ δικαστὴς κατὰ δήμους γενόμενος κλοπῆς ἐν ταῖς εὐθύναις ἑάλωκεν, ἄνθρωπος πένης καὶ ἰδιώτης καὶ πολλῶν ἄπειρος καὶ κληρωτὴν ἀρχὴν ἄρξας, τούτῳ μὲν τὴν δεκαπλασίαν εἶναι, καὶ νόμον οὐδένα τοῖς τοιούτοις ἐπικουροῦντα τίθησιν." Quod quoque alio eiusdem auctoris (ut vulgo fertur) loco demonstrari potest, qui valde contemtim de Astynomia tanquam officio minimi momenti loquitur, insuper autem legum mentionem facit, quae eundem virum bis Astynomum eligi vetarent. Verba quidem sunt in Prooem. apud Bekk. nr. 55: „δεινότατοι γάρ ἐστ' ἀφελέσθαι μὲν, ὅσα ὑμῖν ὑπάρχει, καὶ νόμους περὶ τούτων θεῖναι, ἄν τις ἀστυνομήσῃ δὶς ἢ τὰ τοιαῦτα, στρατηγεῖν δ' ἀεὶ τοὺς αὐτοὺς ἐᾷν." De ratione reddeoda, quam omnes magistratus tam extraordinarii, quam ordinarii apud Athenienses debebant, iam satis atque optime Meierus III. pag. 214—224 pertractavit, eamque mense quidem proximo, postquam illi officio se abdicassent, factam esse coniectura valde probabili existimavit pag. 217. Lex communis, qua eundem magistratum bis inire caveretur, reperitur apud Demosth. in Timocrat. Bekk. Orat. A. V. §. 150; Reisk. pag. 747: „οὐδὲ δὶς τὴν αὐτὴν ἀρχὴν τὸν αὐτὸν ἄνδρα, οὐ δὲ δύο ἀρχὰς ἄρξαι τὸν αὐτὸν ἐν τῷ αὐτῷ ἐνιαυτῷ."

214) V. loc. in. not. 209.

coniunctionem cum Romanorum Aedilibus nondum observatam prodit. Ceteroquin etiam cum hac Astynomias parte eam curam coniungendam esse censeo, qua Astynomi Athenienses caverent, ne leges sumtuariae vel vestiariae impune negligerentur: quod ex narratiuncula de Cratete Cynico relata patet, quem iidem acriter perstrinxerunt, quum eum contra leges veste pellucida ac impudenti, sindone amictum conspexissent [215]). At incertum relinquitur; num Astynomi semper in viros solos hanc disciplinam observarent, atque feminas proprio Gynaecocosmorum magistratui, de quibus iam supra a nobis dictum est, permitterent, an ullo tempore horum quoque locum explerent. Denique Astynomi homines viles coërcebant, qui stercora et lutum in viis congerebant [216]); munus omnino non

---

215) Sic Diogen. Laert. VI. cap. 5. §. 7 me ad totam philosophi vivendi rationem recte interpretatum esse puto: „*ὑπὸ τῶν Ἀθήνῃσιν ἀστυνόμων ἐπιτιμηθεὶς, ὅτι σινδόνα ἠμφίεστο, ἔφη, καὶ Θεόφραστον ὑμῖν δείξω σινδόνα περιβεβλημένον. ἀπιστούντων δὲ ἀπήγαγεν ἐπὶ κουρεῖον, καὶ ἔδειξε κειρόμενον.*"

216) Harpocrat. verba supra descripta et Ulpiani scholion ad Demosthen. in Timocrat. not. 115: „*ἀστυνόμος δὲ ὁ ἐπὶ τοῦ εἶναι καθαρὰν τὴν πόλιν ἀσχολούμενος, ὁ παρ' ἡμῖν πατήρ.*" Quae autem verba ultima ut recte e Scholiastae tempore explicentur, nempe in largissima internae administrationis praesidis, nostri Vorsteher der allgemeinen Policey, significatione, auxilio nobis adest Diogen. Laert. locus, VI. cap. 2. §. 11 in Diogenis Sinopensis vita: „*ἔνθα καὶ στάσις, ὥς φασιν, ἐγένετο τῶν γνωρίμων, τίνες αὐτὸν θάψωσιν, ἀλλὰ καὶ μέχρι χειρῶν ἦλθον· ἀφικομένων δὲ τῶν πατέρων καὶ τῶν ὑπερεχόντων*" e. q. s., ubi vox *τῶν πατέρων* non ad *γνωρίμων* adtrahenda esse debet, sed in Ulpiani sensu Corinthiorum Astynomis prorsus aequalis valere potest, ut mihi videtur. Neque vero eosdem cum posterioribus civitatum patribus commutandos esse puto, qui in Justiniani constitutionibus pluribus locis nobis occurrunt, et persaepe etiam *οἱ ἐπιμεληταὶ τῆς πόλεως* vel reipublicae curatores nominantur: quam autem rem aequis iudicibus iam exhausit Ever-

valde honorificum, attamen non ita indignum, quemadmodum nobis Germaniae pagos incolentibus videri posset: nam qui et hodie in regionibus meridionalibus maximeque his lapidosis ac saxosis, prae ceteris in Francogallia ac Italia superiori, sedulam stercoris ubique colligendi diligentiam frequenter observaverit, vix Athenis, ubi solo ingrato permagna agriculturae contentio permultum opituletur necesse est, huius curae necessitatem ignorabit. Sed in aliis quoque urbibus Graecis easdem Astynomorum curas ubique commodo publico consuluisse e paucis testibus nunc exstantibus coniectare nobis sumimus: Corinthi enim, ut Justinus narrat [217]), Dionysius iunior, Syracusarum tyrannus, quum patria expulsus huc se recepisset, in sordidissimum vitae genus descendens, per totos dies in popinis lupanaribusque desidens, apud Astynomos adversus lenones iurgari solitus est. Sed praeterea ex Arriano quoque Corinthi Astynomos sub eodem nomine vulgariter institutos esse videmus [218]). Apud Thebanos Telearchas stercorum ex angiportis eiiciendorum ac aquarum derivandarum procuratione occupatos esse reperimus [218a]). — Iam vero Orchomeni in Boeotia

---

ard. Otto de Aedil. Colon. ed. sec. pag. 127—135. Praeterea conf. not. 218. a.

217) Historiar. XXI. cap. 5, quo, ut per se intelligitur, Astynomos e notissima officiorum propinquitate Aediles nominat.

218) Commentar. de Epicteti apophtegmatibus III. cap. 1: „τοιοῦτόν σε θῶμεν πολίτην Κορινθίων, κἂν οὕτω τύχῃ ἀστυνόμον ἢ ἐφήβαρχον, ἢ στρατηγόν." Ex Romanorum ditionis temporibus conf. apud Vaillantium, num. ant. famil. Roman. in num. col. pag. 176. L. Caninius Agrippa Corinthius Aedilis.

218a) Quod quidem munus apud hos in contemtu habebatur, attamen Thebanorum nobilissimo dignum censebatur, quod ipse iniret. Plutarch. reip. gerend. praecept. edit. Francof. II. pag. 811: „καὶ τὸν Ἐπαμινώνδαν ἐπαινοῦσιν, ὅτι φθόνῳ καὶ

Astynomorum munera cum ceteris administrationis civilis officiis ob parvum oppidi ambitum, in unum nempe Catoptarum magistratum coniuncta esse apparet ex inscriptione, quam Boeckhius e Meletii itineribus reddidit [219]). Nam in ea *οἱ κατόπται* tanquam omnium rerum civilium curatores militari magistratui *τῶν πολεμάρχων* ita oppositi videntur esse, ut utrique sub unius archontis auctoritate, quod populus in concione scivisset, soli exsequerentur atque procurarent. — Sic porro apud Macedones Astynomorum officio *οἱ Λεπρῶνες* [220]) responderint, ut mihi videtur, quos insuper sanitati publicae providisse existimo, ita ut iis praecipue hominum lepra infectorum custodia demandata esset. Sane quidem me non latet, nullo alio scriptorum classicorum loco adhuc cognito talis incommodorum cautionis publicae apud populos Graecos vestigia latiora nobis esse reddita; et hanc ob caussam huius institutionis aetatem ne suspicari quidem conor: attamen ex Suidae testimonio [221]), etsi hoc quoque non omni obscuritate caret, cum lexicographo Segueriano in re neque in verbis consentiente, quod leprosus (i. e.

πρὸς ὕβριν ἀποδειχθεὶς τελέαρχος ὑπὸ τῶν Θηβαίων, οὐκ ἠμέλησεν, καὶ… εἰς μέγα καὶ σεμνὸν ἀξίωμα προήγαγε τὴν τελεαρχίαν, οὐδὲν οὖσαν πρότερον ἀλλ' ἢ περὶ τοὺς στενωποὺς ἐκβολῆς κοπρίων καὶ ῥευμάτων ἀποτροπῆς ἐπιμέλειάν τινα."

219) Sthh. d. Athen. nr. 20 in tab. IX., explicit. tom. II. pag. 555 seq. praecipue pag. 574 — 579. §. 1: „*Θυνάρχω ἄρχοντος… Ἀγχιάρος Εὐμείλω ταμίας, Εὐβώλυ Ἀρχεδάμω Φωκεῖι χρέος* (ut Boeckh. restituit) *ἀπέδωκα ἀπὸ τᾶς σουγγράφω πέδα τῶν πολεμάρχων κὴ τῶν κατοπτάων*" etc. Boeckhius Catoptas contractius confert cum Nomophylacibus.

220) Lex. Seguer. ap. Bekk. Anecdot. I. pag. 277 s. voc. *Λεπρωσῖον*· „*ἄρχοντες ἦσαν ἐν Μακεδονίᾳ Λεπρῶνες οὕτω καλούμενοι.*" *Λεπρώσιον* non dubie in significatione villae lue infectorum hic reperitur.

221) Sub voc. *λεπρός*· „*ἔστιν ἐν τῷ ἀγορανομίας.*"

leprosorum cura) Agoranomias, vel ex usitatissima utriusque muneris permutatione in lexicographis Astynomias parti adtribueretur, etymologiae ope me primum non audacter hunc magistratum Astynomis aequalem in medium proferre censeo.

At prorsus Astynomos non prius linquere possumus, quam succincte eorum magistratuum mentionem faciamus, qui vulgo cum illis pertractari solent, Atheniensium Undecim-viros puto, et per hos etiam Quadraginta-viros ac Nomophylaces. Sed si accuratius, quantum ob fontium angustias nobis liceat, horum magistratuum conditionem atque munera percensemus, non difficile erit, inter hos atque illos discriminis invenire summam. Hi enim penitus in officiis iudicialibus atque legum a magistratibus ipsis (neque a civibus) stricte observandarum cura occupabantur, duoque priores semper iam in noxiorum certoque reorum rebus versabantur, quum Astynomi in omnes cives magis providendi munere fungerentur, ut bona disciplina securitasque publica ubique servarentur, et ne quid mali usquam contra leges sanctas committeretur, levissima tantummodo peccata in sua provincia statim punirent, graviora vero resque violenter ac impie in viis peractas iudiciis ordinariis ulciscendas permitterent. Enimvero Undecim-viri Athenienses — de quibus nuperrime duas commentationes adeoque copiosas accepimus [222]), ut post eas nemo omissa facile colligere au-

222) Frd. W. Ulrich, vier Platonische Gespräche, Menon, Kriton, der erste und zweite Alcibiades, deutsch mit Anmerkungen und einem Anhange über die Eilf-Männer zu Athen. Berol. 1821. 8vo, cuius libri recensionem doctam conferas in Meier. Att. Procefs, pag. 63—71, quae coniuncta cum argutis eruditisque eiusdem viri disquisitionibus in primo ac tertio operis laudati libro pag. 71—77, 227—247, 356—361 aliisque locis, satis certo plus Ulrichii libello praestitit, ut haec res impedita dilucidaretur.

surus sit, nostra autem disquisitione rei summam adumbrare contenti simus — iam ante Solonis tempora instituti [223]), Athenarum carceribus praeerant [224]), ita ut obnoxii vel suspecti in vinculis detenti nulla ratione effugere possent, tamenque elapsi rursus comprehenderentur [225]); tum providebant, ut iidem diebus dictis in iudicium deducerentur [226]), et, si carceris poena afficerentur, neque longius neque brevius termino iusto clausi haberentur; tum eos, qui in parentes male egerant, aut signa militaria relinquentes in patriam deliquerant, aut locum, quo nefas erat ingredi, interdictorum laesione ingressi erant, vinciebant et in iudicium vocabant [227]): denique Undecim-viri capite damnatos ad ultimum supplicium deducebant aut cicutam

---

223) Meier l. cit. pag. 71, ubi etiam disertissime falsam Ulrichii opinionem de tota Undecimvirorum aequalitate cum Nomophylacibus post Demetrii Phalerei tempora orta, ex qua utrumque nomen unius solummodo magistratus fuerit, refutavit.

224) Plura ibi fuisse, non temere ex lexicographis coniectat Meier. pag. 73. not. 26.

225) Demosth. in Aristogit. I. Bekk. Or. A. V. §. 56; Reisk. p. 787: „ὅτε γὰρ τὸ δεσμοτήριον διορύξας ἀπέδρα, τότε πρὸς γυναῖκά τιν' ἔρχεται Ζωβίαν· ..... καὶ κρύπτει καὶ διασώζει τὰς πρώτας ἡμέρας αὐτὸν ἐκείνη, ἃς ἐζήτουν καὶ ἐκήρυττον οἱ ἕνδεκα."

226) Lex apud Demosth. in Timocrat.; Bekk. Or. A. V. §. 63; Reisk. pag. 721: „δεδόχθαι τοῖς θεσμοθέταις εἰςάγειν τοὺς ἕνδεκα εἰς τὸ δικαστήριον (ἐντὸς) τριάκονθ' ἡμερῶν ἀφ' ἧς ἂν παραλάβωσιν, ἐὰν μή τι δημοσίᾳ κωλύῃ, ἐὰν δὲ μή, ὅταν πρῶτον οἷόν τ' ᾖ."

227) Lex ibid. prolata Bekk. §. 105; Reisk. pag. 735: „ἐὰν δέ τις ἀπαχθῇ τῶν γονέων κακώσεως ἡλωκὼς ἢ ἀστρατείας, ἢ προειρημένον αὐτῷ τῶν νόμων εἴργεσθαι εἰςιὼν ὅποι μὴ χρή, δησάντων αὐτὸν οἱ ἕνδεκα καὶ εἰςαγόντων αὐτὸν εἰς τὴν ἡλιαίαν, κατηγορείτω δὲ ὁ βουλόμενος οἷς ἔξεστιν."

bibere iubebant [228]), quare a pluribus cum Romanorum triumviris capitalibus, et a Pottero cum Britannorum Sherifis collati sunt [229]). Nec vero minus **iudicum officio** satisfaciebant Undecim-viri, actionesque *τῆς ἀπαγωγῆς* et *ἐνδείξεως* et *ἐφηγήσεως τῶν κακούργων* intendebant, hisque iudiciis ipsis praesidebant. Sed sub *τῶν κακούργων* nomine iidem persequebantur cunctos scelestos, quos criminis convictos capite plectere oportebat, fures ergo nocturnos atque latrones, qui in domos irruperant [230]), qui mortuos spoliaverant, homines abegerant, et qui caedes praedandi amore perfecerant [231]);

---

228) Conf. loci notissimi de Socratis morte in Platonis Apolog. Socrat. cap. 27 et Phaedone cap. 5 et cap. 65, et Lysias Dardaniar. accusat. §. 2 apud Bekk. Or. A. v. I. Cf. Schoemann. Att. Proc. IV. pag. 740. 742.

229) Griech. Archaeolog. Ueberaetzung von Rambach I. pag. 161.

230) Demosth. in Timocrat. Bekk. §. 115; Reisk. pag. 755: „*καίτοι γ᾽ ὁ Σόλων........ νόμον εἰςήνεγκεν, εἰ μέν τις μεθ᾽ ἡμέραν ὑπὲρ πεντήκοντα δραχμὰς κλέπτοι, ἀπαγωγὴν πρὸς τοὺς ἕνδεκ᾽ εἶναι, εἰ δέ τις νύκτωρ ὁτιοῦν κλέπτοι, τοῦτον ἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι καὶ τρῶσαι διώκοντα καὶ* ἀ π α γ α γ ε ῖ ν τ ο ῖ ς ἕ ν δ ε κ᾽, *εἰ βούλοιτο· τῷ δ᾽* ἁ λ ό ν τ ι *ὧν αἱ ἀπαγωγαί εἰσιν, οὐκ ἐγγυητὰς καταστήσαντι ἔκτισιν εἶναι τῶν κλεμμάτων, ἀλλὰ* θ ά ν α τ ο ν *τὴν ζημίαν*" e. q. s.

231) Meier, loc. cit. pag. 76, 227, et 356—361. Sed et hic locos primarios de illorum iudiciis omittere nolumus. Demosth. in Lacrit. Bekk. V. §. 47; Reisk. pag. 940: „*ἀλλὰ ποῦ χρὴ λαβεῖν δίκην; παρὰ τοῖς ἕνδεκα; ἀλλὰ τοιχωρύχους καὶ κλέπτας καὶ τοὺς ἄλλους κακούργους τοὺς ἐπὶ θανάτῳ οὗτοι εἰςάγουσιν.*" Pollux VIII. cap. 9. §. 102 ed. Hemsterh. pag. 920: „*οἱ ἕνδεκα, εἷς ἀφ᾽ ἑκάστης φυλῆς ἐγίγνετο καὶ γραμματεὺς αὐτοῖς συνηριθμεῖτο· νομοφύλακες δὲ κατὰ τὸν Φαληρέα μετωνομάσθησαν·*" (de quibus verbis Meieri iudicium argutum accipias in Att. Proc. pag. 71) „*ἐπεμελοῦντο δὲ τῶν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ καὶ ἀπῆγον κλέπτας, ἀνδραποδίστας, λωποδύτας, εἰ μὲν ὁμολογοῖεν, θανατώσοντες· εἰ δὲ μή, εἰςάξοντες εἰς τὰ δικαστήρια, κ᾽ ἂν ἁλῶσιν, ἀποκτενοῦντες· τοῦ δὲ νομοφυλακίου θύρα μία χαρωνεῖον ἐκαλεῖτο, δι᾽ ἧς οἱ κατά-*

postremo in magos maleficos ac veneficos poena capitali animadvertebant [232]).

Quadraginta-viri, vel ante triginta tyrannorum dominationem Triginta-viri, itidem solo iudicum officio fungentes [233]), non urbanis negotiis instituti erant, sed Atticae pagos peragrantes eas lites diiudicabant, quae Athenis in iudiciis sub thesmothetis praesidibus componerentur; hoc tamen discrimine, ut res, de quibus quaereretur, decem drachmarum valorem non superare deberent; quodsi vero maioris pretii aestimarentur, tum caussae ad urbis iudicia adtraherentur necesse erat [234]). A peregrinandi officio inter

---

δικοι τὴν ἐπὶ θανάτῳ ἀπήγοντο." Eadem fere ad verbum praebet lex. Seguer. pag. 250: „ἕνδεκα τίνες εἰσί; κληρωτοὶ ἄρχοντες ἦσαν, ἕνδεκα τὸν ἀριθμόν, προϊστάμενοι τοῦ δεσμωτηρίου· καὶ τοὺς ἀγομένους ἐπὶ κακουργήμασι παρελάμβανον κλέπτας καὶ ἀνδραποδιστὰς καὶ φονεῖς· καὶ τοὺς μὲν ὁμολογοῦντας θανάτῳ ἐζημίουν, τοὺς δὲ ἀμφισβητοῦντας εἰσῆγον εἰς δικαστήριον." Quae etiam succinctius Suidas ed. Küst. III. pag. 736 lexicaque Segueriana aliis locis pag. 192 et 310 repetunt; sed Harpocration nihil de undecimviris tradit, et Aristotelis Politica, Hesychius, scholiaque ad Aristophan. Vespas v. 1108 obiter de his referunt. — Praeterea de undecimvirorum apparitoribus loquitur lex. Seguer. pag. 296: „παραστάται· οἱ ὑπηρέται τῶν ἕνδεκα, οἱ νῦν ὑπηρετοῦντες βασανισταί" quos insuper ceteri lexicographi tacent; Suidas verbum quidem profert, multasque alias explicationes addit, hanc vero non novit.

232) Demosth. in Aristogit. A. Bekk. §. 79; Reisk. p. 793: „ἀλλ' ἐφ' οἷς ὑμεῖς τὴν μιαρὰν Θεοδωρίδα, τὴν Λημνίαν, τὴν φαρμακίδα, καὶ αὐτὴν καὶ τὸ γένος ἅπαν ἀπεκτείνατε." Cf. Meier. loc. cit. pag. 235. 236.

233) De his pari modo Meierus loc. citat. pag. 77—82, 544—550 plurima collegit optimeque explicuit, quemadmodum nostris perscrutationibus ad eundem exitum venientes cognovimus.

234) Prae ceteris illorum institutionem describunt Pollux VIII. cap. 9. §. 100: „οἱ δὲ τεσσαράκοντα πρότερον μὲν ἦσαν τριάκοντα, οἱ περιϊόντες κατὰ δήμους τὰ μέχρι δραχ-

τοὺς Τετταράκοντα et Persarum iudices provinciales [235] vel e populis recentioribus Anglorum comitatuum iudices (Itinerant-judges) comparationem facere quibusdam placuit, quibus sane facillime plura alia instituta iudicialia addi possent, utpote Germanorum medii aevi ac Hungarorum comitatnum iudices, Equitum Ordinum Teutonici atque Sancti Johannis praeceptorum commendatorumque iudicia aliaque, si nihil aliud quam iudicii in peragrando de litibus levioribus exercendi mos quaereretur: nam ceteroquin iudicandi magis litiumque Quadraginta-viris competentium rationem habentes, iustius, omnibus his missis, hodiernos pacis iudices, ut dicimus (Friedensrichter, Justices of peace, juges de paix) in Anglia, Polonia Borussica (magnus ducatus Posnaniensis) ac Russica (regnum Polon.) om-

---

μῶν δέκα ἐδίκαζον· τὰ δὲ ὑπὲρ ταῦτα διαιτηταῖς παρεδίδοσαν. Μετὰ δὲ τὴν τῶν τριάκοντα ὀλιγαρχίαν, μίσει τοῦ ἀριθμοῦ τῶν τριάκοντα, τεσσαράκοντα ἐγένοντο· χίλιοι καὶ διακόσιοι ἀπὸ τούτων ἦσαν οἱ λειτουργοῦντες. Δημοσθένης δὲ νόμον γράψας ἀντὶ τοσούτων τριακοσίους τοὺς πλουσιωτάτους ἐποίησε." Harpocration s. voc. κατὰ δήμους δικαστάς· „περὶ τῶν κατὰ δήμους δικαστῶν, ὡς πρότερον μὲν ἦσαν τριάκοντα καὶ κατὰ δήμους περιϊόντες ἐδίκαζον, εἶτα ἐγένοντο τεσσαράκοντα, εἴρηκεν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ πολιτείᾳ." Lex. Seguer. pag. 306. s. voc. τεσσαράκοντα τίνες εἰσίν· „ἀρχή τις ἐστι κληρωτή, τεσσαράκοντα τὸν ἀριθμόν, πρὸς οὓς αἱ ἴδιαι δίκαι ἐλαγχάνοντο καὶ τὰ μέχρι δέκα δραχμῶν" (Conf. Meier. illustrationes h. l.) „τὰ δ' ὑπὲρ τοῦτο τὸ τίμημα τοῖς δικασταῖς παραδιδόασιν". ibid. p. 310: „οἱ τεσσαράκοντα, οὓς ἐχειροτόνουν μάλιστα φυλάττειν τὸν δῆμον" — quod leviter conscriptum nihil aliud quam δικάζειν ἐν τοῖς δήμοις dicere vult, neque omnino aliquid pro eorum providendi curis demonstrare potest — „οὗτοι, ἕως ἦσαν οἱ τριάκοντα, ἕως δέκα δραχμῶν ἐδίκαζον κατὰ δήμους", quae verba prioribus testimoniis facile corrigantur. Suidas ac Hesychius de Quadraginta-viris nihil proferunt.

235) Aelian. Var. histor. I. cap. 54, quocum conf. Herodot. III. cap. 51, et Meier. pag. 78.

nibusque terris, quae Napoleonis codicibus adhuc integris utuntur, iam semper creatos eligamus, ut cum illis comparemus, etsi horum quisque propriam sedem iudicialem tenet. Nihilominus tamen in his comparationibus tanta nobis se offerent discrimina, quantacunque inter populos temporaque maxime inter se diversa reperire poterimus. Sed quidem non plane dubium est, quin in his caussis levissimis arctissima iudiciorum coniunctione cum nostra hodierna administratione politica, ut h. l. Policey ita vertam, *οἱ Τετταράκοντα* providendi quoque magistratibus adnumerari mererentur, sicuti nostris temporibus creberrime fieri assolet; at hoc semper ad curas pertineret indirectas.

Denique Nomophylaces Athenienses [236]) in urbis statu potentiore i. e. seculo quinto ac quarto ante Christ. nat. in honoratissimis habebantur magistratibus, quorum quidem numerum prorsus nescimus, munera vero largissime e scholio ad Aristophanem apud Suidam [237]) pleniore accipimus. Hoc autem disertis verbis

---

236) Cf. Meier. loc. cit. pag. 69—73, ubi insuper Henr. Mühkii commentatio de Nomophylacibus Atheniensium. Viteberg. 1745 evocatur, quae mihi quoque, sicuti Meiero, in nostris bibliothecis nunquam oblata est.

237) S. voc. *Νομοφύλακες* edit. Küster. II. pag. 667: „*ἔδοξέ τισι, τοὺς αὐτοὺς εἶναι τοῖς Θεσμοθέταις· ἀλλ' οὐκ ἔστιν οὕτως· οἱ μὲν γὰρ Θεσμοθέται κατὰ τὰ πάτρια ἐστεφανώμενοι ἐπὶ τὸν Ἄρειον ἀνέβαινον πάγον· οἱ δὲ Νομοφύλακες στροφίοις λευκοῖς ἐχρῶντο, καὶ ἐν ταῖς θεαῖς ἐπὶ θρόνον ἐκάθηντο κατ' ἀντικρὺ τῶν ἐννέα Ἀρχόντων· καὶ τῇ Παλλάδι τὴν πομπὴν ἐκόσμουν, ὅτε κομίζοιτο τὸ ξόανον ἐπὶ τὴν θάλασσαν. ἠνάγκαζον δὲ τὰς Ἀρχὰς χρῆσθαι τοῖς νόμοις. καὶ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐκάθηντο μετὰ τῶν προέδρων, κωλύοντες ψηφίζειν, εἴ τι παράνομον αὐτοῖς εἶναι δόξειε καὶ ἀσύμφορον τῇ πόλει.*" Quorum dimidiam partem posteriorem fere ad litteram reddunt et Pollux VIII. cap. 9. §. 94 et lexic. Seguer. (*Δικῶν ὀνόματα*) pag. 191 et (*Λεξ. ῥητορ.*) pag. 283. Ob auctorum testimonia Harpocrationis locus commemoratione singulari dignus est s. voc. *Νομοφύλακες*· „*ἀρχή τις παρ' Ἀθη-*

discriminis summam inter archontes Thesmothetas atque Nomophylaces tam in honoribus quam muneribus statuit; quod vero ad illos spectat, tum proprio vittarum albarum usu ad caput ornandum in pompis festis, comitiis spectaculisque gaudebant, tum sedendo in theatris ex adverso novem archontum loco, in comitiis autem eodem sellarum ordine cum novem Proedris utentes distinguebantur. Quorum erat officium primarium, ut ubique magistratus ex legibus constitutis solummodo agere cogerent, deinde praecipue comitiorum diebus prohiberent, quo minus populus aliquid contra leges vel commune reipublicae scisceret commodum: quibus ex curis, si eorum indirectam Panathenaeorum procurationem, a Polluce Suidaque memoratam omittimus, ne minimam quidem similitudinem inter horum Aedilium que Romanorum munera exstitisse observabimus. Neque autem Athenis solum eligebantur Nomophylaces, sed per omnes Graecorum respublicas bene constitutas hos magistratibus maxime necessariis vulgo adsociatos esse iam Xenophon [238]), Platon [239]), Aristo-

ναίοις οὕτω ἐκαλεῖτο, διαφέρουσα τῶν Θεσμοθετῶν· Δείναρχος καθ' Ἱμεραίου καὶ ἐν τῷ κατὰ Πυθέου· Φιλόχορος ἐν τῷ ἑβδόμῳ ἄλλα τέ τινα διεξῆλθε περὶ αὐτῶν καὶ ὅτι οὗτοι τὰς ἀρχὰς ἐπηνάγκαζον τοῖς νόμοις χρῆσθαι δῆλον", quae accuratissime repetuntur in Suida II. pag. 631. Hesychius nihil de iis tradit.

238) Oeconomic. cap. 9. §. 14: „Ἐδίδασκον δὲ αὐτὴν (τὴν γυναῖκα), ὅτι καὶ ἐν ταῖς εὐνομουμέναις πόλεσιν οὐκ ἀρκεῖν δοκεῖ τοῖς πολίταις, ἢν νόμους καλοὺς γράψωνται, ἀλλὰ καὶ νομοφύλακας προςαιροῦνται, οἵτινες ἐπισκοποῦντες τὸν μὲν ποιοῦντα τὰ νόμιμα ἐπαινοῦσιν· ἢν δέ τις παρὰ τοὺς νόμους ποιῇ, ζημιοῦσι."

239) De leg. VI. ed. Stephan. pag. 754 e., 755, 756, 762 e., 766 b. c., quibus fusius reipublicae suae Nomophylacum institutionem, consueta eorum officia e pluribus mutuatus civitatibus, composuit, et ante omnia longaevae experientiae maturitatem huic magistratui vindicans demum post quinquagesimum annum perfectum eiusdem membra creare iubet. Conf. ibid. XI,

teles [240]) atque Cicero [241]) litteris mandarunt. His insuper a Meiero Columella [242]) adiunctus est, ubi de ordinationum institutarum conservatione loquitur: „Quod etiam in bene moratis civitatibus semper est observatum; quarum primoribus atque optimatibus non satis visum est bonas leges habere, nisi custodes earum diligentissimos cives creassent, quos Graeci *Νομοφύλακας* appellant. Horum erat officium, eos, qui legibus parerent, laudibus prosequi nec minus honoribus: eos autem, qui non parerent, poena multare." Sed haec, ut facile intelligitur, non magni momenti esse possunt, quia tantum simplicem vocis *νομοφύλακες* explicationem praebere volunt, quod luce clarius e verbis sequentibus prodit, quibus Columella omnes Romanorum magistratus, assidua iurisdictione legum vim custodientes cum iis comparat. Quod tamen exemplum omittere nolui, ne quis auctorum loca nimis argute percensens me huius non rationem habentem colligendi levitatis accusare possit. Praeterea singulis

---

917—918, quibus Nomophylacum, Astynomorum Agoranomorumque officia in quibusdam caussis conserere conatur.

240) Politic. VI. cap. 8. verba ultima, ad quae alter quoque locus ibidem III. cap. 10 in fin. de tyrannorum custodibus adtrahi debet: „*καθάπερ οἵ τ' ἀρχαῖοι τὰς φυλακὰς ἐδίδοσαν, ὅτε καθισταῖεν τινὰ τῆς πόλεως ὃν ἐκάλουν αἰσυμνήτην ἢ τύραννον· καὶ Διονυσίῳ τις, ὅτ' ᾔτει τοὺς φύλακας, συνεβούλευε τοῖς Συρακουσίοις διδόναι τοσούτους τοὺς φύλακας.*" Conf. ib. IV. cap. 14 in fin.

241) De legibus III. cap. 20. §. 46: „Legum..... publicis litteris consignatam memoriam publicam nullam habemus. Graeci hoc diligentius, apud quos *νομοφύλακες* nominantur; nec hi solum litteras (nam id quidem etiam apud maiores nostros erat), ſed etiam facta hominum observabant, ad legesque revocabant."

242) De re rustica XII. cap. 3, edit. Manhem. II. pag. 515.

testimoniis e Pausania [243]) et quibusdam inscriptionibus [244]) de Spartanorum Nomophylacibus, ex aliis inscriptionibus de tribus Chalcedoniis.[245]), simul quidem munere fungentibus, qui eundem magistratum non dubie in metropoli (Megaris) accipere nos iubent, porro de Corcyraeis [246]), de Locrensibus [247]), deinde ex Aristotele de Syracusanis Nomophylacibus [248]) certiores facti sumus; sed non minus horum quoque numerum, Chalcedoniis solis exceptis, sicuti apud Athenienses, non certo constitutum reperimus. Quodsi autem Cicero legum scriptarum custodiam iisdem annexam esse testatur, dum Romanos graviter accusat, ut nullos legum custodes instituerent, ut ex apparitorum arbitrio eas etiam permutationis periculo obiicere, aut a librariis petere mallent [249]); non memor est, tres adhuc

243) Laconic. v. lib. III. cap. 11. §. 2: „καὶ νομοφυλάκιον ἀρχεῖόν ἐστιν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς."

244) Duo Nomophylaces reperiuntur in inscriptione prope Pharas in Messenia reperta, quam Boeckhius Corp. inscript. Graec. Fasc. I. p. 92 e schedis Fourmontianis spuriam edidit; at hic vir doctissimus in multis genuinis titulis Spartanis prolatos esse affirmat. Cf. Mueller. Dorier II. pag. 128, ubi πρέσβυς νομοφυλάκων ex inscriptione serioris aevi apud Cyriaci Epigrammata Illyric. pag. 30. nr. 251 laudatur.

245) Corsini Fast. Att. 1, 2, pag. 496 seq. et Caylus Recueil 2. pl. 55 in regia bibliotheca Parisiensi apud Mueller. Dorier, II. 169.

246) Inscript. apud Boeckh. Staatsh. d. A. nr. 21, explicit. tom. II. pag. 407. §. 2: „εἰ δέ τί κα ὁ ἀγωνοθέτας ἢ οἱ χειρίζοντες τὸ ἀργύριον μὴ ὀρθῶς ἀπολογίζωνται, νομοφύλακες ἐκλογιζούσθω, καθὼς καὶ τὰ ἄλλα τὰ ἱερὰ καὶ δημόσια χρήματα."

247) Stobaei Sermon. 42. pag. 280 apud Mueller. Dorier, II. 229.

248) v. not. 240.

249) Loc. avocat. not. 241: „Legum custodiam nullam habemus; itaque hae leges sunt, quas apparitores nostri volunt; a librariis petimus, publicis litteris consignatam memoriam publicam nullam habemus."

scribas publicos apud Athenienses esse institutos, unum e senatu per singulos prytanes sorte lectum, alterum a senatu suffragiis, tertium a populo creatum [250]), quibus prae ceteris demandatum erat cuncta scripta publica, leges populique scita litteris consignare nec minus asservare in tabulariis, ita ut, quoties in publicis negotiis postularetur, statim ea depromere possent, populoque convocato vel senatui perlegerent. At his omnino manifestum fit, re vera hoc in officio quandam similitudinem probabilem cum una Aedilium cura posse accipi, quum et Aediles Plebis plebiscita asservanda curarent.

Nunc tandem ad ultimum Graecorum magistratuum genus, qui muneribus aedilitiis apud eos addicti erant, accelerare volumus, eos nempe, qui in foro, mercatura frumentoque procurando ac dividendo occupabantur. Horum autem primos nominamus Agoranomos, nomen ipsum a loco, circa quem tota Graecorum vita rotabatur, accipientes. Nam in foro tamad res publicas peragendas, quam ad colloquia de rebus privatis serenda conveniebant, proxime foro [250a]) iudicia habebantur, tamenque animo hilari, priusquam ea inirent, per cuncta eiusdem loca piscibus, obsoniis, frugibus, volatilibus, cuiusque generis carnibus alioque

250) Pollux. VIII. cap. 9. §. 98: „*Γραμματεὺς ὁ κατὰ πρυτανείαν κληρωθεὶς ὑπὸ τῆς βουλῆς ἐπὶ τῷ γράμματα φυλάττειν καὶ τὰ ψηφίσματα καὶ ἕτερος ἐπὶ τοὺς νόμους ὑπὸ τῆς βουλῆς χειροτονούμενος· ὁ δὲ ὑπὸ τοῦ δήμου αἱρεθεὶς γραμματεὺς ἀναγίγνωσκει τῷ τε δήμῳ καὶ τῇ βουλῇ.*" Suidas s. voc. *γραμματεῖς·* „*κληρωτοὶ δὲ ἦσαν τὸν ἀριθμὸν τρεῖς γράφοντες τὰ δημόσια: οὐδενὸς δὲ ἦσαν κύριοι· ἀλλ' ἢ τοῦ γράφειν καὶ ἀναγνῶναι.*" Sed eximie de his tractavit Boeckhius Staatsh. d. Ath. I. pag. 200—203, 257, II. pag. 164, animadversionibusque suis ad hunc Suidae locum et Harpocration. v. *γραμματ.* prorsus consentio.

250a) Schoemann. Att. Proc. II. p. 147 et 155, ubi Lysias de bon. Aristoph. Reisk. p. 656, Bekk. I. §. 55 laudatur.

victu oppleta ambulabant, ut oeconomiae domesticae, quidquid vellent, emerent [251]). Itaque *ἀγορά* non minus forum, quam ea, quae in foro vendebantur, eadem ratione plebis coetum quam concionem ipsam significat [252]); sic etiam verbum derivatum *ἀγοράζειν* idem valet ac mercari et in foro agere, ac rebus in judicialibus enixe versari, et omnibus vacare negotiis lasciviamque degere vitam [253]); sic denique *δίκη ἀγοραία* non solum caussam ob res venales ineundam, sed etiam

---

251) Suidas I. 54. s. voc. *ἀγορᾶς ὥραν·* „*οὐ τῶν πωλουμένων ἀλλὰ τῶν ἄλλων πράξεων τῶν κατ' ἀγορὰν ἕωθεν ἢ καὶ πρὶν ἀγορὰν πεπληθέναι. Φερεκράτης· πίνειν ἀεὶ καὶ μεθύειν, πρὶν ἀγορὰν πεπληθέναι.*" Ex his apparet, mercatum interdum simul cum negotiis civilibus actum esse in foro, quod aliter vix verisimile haberi posset; at certo e veteribus testimoniis non plane liquet, quam usque ad horam mercatus tempus in foro finitum esse deberet, quum saepissime iam tertia a sole orto publicis negotiis peragendis Graeci se dedere studerent.

252) Lexic. Seguerian. p. 210: „*Ἀγορὰ τόπου ὄνομα· καὶ τὰ ἀγοραζόμενα·* (*καὶ τὴν ὠνήν* ib. pag. 527). *Θεσσαλοὶ δὲ καὶ τὸν λιμένα ἀγορὰν καλοῦσι· Κρῆτες τὴν ἐκκλησίαν· παρ' Ὁμήρῳ καὶ πάντα ἀθροισμόν.*" Suidas I. 53 *ἀγορά· ἡ ἐκκλησία, ὅθεν ὁ Νέστωρ ἀγορητής, καὶ ὁ τόπος, ἔνθα πιπράσκονται τὰ ὤνια, καὶ αὐτὰ τὰ ὤνια.*" — Joh. Tzetzes ad Hesiod. Oper. et d. v. 29: „*ἀγορὰ λέγεται καὶ τὸ ἀγοραζόμενον πρᾶγμα.*" Hyperides in oratione contra Polyeuctum pro *σύνοδος* v. *ἀγορά* usus est apud Harpocrat. v. *ἀγορ.* „*οὗτοι πολλάκις ἀγορὰς ποιοῦντες.*" Itaque *ἀγορητής* et per *σύμβουλος, φρόνιμος* Lex. Seguer. p. 550; Suidas I. 55, et per *ἐν ἀγορᾷ ἀναστρεφόμενος* Lex. Seguer. p. 212 illustratur, sicuti *ὁ ἀγορητὴς τῆς πόλεως* apud Chandler Inscript. ex Schneideri (lexic.) sententia munus parochi simile habuisse videtur, victualia nempe procurantis vel dividentis.

253) Aristophan. Plut. v. 984—985:

„*καὶ ταῖς ἀδελφαῖς ἀγοράσαι χιτώνιον·*
ἐκέλευσεν ἄν, τῇ μητρὶ θ' ἱματίδιον."

Eiusd. Acharnens. v. 719—720:

„*Ὅροι μὲν ἀγορᾶς εἰσιν οἵδε τῆς ἐμῆς·*
ἐνταῦθ' ἀγοράζειν τοῖσι Πελοποννησίοις
ἔξεστι."

universe dicta quamcunque caussam designat [254]), sicuti Romani quoque vocem forensis usurpant. Sed ex hac diversa apud singulos populos ἀγορᾶς significatione haud parum elucet, quare Agoranomi etiam munus in diversis civitatibus mox ampliorem, mox angustiorem provinciam demandatam suscipere deberet. Qualiscunque haec ob urbis sive oppidi ambitum, ob maiorem sive minorem mercaturae celebritatem, ob felicis situs fortunam hominumque frequentiam in vicinia proxima fuerit, uti iam apud Astynomos disseruimus; summum Agoranomorum officium semper erat, quod in foris, quae venalia importabantur, sine ulla fraude vendi atque emi, locumque ipsum perpetuo mundum teneri curabant, quamque offensionem seu laesionem in fori ambitu factam statim mulctis aut reprehensionibus in cives, flagellis in servos aut interdum in peregrinos animadvertebant [255]), et aedium publicarum sacrarumque in foris sitarum curam exercebant [256]). Quemadmodum quidem rerum civilium ad-

Lex. Seguer. pag. 20, 530, Suidas I. 53: ἀγοράζειν καὶ τὸ ὠνεῖσθαι (quod et Harpocration tradit) καὶ τὸ ἐν ἀγορᾷ διατρίβειν. Alia exempla praebetSuidas I. 54.

254) Suidas I. 54: ἀγοραῖα δίκη = τὴν δικαιολογίαν. Ἀγοραῖος itidem significationibus usurpatur diversissimis, cuiusvis venditoris sive tabernarii, caussidici, hominis subrostrani omniumque rerum vilioris pretii.

255) Etymolog. magn. edit. Lips.: „ἀγορανόμοι οἱ τὰ κατὰ τὴν ἀγορὰν διοικοῦντες ἄρχοντες", quae accuratissime ad verbum reddunt lexic. Seguer. pag. 199 et rursus pag. 530, quibus verbis ultimis ὤνια etiam ante διοικοῦντες annexum est; eadem verba praebent, Harpocration Suidasque I. 53. Tum Hesychius s. voc. ἀγορανόμος „ὁ δικαστὴς ἐν τῇ ἀγορᾷ νέμων τὸ δίκαιον" quae apud Seguer. lexic. pag. 212 repetuntur; Specimen lexici inedit. ex cod. August. apud Zonarae lexic. edit. Tittmann.: „καὶ ἀγορανόμος ὁ τῆς ἀγορᾶς ἐπιμελούμενος, ὅπως δικαίως πωλοῖντο τὰ ὤνια."

256) Plato de legib. Steph. pag. 759 a.: „ἑλέσθαι δεῖ τρία μὲν ἀρχόντων εἴδη.... τὸ δὲ περὶ ἀγορᾶς κόσμον, ἀγορανόμους."

ministratio per omnes Graecorum civitates mercaturae deditas certo hunc magistratum institueret necesse erat, Politicorum ergo scriptores Agoranomos nusquam ulla ratione omittere potuerunt nec omiserunt [257]); attamen in his fere unice Atheniensium memoria nobis servata est, si Empelorum, qui sub Romanorum imperio itidem Agoranomi vocabantur, Spartae constitutorum [257 a]) commemorationem excipimus.

257) In universum de iisdem scripserunt Plato de legib. Steph. pag. 764 c.: „τοὺς δὲ δὴ ἀγορανόμους τὸν περὶ τὴν ἀγορὰν κόσμον διαταχθέντα ὑπὸ νόμων φυλάττειν· καὶ ἱερῶν καὶ κρηνῶν ἐπιμελεῖσθαι τῶν κατ᾽ ἀγοράν, ὅπως μηδὲν ἀδικῇ μηδείς. τὸν ἀδικοῦντα δὲ κολάζειν, πληγαῖς μὲν καὶ δεσμοῖς δοῦλον καὶ ξένον· ἐὰν δ᾽ ἐπιχώριος ὤν τις περὶ τὰ τοιαῦτα ἀκοσμῇ, μέχρι μὲν ἑκατὸν δραχμῶν νομίσματος αὐτοὺς εἶναι κυρίους διαδικάζοντας, μέχρι δὲ διπλασίου τούτου κοινῇ μετὰ ἀστυνόμων ζημιοῦν, δικάζοντας τῷ ἀδικοῦντι." De Agoranomorum legibus constituendis extensius tractat libr. XI. pag. 917—918, ubi bis verbis concludit: „τὰ δὲ κιβδηλεύματά τε καὶ κακουργίας τῶν πωλούντων οἵτε ἀγορανόμοι καὶ οἱ νομοφύλακες πυθόμενοι τῶν ἐμπείρων περὶ ἕκαστα, ἀναγραψάντων ἅ τε χρὴ ποιεῖν τὸν πωλοῦντα, καὶ ἃ μή. καὶ πρόσθε τοῦ ἀγορανόμου θέντων ἐν στήλῃ, γράψαντες νόμους εἶναι τοῖς περὶ τὴν τῆς ἀγορᾶς χρείαν μηνυτὰς σαφεῖς." Cf. Meier. Att. Proc. pag. 89—92, quibus tamen Astynomorum curiam cum Agoranomio permutavit; nam Plato loco evocato solum de ἀστυνόμιον loquitur. — Aristotel. Politicor. VI. cap. 8 de necessariis in civitate magistratibus: „πρῶτον μὲν οὖν ἐπιμέλεια τῶν ἀναγκαίων ἡ περὶ τὴν ἀγοράν, ἐφ᾽ ᾗ δεῖ τινα ἀρχὴν εἶναι τὴν ἐφορῶσαν περί τε τὰ συμβόλαια καὶ τὴν εὐκοσμίαν· σχεδὸν γὰρ ἀναγκαῖον πάσαις ταῖς πόλεσιν, τὰ μὲν ὠνεῖσθαι, τὰ δὲ πωλεῖν, πρὸς τὴν ἀλλήλων χρείαν. καὶ τοῦτ᾽ ἔστιν ὑπογυότατον πρὸς αὐτάρκειαν, δι᾽ ἣν δοκοῦσιν εἰς μίαν πολιτείαν συνελθεῖν." Eodem autem capite etiam postulatur, quod poenas, quibus Agoranomi delinquentes damnaverint, Astynomi exsequerentur „καὶ τὰς τῶν ἐνεστώτων, ἑτέρας (ἀρχῆς) καταδικάσης, ἑτέραν εἶναι τὴν πραττομένην, οἷον ἀστυνόμους τὰς παρὰ τῶν ἀγορανόμων· τὰς δὲ παρὰ τούτων ἑτέρους"; tum leg. IV. cap. 15. med.

257 a) Hesychius „Ἐμπέλωρος, ἀγορανόμος, Λάκωνες." Agoranomi occurrunt in inscriptione nr. 7. in Cyriac. epigr. Illyric. apud Mueller. Dorier, II. 128. Lytti, Lacedaemoniorum colo-

Decem Agoranomi sorte legebantur apud eos [258]), quo de numero non permutando iam supra apud Astynomos contra Meierum monuimus, nec non simul de nimia eorum comparatione cum Astynomis Romanorumque Aedilibus (hanc quidem primus edidit Dionysius Halicarnassensis [259]), quae tantopere hanc rem obscuravit, disseruimus. Horum fuerunt quinque Athenis ipsis, quinque autem in Piraeo, sed Athenarum rebus penitus labentibus verisimiliter plurima Astynomorum, Gynaecocosmorum similiumque magistratuum munera iisdem demandabantur, et tum demum sub Romanorum imperio *λογισταί* appellabantur [260]), quo sub nomine communi deinde ex quorundam lexicographorum testimonio ceterarum Graecarum civitatum Agoranomi reperiri dicuntur [261]). Quod ad eorum munera pertinet, e

---

niae in Creta institutorum urbis matris tenacissimae, Agoranomum profert Otto de Aedil. colon. pag. 80 e Gruter. Inscript. pag. 1094, num. 5, qui insuper eodem opere pag. 1099, num. 7 tres Gortynensium Agoranomos nominat. Sed si Otto l. cit. Plaut. Captiv. Act. IV. ſcen. 2. v. 44—45 (Eugepe edictiones e. q. s.) ad veram Agoranomorum apud Aetolos institutionem adtrahit, hanc opinionem non sine magna dubitatione accipiam.

258) Harpocration s. voc. *ἀγορανόμοι·* „*Ἀριστοτέλης δ' ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ κληροῦσθαί φησι πέντε μὲν εἰς Πειραῖα, πέντε δὲ εἰς ἄστυ.*"

259) Archaeolog. Roman. VI. cap. 90: „*ἐπιτέτραπται δ' αὐτοῖς* (*ἱερῶν τόπων ἐπιμεληταί*, Aedil. Pleb.) *πολλὰ καὶ μεγάλα, καὶ σχεδὸν ἐοίκασί πως κατὰ τὰ πλεῖστα τοῖς παρ' Ἕλλησιν ἀγορανόμοις.*"

260) Schol. ad Aristophan. Acharn. v. 723: „*Ἀγορανόμους οὓς νῦν λογιστὰς καλοῦμεν.*"

261) Zonarae lexic. edit. Tittm. et iisdem verbis Lexic. Seguer. pag. 530: „*Ἀγορανομίας· λογιστείας* (quod Suidas I. 53. s. ead. voc. *λογιστίας* edit) *εἴρηται δὲ ἐπὶ τῶν ἐπισκοπούντων τὰ τῶν πόλεων ὤνια*" quibus addas legem ex imperatoris Gordiani minoris aetate Codic. I. tit. 54. l. 5: „Curator reipublicae, qui graeco vocabulo Logista nuncupatur, ius mulctandi non habet."

Lysia [262]) ita administrata esse comperimus, ut in toto mercatu minore (ἡ καπηλεία), qui magna ex parte iis, quae regio ipsa ex se genuerat, habebatur, omnia venalia praeter frumentum solummodo sub eorum auctoritate vendi possent. Sed haec in tam multas curas minores divisa non modo cavere debebat, ne mercantes, tam vendentes quam ementes mutuis fallaciis, nec mensura, nec pondere, nec mixta vel interpolata mercium bonitate se deciperent [263]); sed etiam ut venditio omnino sine aliquo impedimento violentaque vendentium perturbatione [264]) ac loci inquinatione fie-

262) Dardanarior. accusat apud Bekk. I. §. 16: „οὕτω δὲ πάλαι περὶ τῆς τούτων πανουργίας καὶ κακονοίας ἡ πόλις ἔγνωκεν, ὥςτ' ἐπὶ μὲν τοῖς ἄλλοις ὠνίοις ἅπασι τοὺς ἀγορανόμους φύλακας κατεστήσατε, ἐπὶ δὲ ταύτῃ μόνῃ τῇ τέχνῃ χωρὶς σιτοφύλακας ἀποκληροῦτε."

263) Harpocrat. s. voc. κατὰ τὴν ἀγορὰν ἀψευδεῖν· „Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Ἀθηνογένους πρώτῳ. ὁ μὲν τοίνυν νόμος κελεύει ἀψευδεῖν ἐν τῇ ἀγορᾷ ἔοικεν ὁ νόμος περὶ τῶν ὠνίων κεῖσθαι. Θεόφραστος γοῦν ἐν τοῖς περὶ νόμων φησί, δυοῖν τούτων ἐπιμελεῖσθαι δεῖν τοὺς ἀγορανόμους, τῆς τε ἐν τῇ ἀγορᾷ εὐκοσμίας καὶ τοῦ ἀψευδεῖν μὴ μόνον τοὺς πιπράσκοντας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ὠνουμένους."

264) Aristoph. Vesp. v. 1406—1408. Panaria quaedam exclamat, quum Philocleon ebrius merces propositas subvertisset:

„προςκαλοῦμαί σ', ὅςτις εἶ,
πρὸς τοὺς ἀγορανόμους βλάβης τῶν φορτίων
κλητῆρ' ἔχουσα Χαιρεφῶντα τουτονί."

Sed Aristophanes insuper alio loco Athenis quoque hominum in foro peccantium verberationem Agoranomis assuetam fuisse testatur. Acharnens. v. 725. 724:

„Ἀγορανόμους δὲ τῆς ἀγορᾶς καθίσταμαι
τρεῖς τοὺς λαχόντας, τοὺς δ' ἱμάντας ἐκ λεπρῶν",

quae illustrantur scholio ad h. loc., melius autem Polluce X, cap. 45. §. 177: „Κρατίνου δὲ εἰπόντος ἐν Νεμέσει „ „ἐν τῷ κυφῶνι τὸν αὐχένα ἔχων" ", ἦπου νοητέον, ὡς σκεῦος ἦν τι ἀγορα-

ret, ut nullus alius, nisi civis Atheniensis, aut inquilinus, inquilinatus tributo (*τὸ μετοίκιον*) subiectus [265]), aut peregrinus, peregrinitatis stipendio (*τὸ ξενικὸν τέλος*) persoluto ius vendendi nactus [266]) venum exponerent. Neque autem ad Meieri opinionem accedere possumus, si is lexicographorum ultimae aetatis testi-

---

νομικόν, ᾧ τὸν αὐχένα ἐνθέντα δεῖ μαστιγοῦσθαι τὸν περὶ τὴν ἀγορὰν κακουργοῦντα." Itaque *κύφων*, quem praeterea Hesychius Suidasque s. h. v. describunt, tale puniendi instrumentum fuisse apparet, quale adhuc nostra regione (et per plurimas maris Baltici provincias) in pueris rusticanis castigandis passim adhiberi solet, quo puniendi collum manusque ita detinentur, ut corpus verberum vehementiae nullo modo subtrahi possit. Legum forensium in homines maledictis incessentes mentionem facit Demosthenes in Eubulid. Bekk. V. §. 30; Reisk. p. 1308: „*οὐ μόνον παρὰ τὰ ψηφίσματα τὰ περὶ τὴν ἀγορὰν διέβαλλεν ἡμᾶς Εὐβουλίδης, ἀλλὰ καὶ παρὰ τοὺς νόμους, οἳ κελεύουσιν ἔνοχον εἶναι τῇ κακηγορίᾳ τὸν τὴν ἐργασίαν τὴν ἐν τῇ ἀγορᾷ ἢ τῶν πολιτῶν ἢ τῶν πολιτίδων ὀνειδίζοντά τινι.*" Aliarum rixarum, quae forte in foro orirentur, iudices evocantur Agoranomi ab Aristophane Acharn. v. 824, ubi etiam Sycophantae iisdem a foro arceantur et v. 969.

265) Pollux III. cap. 4. §. 57: „*ἀδιάτακτοι δὲ καλοῦνται οἱ μὴ ἐγγεγραμμένοι εἰς τοὺς μετοίκους, ἢ μὴ τελοῦντες τὸ μετοίκιον.*" Conferas quae Boeckhius Staatsh. d. Ath. II. p. 74—79 de Metoecorum tributis largiter congessit, sed plurimum prodest Harpocration s. h. voc.

266) Aristoph. Acharn. v. 896 Dicaeopolis Atheniensis rustico Boeotico dicit: „*ἀγορᾶς τέλος ταύτην γέ που δώσεις ἐμοί*". quae prorsus duobus Demosthenis in Eubulid. locis explicantur. Hi sunt Bekk. V. §. 31; Reisk. p. 1308: „*ὅλως τοὐναντίον ἐπιδείξω, ὅτι οὐκ ἔξεστι ξένῳ ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐργάζεσθαι*", statimque duas leges Solonis ac Aristophontis de hac re latas praelegere iubet: et quibusdam versibus postea §. 34: „*ἦν γάρ φησι ταινιόπωλιν εἶναι καὶ φανερὰν πᾶσι, προςῆκε δήπουθεν εἰδότας αὐτὴν πολλοὺς ἥτις ἐστὶ μαρτυρεῖν, καὶ μὴ μόνον ἀκοήν, ἀλλ' εἰ μὲν ξένη ἦν, τὰ τέλη ἐξετάσαντας τὰ ἐν τῇ ἀγορᾷ, εἰ ξενικὰ ἐτέλει καὶ ποδαπὴ ἦν, ἐπιδεικνύντας*" et q. s.

monio seductus [267]) Agoranomis Atheniensibus lupanarium meretricumque curam assignat: nam argumenta ab eo prolata, nil nisi Aedilium comparationem Justinique locum supra a nobis (apud Astynom.) allatum praebentes, nihil per se firmant, quod eodem modo pro Astynomis quam pro Agoranomis testificantur; attamen Aristotelis auctoritate gravissima [268]), contra Agoranomos pugnante, Astynomis solis vindicantur, illamque curam horum fuisse maximam probabilitatis speciem addunt. Quodsi insuper Meierus publicam mercis meretriciae aestimationem non verisimilem censet, facile exceptiones cum regula ipsa permutaverit ingentisque scortorum communium copiae oblitus sit. Sed huius magistratus munia tam extensa in florentissima negotiorum conditione proprios administros expostulabant. Hi erant quindecim Metronomi [269]), et ita quidem divisi, ut decem in Piraeo ob

---

267) Suidas et eadem in Zonara: „διάγραμμα διέγραφον δὲ οἱ ἀγορανόμοι; ὅσον ἔδει λαμβάνειν ἑταίραν ἑκάστην," quibus aut ullius oppidi minoris Agoranomos, quo plurima administrationis civilis munia in unum magistratum translata essent (v. Astynom. in init.) aut in latiore vocis significatione serioris temporis, Agoranomis Astynomis Aedilibusque saepissime permutatis, communes rerum civilium curatores (allgemeine Policey-Behörden) significatos esse censeo.

268) E libris de Atheniensium republica deperditis apud Harpocrationem, v. supra apud Astynom. not. 209.

269) Harpocration s. v. *Μετρον.* „ἀρχή τις Ἀθήνῃσίν ἐστιν ἡ τῶν μετρονόμων, ὡς Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Καλλισθένους. ἦσαν δὲ τὸν ἀριθμὸν πεντεκαίδεκα, εἰς μὲν τὸν Πειραῖα δέκα, πέντε δ' εἰς ἄστυ. εἶχον δὲ τὴν ἐπιμελείαν ὅπως δίκαια εἴη τὰ μέτρα τῶν πωλούνιων, ὡς καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ δηλοῖ." Suidas II. s. h. voc. „ἀρχή τις Ἀθήνῃσιν ἡ τῶν Μετρονόμων. ἦσαν δὲ τὸν ἀριθμὸν ἰε μὲν εἰς Πειραῖα· θ' δὲ εἰς ἄστυ· εἶχον δὲ τὴν ἐπιμέλειαν, ὅπως δίκαια ᾖ τὰ μέτρα τῶν πωλούντων", quae verba accuratissime repetit Photii lexic. edit. Godof. Herrmann. s. h. v. — Lexic. Seguer, pag. 278: „μετρονόμοι· ἀρχή

maiorem importationem saepe repentino subvectam, minorique temporis spatio circumclusam, quinque tantum in urbe curarent, ut vendentes solummodo diversis mensurarum ponderumque generibus, quae ad publica exemplaria, in Acropoli ac Piraeo deposita diligentissime confecta publicaeque auctoritatis nota consignata essent, uterentur. Itaque eos, qui consulto mensuris ponderibusque corruptis fallere conati erant, in levioribus illico puniebant, in gravioribus ad Thesmothetarum iudicium adducebant [270]). De eorum numero maxime certatur, quia tres testes veteres plane inter se differunt, Harpocration quindecim (decem in Piraeo, quinque Athenis), Suidas viginti quatuor (novem in Pir., quindecim Ath.) lexicaque Segueriana [271]) decem, pari numero divisos, tradunt: attamen negari non potest, duobus aliis tam eximie praestare Harpocrationem, ut, sin etiam maior rei proba-

---

τις Ἀθήνῃσι κληρωτὴ ἡ τῶν μετρονόμων, δέκα τὸν ἀριθμόν, ὧν πέντε μὲν ἦσαν ἐν τῷ Πειραιεῖ, πέντε δὲ ἐν ἄστει. οὗτοι εἶχον e. q. s., αὐτολεξεὶ redduntur cetera scholii prioris verba. Vid. quae ad h. loc. ob numerum not. 212 adnotavi.

270) Conf. Meier. Att. Procefs, pag. 64—68, 480, et feq. 539—541. Quibus voc. δίκη ἐμπορική explicationem e lex. Seguer. pag. 258 (Harpocrat., Suid. et Hesych. eam non produnt) addo: „ὄνομα δίκης, ἣν πρὸς τοὺς ἐμπόρους περὶ ὁτουδὴ λαγχάνουσιν. ἦσαν δὲ αὗται ἔμμηνοι ὑπὲρ τοῦ μὴ τρίβεσθαι αὐτοὺς δικαζομένους καὶ ἀργεῖν τῆς ἀγορᾶς": nec non de fraudibus in servorum venditione s. v. ἀναγωγή ibid. pag. 217: „ἡ ἀπόδοσις τοῦ κακῶς πραθέντος ἀνδραπόδου" et „ἀναγωγὴ οἰκέτου· δίκης ὄνομα· ἀναγωγὴ γάρ ἐστι τὸ τὸν πωλοῦντα οἰκέτην νόσημα ἔχοντα, καὶ μὴ προειπόντα τῷ ὠνουμένῳ ἐφεῖσθαι τῷ ὠνησαμένῳ διακρίνεσθαι πρὸς τὸν πεπρακότα, ἀπογραψάμενον πρὸς τοὺς ἄρχοντας (nempe thesmothetas) τὴν αἰτίαν, δι' ἣν ἐγκαλεῖ· καὶ τὸ οὕτως ἀπογράφειν ἀνάγειν καλεῖται καὶ ἡ ἀπογραφὴ ἀναγωγή"· et quae sequuntur ibidem s. ἀνάγειν εἰς πράτην. Succinctius eadem Harpocration I. 15 et Suidas I. p. 159. s. h. voc. praebent.

271) Loci integri exscripti sunt in not. 269.

bilitas accedat, vix difficile erit optare, quemnam eorum sequamur. Itaque Harpocrationis computationem, ut nunc legitur, solam probo et contra quemque emendandi conatum, quorum quidem Boeckhius [272]) certo minime molestam proposuit, servandam esse existimo. At de conficiendis iustis mensuris earumque usu, tam rebus siccis fructibusque delicatis quam fluidis apto, de iis quae facienda sint si falsae reperiantur mensurae, denique de conservandis mensuris normalibus in tribus locis, Acropoli, Piraeo, Eleusine, dignissimum vetustatis documentum nunc tenemus [273]), quod tamen magno nostrae scientiae damno non propria magistratuum nomina prodit, sed modo in universum de magistratibus, quibus leges constitutae haec officia demandarunt (*αἱ δὲ ἀρχαί..... τοὺς δὲ ἄρχοντας*), praeterea in quibusdam gravissimis locis non parvas habet lacunas. —

Frumentum, polentam, grana, legumina, farinam ac panificium cuiusque generis mercandi cura, quam ex Agoranomorum munibus supra exclusimus, Athenis proprio Sitophylacum magistratu, quem ceteroquin in aliis Graecorum civitatibus crebro institutum esse percepimus [274]), exercebatur. Hi Aristotele teste numero viginti [275]) sorte legebantur, et ut res ipsa ex-

---

272) Staatshh. d. Athen. I. pag. 52. not. 193.

273) Inscriptio longa, cuius vero aetas e litterarum scribendarum ratione cognosci non potest; ea e Fourmontianis a Boeckhio iam Staatshh. d. Ath. tab. VIII. nr. XIX edita et tom. II. pag. 341 — 355 illustrata, nuperque in corpore Inscript. Fasc. I. s. nr. 123. pag. 64 — 69 reddita est.

274) Aristotel. Politic. IV. cap. 15: „*αἱ δ' οἰκονομικαὶ (ἀρχαὶ) πολλάκις γὰρ αἱροῦνται σιτομέτρας.*"

275) Vide quae iam not. 212 de numero diximus. Harpocrat. s. h. v.: „*Σιτοφύλακες, Δείναρχος ἐν τῇ κατὰ Καλλισθένους εἰςαγγελίᾳ· ἀρχή τις ἦν Ἀθήνησιν, ἥτις ἐπεμελεῖτο, ὅπως ὁ σῖτος δικαίως πραθήσεται καὶ τὰ ἄλφιτα καὶ οἱ ἄρτοι· ἦσαν δὲ τὸν ἀριθ-*

postulabat, ad naturalem hominum frequentiam officia inter urbem et Piraeum ita partiebantur, ut in illius magnitudine triplici quindecim, in portu quinque tantum administrarent. Quod autem ad officia ipsa spectat, plane eadem erant, quae Agoranomi in ceteris mercibus vendendis ac emendis curabant; nec minus

---

μὸν πεντεκαίδεκα μὲν ἐν ἄστει, πέντε δ' ἐν Πειραιεῖ, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ." Jac. Gronovii nota ad h. loc. pag. 119, ut tenuissimus philologi nimie politi scrupulus leviter refutatur. Quid enim haec probant? „Enimvero quam multa ad id requirebantur, et quis magistratus ista praestare poterat! Itaque Latinus interpres sine dubio fuit homo cautus, quum ad solum pretium istam iustitiam adstringit. At quis ita loquitur δικαίως πραθήσεσθαι, ut notet iusto pretio venditum iri. Certe non in v. Πωλητάς, non in v. Προμετρητής, non in v. Προέδροις, non in v. Νομοφύλαξ, non in v. Ναυτοδίκαις adnotavit de iustitia, licet omnes illi magistratus eam pro scopo (!) haberent. Egregie omnino videtur Harpocrationem restituere Cod. Mediceus ὅπως ὁ σῖτος διαπραθήσεται, nempe pro copia aut caritate annonae." Sane inutilia obiecta sunt; nam sicuti σῶμα δίκαιον apud Hippocratem, συγγραφεὺς δίκαιος in Luciano de conscrib. hist. nil nisi corpus et auctorem iustum significant, sic etiam δικαίως πραθήσεται = iusto i. e. ad iustam mensuram vel pondus venderetur. Itaque coniectura διαπραθήσεται, etsi Codice Mediceo fretus (lex. Seguer. compilatio sine dubio aetate multo prior est, tamenque δικαίως praebet) Grammatici modo argutias redolet et plane abiicienda est. — Harpocrationis verba auctorum testimoniis omissis accurate exscripsit lex. rhetor. in Seguer. pag. 300; haec tamen addidit „ἄρχοντες Ἀθήνησι κληρωτοί" et post ἄρτοι „κατὰ τὰς ὡρισμένας τίμας καὶ τὸν σταθμόν." Nec minus eadem verba reddunt Photius ac Suidas, quae vero Petitus Comment. ad leg. Attic. pag. 420 sic distinxit et legere proposuit..... πεντεκαίδεκα· ἐν ἄστει δέκα, πέντε δ' ἐν Πειρ., sed sine minima codicum auctoritate numerum δέκα adiunxit; quare et contra hanc coniecturam, etsi eam verborum positione modo permutata δέκα ἐν ἄστει Boeckh. Sthh. d. Ath. I. 91. not. 379 defendit, vulgatam ac re comprobatam quisque merito tuebitur.

punendi ius eodem modo circumclusum erat [276]), ut praecipue tantum de mensura in rusticos, de pondere, panificii bonitate pretioque aestimato in pistores delinquentes animadverterent. Quamobrem iis quoque, sicuti illis respublica quosdam administros adsociavit, nempe Prometretas [277]), quorum numerum nescimus, munia vero per annum demandata [278]) non inter valde honorifica habita esse videntur; a Metronomorum officiis eo discrimine discedunt, ut ipsi metiendi negotium perficerent, parvamque pensionem pro eo acciperent. Sed praeter mercatus custodiam Sitophylaces Athenien-

276) Meier. Att. Proc. pag. 93. eorum iudicia iusto latius extendisse videtur.

277) Harpocration: „*προμετρητὴς ὁ το`ς πιπρασκομένους πυροὺς ἐν τῇ ἀγορᾷ καὶ τῶν ἄλλων σπερμάτων ἕκαστον διαμετρῶν καὶ ὁ τούτου τοῦ ἔργου μισθὸν λαμβάνων προμετρητὴς ἐκαλεῖτο. Ὑπερίδης ἐν τῷ περὶ τοῦ Ταρίχους καὶ Δείναρχος κατ' Ἀγασικλέους, Σκύθου τοίνυν τοῦ προμετρητοῦ υἱὸς ἐν δημόταις γέγονε, καὶ οὗτος ἐν τῇ ἀγορᾷ προμετρῶν διατετέλεκεν καὶ ὑμεῖς ἐκλαμβανόμενοι παρ' αὐτοῦ τοὺς πυροὺς διατελεῖτε.*" Haec ad verbum, excepta Hyperidis evocatione, repetit Suidas III, ad quem l. Meursius lect. Attic. II. cap. 16. pro *προμετρητής* potius *πυρομετρητής* scribendum esse adnotat, tum ob vocis etymologiam, quod Harpocration et Suid. h. voc. per *ὁ τοὺς πύρους διαμετρῶν* illustrant, tum etiam ob Polluc. VII. §. 4. auctoritatem, *πυρομετρῶν* et *πυρομετρητῶν* memorantis (qui minime h. l. magistratuum nomina proferre vult). Sed nulla ratione haec coniectura desideratur, ut iam Gronov. ad Harpocr. pag. 111. ed. Lips. I. 284 his verbis austere ostendit: „Si ab materia in foro vendi solita sic dictus fuit apud Athenienses hic *πυρομετρητής*, isque ab Harpocratione ita notatus; ubi ille *ἐλαιομετρητής* et similium mercium praefecti? Imo si non modo *πυροὺς μετρεῖν*, sed etiam *ἄλλα σπέρματα* fuit eius officium, cur non *κριθομετρητής* aut *σιτομετρητής*, ut sitophylaces infra discimus, aut tali appellatione fuit distinctus?"

278) Lex. Seguer. pag. 290: „*Προμετρητοί· ἄρχοντές τινες ἐνιαύσιοι ἦσαν, οἱ τῷ δικαίῳ μέτρῳ διαμετροῦντες τὰ ὄσπρια καὶ τοὺς πυροὺς ἐν τῇ ἀγορᾷ.*"

ses dardanarios [279]) coërcere, atque e severissima lege [280]), iam quinto seculo ante vulgar. ration. vigente, prohibere debebant, ne quis supra quinquaginta frumenti phormos [281]) coëmeret; quodsi vero hoc officium in republica tam gravissimum negligebant aut exsequi non poterant, etiam capitalem poenam civibus offensis dare cogebantur [282]). Quocum autem magistratu Sitonae, qui pecunia publica frumentum coëmebant [283]), ut minore pretio populo distribueretur, omnino non permutari possunt, quod etiam Boeckhio, qui cetera de hac re plane exhausit [284]), contrarium accidit [285]). Is enim Lysiae locum, nota sequenti exscriptum, ad Sitophylaces adtrahit, numerumque tres prioribus Sitophylacum temporibus vindicat; at vir eruditus plane neglexit, Lysiam et Aristotelem, qui eosdem viginti fuisse refert, non multo plus viginti annis inter se distare, ita ut hic, totam Atheniensium rempublicam describens, numeri discrimina, si qua in tam brevi temporis spatio facta essent, nulla condi-

279) Eorum negotia Boeckh. Staatsh. d. Ath. I. 88—95 bene exposuit.

280) Lysias Dardanar. accusat. Bekk. O. A. I. §. 6: „νόμον, ὃς ἀπαγορεύει μηδένα τῶν ἐν τῇ πόλει πλείω σῖτον πεντήκοντα φορμῶν συνωνεῖσθαι." Cf. Schoemann. de comit. Athen. pag. 198, locaque apud Boeckh. l. c. congesta.

281) Mensura magnitudinis non computatae, quam Boeckh. l. c. I. pag. 89. not. 575 medimno fere aequalem ponit.

282) Lysias l. cit. §. 16: „σιτοφύλακας ἀποκληροῦτε· καὶ πολλάκις ἤδη παρ᾽ ἐκείνων πολιτῶν ὄντων δίκην τὴν μεγίστην ἐλάβετε ὅτι οὐχ οἷοί τ᾽ ἦσαν τῆς τούτων πονηρίας ἐπικρατῆσαι.".

283) „Σιτώνης ὁ προεστὼς τοῦ δημοσίου σίτου." Lex. Seg., et Pollux VIII. cap. 9. §. 114: „σιτῶναι δὲ οἱ συνωνούμενοι." Demosth. pro coron. Bekk. IV. §. 248; Reisk. p. 310: „ἔπειθ᾽ αἱρούμενος σιτώνην ἐκ πάντων ἐμὲ ἐχειροτόνησεν ὁ δῆμος."

284) Staatsh. d. Ath. I. 95—99.

285) Ibid. pag. 90.

tione negligere posset. Tres autem Sitonae, ut e Lysia manifesto patet [286]), populi suffragiis creabantur, magnoque in honore habebantur [287]); quibuscum alii curatores recipientes, Apodectae [288]), necessario semper coniuncti erant, qui ad mensuram frumentum reipublicae emtum accipiebant, acceptumque in publicis frumenti donationibus (*αἱ Σιτοδοσίαι*) emetiebantur. In aliis Graecorum civitatibus, exempli gratia Corinthi [289]), utroque munere unum curatorem functum esse vix ambiguum existimamus.

Denique praeter Prometretas alios Sitophylacum socios maiorisque dignitatis in mercatu maiore, nempe in commeatu, qui mari Athenas vehebatur, decem portus custodes vel praesides (*οἱ ἐπιμεληταὶ τοῦ ἐμπορίου*) per quemque annum sorte lectos [290]), publiceque exquirendi actioni ante magistra-

---

286) Non dubitari potest, quin in Dardanar. accus. Bekk. §. 5, 8, 10, 11—15 solummodo Sitonae designentur, si haec loca acriter perpendere volumus. Numerum ipsum prodit §. 8: „*παρακαλέσαντες τοὺς ἄρχοντας ἠρωτῶμεν· καὶ οἱ μὲν δύο οὐδὲν ἔφασαν εἰδέναι τοῦ πράγματος, Ἄνυτος δ'* (tertius ergo Sitona) *ἔλεγεν ὡς τοῦ προτέρου χειμῶνος, ἐπειδὴ τίμιος ἦν ὁ σῖτος*" e. q. s.

287) Demosth. in not. 283 et verba deinde sequentia.

288) Polluc. Onom. VIII. cap. 9. §. 114: „*καὶ ἀποδέκται οἱ τὸν σῖτον ἀπομετρούμενοι.*" Sed insuper alios Apodectas in publicis reditibus accipiendis e lexicographis cognovimus, quorum tamen hic nullam rationem habere possumus, quique cum ceteris rei aerariae administratoribus iam diu dignam disquisitionem Boeckhii eruditione nacti sunt.

289) S. Pauli epist. ad Roman. cap. 16. v. 23: „*ἀσπάζεται ὑμᾶς Ἔραστος, ὁ οἰκονόμος τῆς πόλεως.*" Paulus, ut notissimum est, has litteras Corinthi scripsit.

290) Harpocrat. s. v. *ἐπιμελητὴς ἐμπορίου*: „*Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ φησὶν οὕτως· ἐμπορίου δ' ἐπιμελητὰς δέκα κληροῦσιν, τούτοις δὲ προστέτακται τῶν τε ἐμπορίων ἐπιμελεῖσθαι καὶ τοῦ σίτου τοῦ καταπλέοντος εἰς τὸ Ἀττικὸν ἐμπόριον τὰ δύο μέρη τοὺς*

8 *

tum initum subiectos [291]) accipimus. Quibus id solum praeceptum erat, ut omnes mercatores Athenienses cogerent, cunctae frumenti in portum subvecti copiae duas partes in urbem importare, tertiam vero libero eorum arbitrio permitterent. At haec omnia munera Athenis in mercando occupata, quibus communem praeconum [292]), qui venalia exclamare solebant, curam adnumerare possumus, sub Romanorum imperio, civilium rerum studio penitus deperdito, ita molesta habebantur, ut magno gaudio afficerentur, qui ab his officiis imperatorum clementia immunes enuntiarentur. Quod ex Antonini Pii edicto [293]) intelligimus, quod omnes philosophos, rhetores, grammaticos et medicos tali gratia dignos proclamari iubet.

Sed praeterea omnia graviora his magistratibus peragenda populus semper in comitiis statuebat, quemadmodum de re nummaria [294]), de ponderibus ac men-

---

ἐμπόρους ἀναγκάζειν εἰς τὸ ἄστυ κομίζειν." Eadem sine testis nominatione et Suidas et lex. Seguer. pag. 255 praebent, sed utrique annuam creationem, quae quidem per se intelligitur, addunt. Tum in inscript. apud Boeckh. Corp. Insc. I. nr. 124. pag. 169: „ἐπιμελ — ἐπὶ τὸν λίμενα κεχειροτονημένος." Cf. Meier. l. c. p. 249 et 251.

291) Dinarch. in Aristogit. Reisk. pag. 82: „ἐμπορίου ἐπιμελητὴς λαχὼν ἀ π ε δ ο κ ι μ ά σ θ η, ὑπὸ τῶν τότε δικαζόντων ἄρχειν τὴν αὐτὴν ἀρχήν." Cf. Meier. l. cit. pag. 206, ubi ταύτην ἀρχ. probe emendat, et pag. 562, 539—541.

292) Pollux VIII. 9. §. 103: „οἱ δὲ (nempe κήρυκες) κατ' ἀγορὰν τὰ ὤνια προκηρύττοντες."

293) Modestin. de excusat. tutel., Digest. XXVII. tit. 1. l. 6. §. 8. Antoninus... „παρελθὼν ἐπὶ τὴν ἀρχὴν διατάγμα τι τὰς ὑπαρχούσας τιμὰς καὶ ἀτελείας ἐβεβαίωσεν, γράψας φιλοσόφους, ῥήτορας, γραμματικούς, ἰατροὺς ἀτελεῖς εἶναι γυμνασιαρχιῶν, ἀγορανομιῶν.... σιτωνίας, ἐλαιωνίας" e. q. s.

294) Athenaei XV. cap. 9. Schwgh. pag. 458; Aristoph. Ran. v. 732, Ecclesiaz. v. 815 apud Boeckh. l. cit. II. p. 156. Schoemann. l. c. pag. 288.

suris [295]), de mercibus importandis exportandisve et vendendis [296]), denique de peregrinis admittendis aut prohibendis ab Atticorum portuum aditu [297]) eum iussa edentem persaepe in veteribus documentis observamus. Nec minus magistratuum acta tantummodo in comitiis rescindi poterant, quod non raro in mulctis remittendis factum est. Eae enim non solum a populo convocato, aut a iudiciis, aut a senatu dicebantur, sed etiam minoris pretii a quoque magistratu in sua provincia imponebantur. Remitti tamen non nisi a populo poterant, immo etiam eidem non aliter de tali re in comitiis agere licebat, „nisi prius civium haud minus sex millia veniam atque impunitatem actori occultis suffragiis scivissent," ut Schoemannus [298]) optime exposuit.

Tandem extra ordinem in foro comitiorum diebus Lexiarchi aspiciebantur, quorum sex Athenis institutos esse Pollux [299]) meminit: qui populum sine cunctatione comitia inire cogebant, viasque ad forum claudebant hasque solas ad concionem perducentes apertas obtinebant, tum merces his horis e foro tolli

---

295) Inscript. XIX. tab. VIII apud Boeckh. l. c. II. p. 341 — 355, Corp. Inscript. I. nr. 123. pag. 64 — 69.

296) Boeckh. I. pag. 58. 59; Demosth. de fals. legat.; Bekk. IV. §. 287; Reisk. pag. 453.

297) Demosth. in Timocrat. Bekk. V. §. 43 — 48; Reisk. pag. 714 — 715.

298) De comit. Atheniens. pag. 288.

299) Lib. VIII. cap. 9. §. 104: „οἱ ληξιάρχοι ἓξ καθίσταντο τῶν πολιτῶν ἐγγεγραμμένων ἐν λευκώματι, καὶ τριάκοντα ἄνδρῶν αὐτοῖς προσαιρεθέντων, τοὺς μὴ ἐκκλησιάζοντας ἐζημίουν ..... καὶ σχοίνιον μιλτώσαντες διὰ τῶν τοξοτῶν συνήλαυνον τοὺς ἐκ τῆς ἀγορᾶς εἰς τὴν ἐκκλησίαν." Cf. Aristoph. Ecclesiaz. v. 378 — 579, et Acharn. v. 21 — 22:

„οἱ δ' ἐν ἀγορᾷ λαλοῦσι, κἄνω καὶ κάτω
τὸ σχοίνιον φεύγουσι τὸ μεμιλτωμένον."

iubebant [300]), ne vulgus tam magnae incuriae ac proterviae apud has tempus tereret. Deinde cum triginta administris e civium numero et quibusdam servis publicis, sive Scythis armatis, sive sagittariis (*οἱ τοξόται*), ex eadem natione plerumque adsumtis, cives tardos negligentesque funis miniati nota animadvertebant, atque mulctae a se constitutae subiiciebant [301]), neque minus eos persequebantur, qui censendi ius illicite usurpaverant [302]). Sed ante omnia huius magistratus proprium erat albi digerendi officium, in quod omnes Athenienses civium filii post exactum annum vicesimum [303]) inscribi debebant, quo ex tempore pleno civitatis iure, et prae ceteris in concionibus censendi ac sortiendi gaudebant iure; a quo posteriore (*ἡ λῆξις* sortitio) et

---

300) Quod autem solum *in comitiis* habendis, ad summum igitur per quadraginta dies in quoque anno (Schoemann. Att. Proc. pag. 153), neque antem, nt iam supra a nobis dictum est, in iudiciis e civium multitudine eligendis per ducentos dies pauloque plures fiebat. Rem ipsam exponit Schol. ad Aristoph. Acharn. loc. nunc annotatum: „*ἀνεπετάννυσαν γὰρ τὰ γέῤῥα, καὶ ἀπέκλειον τὰς ὁδοὺς τὰς μὴ φερούσας εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ τὰ ὤνια ἀνῄρουν ἐν ταῖς ἀγοραῖς, ὅπως μὴ περὶ ταῦτα διατρίβοιεν, ἔτι μὴν καὶ μεμιλτωμένῳ σχοινίῳ περιβάλλοντες αὐτοὺς συνήλαυνον εἰς τὰς ἐκκλησίας.*"

301) Pollux not. 299. Copiosius hano rem tractat Schoemann. de comit. Athen. lib. I. pag. 62—64; Potter. Gricch. Arch.; Rambach I. pag. 163.

302) Pollux ibid.: „*οἱ ληξίαρχοι τοὺς ἐκκλησιάζοντας ἐζήταζον.*" Cf. Schoem. loo. evocat. pag. 82.

303) Harpocrat. s. voo. *ἐπιδίετες ἡβῆσαι*· „*ἔφηβοι παρ' Ἀθηναίοις ὀκτωκαιδεκαετεῖς γίνονται, καὶ μένουσιν ἐν τοῖς ἐφήβοις ἔτη δύο, ἔπειτα τῷ ληξιαρχικῷ ἐγγράφονται γραμματείῳ, καθά φησιν Ὑπερίδης ἐν τῷ πρὸς Χάρητα ἐπιτροπικῷ.*" Etymolog. magn. eadem verba repetit. Pollux VIII. cap. 9. §. 105: „*καὶ εἰς μὲν τοὺς ἐφήβους εἰςῄεσαν ὀκτωκαίδεκα ἔτη γενόμενοι, δύο δὲ εἰς περιπόλους ἠριθμοῦντο· εἰκοστῷ δὲ ἐνεγράφοντο τῷ ληξιαρχικῷ γραμματείῳ.*"

album ipsum (τὸ λεύκωμα) τὰ ληξιαρχικόν, et curatores in idem referentes οἱ ληξίαρχοι nominabantur. Schoemannus quidem [304]), qui plurima de hac re collegit, ephebi atque civis comitiorum iure ornati conditionem plane idemque valere censet; attamen testimoniis prolatis nil nisi iuvenem octodecim annorum tum examine (ἡ δοκιμασία) peracto [305]) puberem declarari, hereditatemque prorsus adire, tum etiam eundem offensores suos in iudicium vocare, virginemque in matrimonium ducere potuisse, i. e. omnia iura ad rem privatam spectantia habuisse comprobavit. Sed ex mea sententia, duobus principum lexicographorum locis freta [306]), neque ullo modo aliis argumentis denegata, ephebo ante plenum vicesimum annum civitatis iura deerant politica, quae suffragii orationisque in concionibus habendae ius atque munera publica obeundi dignitatem praebebant; quemadmodum in recentiore quoque aetate civium iura privata et politica ex annorum serie in plurimis rebuspublicis prorsus diversa sunt, ita ut in quibusdam minora iura publica, sicuti inferiora iudicum vel civilis vel militaris administrationis munera, etiam legitimam de re privata disponendi libertatem antecedant, ut ad illa iam in vicesimo anno ad hanc demum vicesimo quarto quisque perveniat; ut in aliis utrumque ius plenum vicesimo primo vel vicesimo quarto accipiatur; ut in multis denique regnis, si adhuc cives in regni comitiis repraesentandi privilegium — venia sit verbis — respicimus, pleno civium iure politico tricesimo demum anno, ut apud Borussos ac Bavaros, aut

304) De comit. Athen. pag. 76—79.

305) Harpocrat. s. voc.: „δοκιμασθεὶς, ἀντὶ τοῦ εἰς ἄνδρας ἐγγραφεὶς, Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Ὀνήτορος", nempe inter ephebos, virili libertate ornatos, neque in lexiarchico consignatus.

306) Not. 303 iam exscripta sunt.

etiam quadragesimo anno, uti apud hodiernos Francogallos singulae civium classes fruantur, quamvis in rebus privatis iam vicesimo primo (Bavar. et Francogall.) vel vicesimo quarto peracto (Boruss.) iustam statuendi potestatem nanciscerentur. Sic etiam apud Athenienses iuvenibus vicesimum annum transgressis sine alio examine plenior civitatis iuris conditio perlata esse videtur, quum nomina lexiarchorum tabulis traderentur. Sin autem oratorum verba [307]), quae ephebi conditionis declarationem et inscriptionem in albo simul factam esse clare enuntiare videntur, contra meam opinionem pugnare coniectes, profecto caveas, ne sermonis flu-

307) Ex. grat. Lycurg. in Leocrat. Reisk. pag. 189 apud Schoemann. de comit. Athen. I. pag. 77. et Aeschin. in Timarch.; Bekk. III. §. 105; Steph. pag. 14. Praeterea contra Schoemannum ipsum altero loco eod. oper. pag. 105 testificantem afferas, ubi pleni civium iuris adepti exempla congessit, quae ad summum ad vicesimum annum peractum, nusquam inferius ipso fatente adtrahi possunt. Veruntamen pag. sequenti Alcibiadem vicesimum annum nondum nactum in medium proferens, Xenophontem Memor. Socrat. I. c. 2. §. 40 in memoria habuisse debet; sed videamus, quanta dubitatione ibidem narratum sit: „λέγεται γὰρ Ἀλκιβιάδην πρὶν εἴκοσιν ἐτῶν εἶναι, Περικλεῖ ἐπιτρόπῳ μὲν ὄντι ἑαυτοῦ, προστάτῃ δὲ τῆς πόλεως τοιάδε διαλεχθῆναι περὶ νόμων", quantumque intersit inter rempublicam capessendam et de legibus colloqui cum principe civitatis. Sin autem Glauconem, Aristonis filium ex eodem Xenophontis opere III. cap. 6. §. 1. memorat, profecto nihilo magis opinionem suam firmabit: sane enim mirum esse existimo, quemadmodum Schoemannus hoc exemplum, a regula omnino aberrans, nempe „ἑλκόμενόν τε ἀπὸ τοῦ βήματος καὶ καταγέλαστον ὄντα", nobis pro assueto more offerre voluerit. At insuper equidem verae numeri rationi „οὐδέπω εἴκοσιν ἔτη γεγονώς" non multum confidam, quia non hominis vitam historica ratione accurate describendam suscepit, sed iuventutem solam, candidatumque igitur muneri publico nondum aptum describere voluit, quorundam vero mensium plane incuriosus fuit; nihilominus tamen addidit „ὅτ' ἐπεχείρει δημηγορεῖν, ἐπιθυμῶν προστατεύειν τῆς πόλεως."

mini verborum ponendorum diligentiam nimie accuratam falso adtribuas, hancque ob levem caussam gravissima argumenta, utrumque progressum in civium iuribus participandis ex iuvenum aetate distincte manifestantia, nihili aestimes [308]).

Sed haec sunt, quae de administratione civili in antiquitate praemittere volui, ut facilius intelligatur, qua coniunctione mutua et quo discrimine munia civilia prae ceteris apud hos principes huius temporis populos, Athenienses et Romanos, procurari solerent. At cuique haec perscrutanti omnino necessarium est, ut res altius repetatur, quod aliter, populorum connexu neglecto, vera administrationis civilis imago ex antiquitate nullo modo accipi possit, tamenque praecipue his commentationibus specialibus a quocunque paretur, ut sensim sensimque ea accuratissime describatur. Ceterum non difficile est suspicari, plures lectores unum alterumve Graecorum magistratum in nostro libro adhuc esse desideraturos, qui non dubie huic disquisitioni subiici debuisset, si solam illorum magistratuum comparationem cum Aedilibus Romanis quam maxima extensione praebere mihi in animo fuisset. Sic ante omnes ad aerarii pecuniaeque multaticiae

308) Postquam haec litteris iam mandata erant, amicus optimus, Prof. Ellendt duo Boeckhii programmata, Berolinensis universitatis litterariae praelectionum catalogis a. 1819 praemissa, neque vero per bibliopolarum manus accipienda mihi attulit, e quibus perdoctis dissertationibus virum eruditum ad eundem exitum pervenisse magno gaudio cognovi, eo tamen discrimine, ut iuvenum inscriptionem in tabulas lexiarchicas anno quidem decimo octavo, in tabulas comitiales, πίνακες ἐκκλησιαστικοί, vicesimo factam esse censeat, post quem exactum demum ad officium publicum capessendum prodire iuvenibus licuisse statuit. Itaque in re, in diversis Attici civitatis iuris gradibus consentimus, atque verisimiliter Boeckhius quoque secundam iuvenum inscriptionem lexiarchis adscribet.

administrandae curam prodire me oporteret, quum in hac quoque Aediles apud Romanos versarentur, resque ipsa tam arcte cum munibus ad res sacras spectantibus cohaereret. Attamen de Graecorum quaestoribus (*οἱ Ταμίαι*) iam Boeckhius [309]) luculentissime scripsit, remque paene absolvens demonstravit, decem Minervae quaestores non modo deae opibus fuisse praefectos, sed simul publicum populi Atheniensis aerarium, quod Minervae templo contiguum, vel potius in ipsius templi parte fuerit, administrasse [310]), tum praeter eos alios denos fuisse omnium deorum quaestores circa Olymp. 90—95 [311]), denique redituum publicorum quaestorem (*ὁ ταμίας* vel *ἐπιμελητὴς τῆς κοινῆς προςόδου*). Sic porro quaedam magistratuum nomina a lexicologis nobis praebentur, quae in re forsan nunquam officium habuerint certum, ita ut ea tantummodo cog-

---

309) Staatsh. d. A. I. pag. 171—198, et Corp. Inscript. I. pag. 176—182, 212—213. Cf. loc. apud Polluc. VIII. cap. 9. §. 97, Harpocrat. et Suid. s. voc. *Ταμ.* et lexic. Seguer. p. 306.

310) Corp. inscript. I. nr. 87. pag. 126, ubi hi quaestores senatus scribae (*τῷ γραμματεῖ τῆς βουλῆς*) pecuniam solvere debent, ut pactionem cum Stratone, Sidonis rege, in columna inscribi pararet: tum inscr. nr. 88, 108, 115, 115. His sine dubio Colacretae adsociati erant, qui triobolum iudicialem civibus iudicantibus expendebant; quod solum de hoc officio tam ambiguo comprobari potest. Conf. Boeckh. Staatsh. I. p. 186—188, Harpocrat. s. voc. *ἀποδέκται*, Lex. Seguer. p. 275, et Suidas s. voc. *Κωλακρέται*; magisque ad rem faciunt Aristoph. Vesp. v. 695 „*σὺ δὲ χασκάζεις τὸν Κωλακρέτην*" scilicet eum, qui plebi iudicanti triobolum praebet; et mox infra v. 724 ead. significatione „*πλὴν Κωλακρέτου γάλα πίνειν*" i. e. a Colacreta stipendium iudiciale accipere. V. schol. ad h. l.

311) Inscript. nr. 5. §. 6 et nr. 12 apud Boeckh. Staatsh. et nr. 87 in Corp. Inscr. Sed alia quoque collegia, ut *ναυκλῆροι, οἱ ἔμποροι, τριηροποιοί, τειχοποιοί, Σαραπιάσται* et al. (l. Inscript. I. nr. 120, 124 al. Boeckh. Staatsh. I. pag. 183) suos quaestores habebant, de quibus hic sermo esse non potest.

nomina notioribus magistratibus pro singulis curis addita censeri debeant. Exempli gratia „οἱ εἰςαγωγεῖς [312]) ἦσαν ἑκάστου δικαστηρίου οἱ ἄρχοντες, οἱ εἰςῆγον αὐτοῖς τὰς δίκας", quae non de proprio magistratu, cuius officio uni solummodo caussae in iudiciis constituendae essent, intelligenda sunt, sed omnes magistratus caussas introducebant [313]), itaque εἰςαγωγεῖς erant, nempe quisque — universim quidem haec dici possunt — aut in iis delictis, ut vocis significatione latiore utar, quorum, ne unquam fierent, curam sive sorte sive denominatione demandatam susceperant; aut in litibus, quae cum ceteris eorum munibus facile coniungi poterant. Simili ratione τῶν Ποριστῶν [314]) nec minus τῶν Ζητητῶν [315]) officia explicari possunt. Sed via iam ita munita est, ut haud cunctanter ad Aediles ipsos pergamus.

---

312) Lex. Seguer. pag. 246.

313) Vid. totum librum primum in Meier. Att. Proc.

314) Lex. Seg. pag. 294: „ποristαί εἰσιν ἀρχή τις Ἀθήνησιν, ἥτις πόρους ἐζήτει· ἀπὸ τούτου γὰρ καὶ προςηγορεύθησαν." Suidas s. voc. Πορ.: „οἱ τοὺς πόρους εἰςηγούμενοι δημαγωγοὶ ἐπὶ τῷ ἑαυτῶν λυσιτελεῖ." Schol. ad Aristoph. Ran.: „ποριστταῖς, τοῖς φορολόγοις. τούτους λέγει τοὺς περὶ πόρον χρημάτων εἰςηγουμένους." Harpocration et Pollux hos ignorarunt.

315) Pollux VIII. cap. 9. §. 115: „ὁμοίως (sicuti τοὺς πράκτορας) δὲ καὶ ζητητὰς ἄν τις παρ' αὐτοῦ λάβοι, ὄνομα δημοσίας διακονίας, οἳ τὰ λανθάνοντα ἀνεζήτουν." Harpocrat.: „ἀρχή τις Ἀθήνησι καὶ κατὰ καίρους καθισταμένη, εἴ ποτε τοὺς ἀδικοῦντάς τι δημοσίᾳ δέοι ζητεῖν." Omnino igitur inquisitores a populo creati erant. Cf. Schoemann. de comit. Athen. pag. 222.

CAP. IV.

DE ROMANORUM AEDILIBUS SUB REGIBUS DISQUIRITUR, ATQUE HUNC MAGISTRATUM TUM TEMPORIS IAM ADFUISSE PLANE NEGATUR.

Merito censuit Thibautius [1]), perdifficillimum esse nostris temporibus de Romanorum magistratibus accuratam tradere commentationem historicam, quod quidem iam auctores antiqui nusquam aliquam certam copiosamve relationem de primis ullius muneris originibus, nec non de eiusdem auctoritate, magis magisque per plura secula amplificata, nobis reliquerunt; quod ne omnia quidem officia ullius magistratus usquam accurate ab illis enumerantur. Sane historiarum scriptores nihil nisi primam magistratus commemorationem — quod etiam ipsum a quibusdam negligitur — ac summum dignitatis gradum litteris mandarunt, et ad cives Romanos solos vel ad aequales respicientes, non aliter componere potuerunt, nisi res tritissimas in medium proferre vellent: et libri singulares de potestatibus iam in antiquitate conscripti, ut Junii Grachani, M. Varronis aliorumque, usque ad quaedam fragmenta perpauca ac brevissima, omnes perditi sunt. Attamen no-

1) In commentatione de Aedilibus, Civilistische Abhandlungen. Heidelberg. 1814. pag. 131.

bis cavendum est, ne nimie a veritate aberremus, si cum viro laudato censeamus, apud nullum magistratum Romanum neque transitum in aliud officium sive imperii prioris aetatis, sive sacrae aulae gradatim factum, neque totam muneris abolitionem sub imperatoribus posse cognosci. Quemadmodum enim contrarium iam in Consulum, Praetorumque historia percipimus, sic magis etiam Aedilibus ipsis comprobatur, uti capita sequentia demonstrabunt, etsi quidem nostra opera non immolesta e diversissimis auctoribus ac iuris Romani fontibus fragmenta singula notasque abruptas colligeremus necesse fuit.

De primis quidem temporibus paullo obscurius, quam voluntas auctorem ducat, disseri oportet, quod iam Livius [2]) non potuit, quin fateretur: „res exposui quum vetustate nimia obscuras, quae neque ex intervallo loci vix cernuntur; tum quod parvae et rarae per eadem tempora litterae fuere, una custodia fidelis memoriae rerum gestarum, et quod etiamsi quae in commentariis pontificum aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensa urbe pleraeque interiere." Quamobrem de his, quae ad domesticarum rerum administrationem sub regibus pertinent, paucissima modo, eaque etiam non sine omni dubitatione exposita praebere possumus. Attamen nunc certo affirmare conor [3]), nulla ratione Aedilibus similem magistratum in munibus, tam arcte definitis iam tum temporis exstitisse, minimeque talem magistratum potuisse Aedilis nomine ornari. Quodsi enim Niebuhrius [4]) et Dirkse-

2) Lib. VI. cap. 1.

3) Hanc rem iam in meo prodromo de Romanorum Aedilibus. 1823. 8vo attigi, quem autem nunc, ut per se intelligi potest, partim describens, partim emendans his libris involvi.

4) Römische Geschichte I. pag. 425: „Eigenthümliche Obrigkeiten des Volks' waren die Aedilen, deren Einsetzung

nius[5]) Aedilem perveterem magistratum fuisse apud Latinos censent, quare Romani quoque illum imitati sint in constituenda republica, omnino cum his consentire non possum. Nam hanc observationem nullis aliis affirmare argumentis neque volunt, neque possunt, nisi quod Aediles ulterius in omnibus municipiis, coloniis et Italiae praefecturis, prae ceteris vero in Latio reperiuntur, e quibus insuper in oppida translati sunt provinciarum; quod porro his omnibus magistratibus Aedilium nomen fuit commune, ita ut solummodo munia varia, quibus distinguerentur, aut numerus, quotquot in quoque oppido crearentur Aediles, ant annorum cursus, quem tenere deberent in magistratu, adscriberentur, utpote qui Aediles iuri dicundo, Aediles Curatores, Aediles Duumviri, Quatuorviri, Aed. Quinquennales e. q. s. essent: quod tandem civitas Romana sine hac administratione municipali, ut ita ex hodierna verbi significatione dicam, cogitari non potest.

---

wenigstens nicht jünger als die der Tribunen gewesen ist, mit deren Würde nach unseren Annalen ihr Amt gleichzeitig begonnen haben soll." II. pag. 15: „Dafs die Polizey über den plebejifchen Stand den Aedilen ursprünglich beigelegt, dafs ihr Amt gleich alt mit der Anordnung der Plebs als geschlossener Stand gewefen sey, scheint nicht zu bezweifeln, weil die Aedilität in allen Latinischen Städten eine einheimische Magistratur, und der wichtigsten eine war, in den Municipien blieb, und auch die plebejische Gemeinde Roms nicht ohne Municipalverfassung gewesen seyn kann." Eandem opinionem adoptavit et Creuzerus, Abrifs d. Röm. Antiquität, pag. 145, qui ex more consueto Niebuhrii coniecturam pro solidissimo argumento permutans disertissime, minime vero accuratus, primos Aediles plebis Romanae magistratus municipales (!) nominat.

5) In Ersch u. Gruber, Allgem. Encyclopäd. d. Wissenschaft. s. voc. Aedil.

At de his primo notandum est, nullo modo ex historiarum analogia demonstrari vel potius accipi posse, quemadmodum apud populos tam exiguae hominum frequentiae, tam incultos, plurimum per vitae cursum in bellis cum finitimis vagantes atque populantes, etiam ante Romanorum tempora talis administratio in rebus exstitisset internis, qualis nihilominus regendi ingenium expolitum, quam totius populi culturam valde elatam manifestasset. Dubitari enim non facile possit, quin quaecunque respublica Aedilium similiumque magistratuum institutione maiores culturae progressus ostendere debeat. Quodsi autem in hoc antiquissimae originis argumento producendo omnia testimonia plane desunt, hanc totam opinionem, quum praeterea illa Aedilitatis in universa Italia acceptae exempla demum e reipublicae labentis ac imperatorum temporibus nobis exstant, e disquisitione historica amovendam esse apparet. Enimvero ex adversa parte multo facilius illustretur, Romam ipsam, mox Latii caput, municipiis, quoad eadem magis magisque se excoluerint atque urbem in aliis quoque rebus imitata sint, quod quidem de coloniis per se intelligitur, exemplo fuisse, ut Aedilium magistratum reipublicae commodo tam necessarium instituerent[6]), quo semper civile commercium extensius vitaeque consuetudo amplior omnino non diu carere posset. Idcirco etiam in Latio Aedilium nomen commune ubique acceptum est, quoniam domesticarum rerum administratio in his oppidis eandem origi-

6) Eidem opinioni prorsus favet eruditissimus Otto de Aedilib. Colon. c. 5. §. 4: „ad Aedilium Romanorum exemplum Aediles in coloniis et municipiis constituti sunt. Nam quia omnis omnium oppidorum forma ad Romanam erat composita, ideo ante alios omnes, quibus curatio, officium, ministeriumve publicum iniungebatur, Aediles erant creandi, in quibus velut in imagine, Aedilium Curulium splendor et Plebeiorum diligentia cerneretur."

nem prae se fert, ita ut idem magistratus **solus**, nec ullus alius, **plerumque** apud Latinos creari soleret [7]); quum sola munia civilia minora indigenis committerentur, cetera autem officia graviora, praesertim iuris dicendi, a magistratibus Romanis dependerent. Libenter vero hanc quoque meam opinionem non sine omni concertationis specie in universum proponi posse confiteor; certo tamen ista veritati prioribus propius accedit, atque etiam documenta quaedam ex antiquitate ipsa ad eius auctoritatem probandam praebet, in quibus tamen ne Livium quidem [8]), Aediles sub regibus institutos diserte negantem, praegrandis ponderis aestimare nobis opus est.

Nam manifeste quaedam Aedilium munera sub regibus alio magistratu administrata cernimus, plura vero tum temporis nondum instituta esse e reliquo civitatis statu facile colligere possumus, quum civilium munerum amplificatio solummodo simul cum maioris potentiae externae progressibus crescere deberet. Quod autem ad illa adtinet, rex ipse, vel pontifices post Numae tempora [9]), neque minus quaestores atque prae-

---

7) Cic. Epistol. ad div. XIII, 11. rem verbis in textu descriptis de Arpino edidit; Spartian. in Hadriano c. 29: „per Latina oppida Dictator, Aedilis et Duumvir fuit."

8) Lib. IV. c. 4, ubi in novis institutionibus politicis enumerandis post Consules Dictatoremque creatos profert: „Tribuni plebis, Aediles nulli erant; institutum est, ut fierent."

9) Liv. IV. c. 4: „Pontifices, augures, Romulo regnante, nulli erant; ab Numa Pompilio creati sunt." Dionys. Halicarn. II. cap. 63: „ὅσα δ' ὑπ' ἐκείνου (Romulo nempe) παραλελεῖφθαι ἐδόκει, ταῦτα προςετίθει, πολλὰ μὲν ἀποδεικνὺς τεμένη τοῖς μήπω τιμῶν τυγχάνουσι θεοῖς, πολλοὺς δὲ βωμοὺς καὶ ναοὺς ἱδρυόμενος, ἑορτάς τε ἑκάστῳ αὐτῶν ἀπονέμων, καὶ τοὺς ἐπιμελησομένους αὐτῶν ἱερεῖς καθιστάς, ἁγνείας τε καὶ θρησκείας καὶ καθαρμούς, καὶ τὰς ἄλλας θεραπείας καὶ τιμὰς πάνυ

fecti urbis antiqui, denique curiones, si ex curarum propinquitate coniectare nobis licet, vel etiam tribuum praesides, inde a Servio Tullio creati [9a]), ea procurabant. Regia enim potestas [10]) in primis urbis originibus sola superiori rerum civilium curae satisfaciebat, sicuti summam potestatem sacerdotalem, iudicialem militaremque simul exercebat [11]), quum, ut hoc loco Pomponius [12]) non contra veritatem civitatis initium describit, populus sine lege certa, sine iure certo pri-

---

πολλὰς νομοθετῶν, ὅσας οὐθ' Ἑλληνὶς οὔτε βάρβαρος ἔχει πόλις, οὐδ' αἱ μέγιστον ἐπ' εὐσεβείᾳ φρονοῦσαί ποτε" e. q. seq., capite sequenti addito.

9a) Dion. Halicarn. IV. cap. 15: „ἄρχοντες δὲ καὶ τούτων ἦσαν, οἷς ἐπιμελὲς ἐγίνετο τά τε ὀνόματα τῶν γεωργῶν εἰδέναι τῶν συντελούντων εἰς τὸν αὐτὸν πάγον, καὶ τὰς κτήσεις, ἐν αἷς ὁ βίος αὐτῶν ἦν· καὶ ὁπότε χρεία γένοιτο ἐπὶ τὰ ὅπλα τοὺς χωρήτας καλεῖν, ἢ χρημάτων εἰσφορὰς κατ' ἄνδρα ἐκλέγειν, οὗτοι τά τε σώματα συνῆγον, καὶ τὰ χρήματα εἰσέπραττον" e. q. s.

10) De legibus regiis prae ceteris conferas commentationem doctissimam eximieque expolitam, quam Dirksenius in „Versuche zur Critik und Auslegung des Römischen Rechts, Lips. 1823. pag. 234—368" nobis donavit; ea nempe argute locum statuit, e quo obscurissimam publicae administrationis Romanae partem iudicio critico illustrare perscrutatores oporteret; sed iam ipse in rebus gravissimis quaestionem optime dissolvit. — — Prae ceteris locis legas Dionys. Halic. II. cap. 14.

11) Livius I. c. 20: „Tum sacerdotibus creandis animum adiecit Numa, quanquam ipse plurima sacra obibat, ea maxime, quae nunc ad Dialem flaminem pertinent. Sed quia in civitate bellicosa plures Romuli, quam Numae, similes reges putabat fore, iturosque ipsos ad bella, ne sacra regiae vicis desererentur, flaminem Jovi adsiduum sacerdotem creavit, insignique eum veste et curuli regia sella adornavit." Et Dionys. Halic. in loc. supr. notat. afferatur.

12) De orig. iur. §. 1, et deinde §. 14: „quod ad magistratus attinet, initio civitatis huius constat, reges omnem potestatem habuisse."

mum agere institueret, omniaque regis manu gubernarentur: quemadmodum eandem munerum coniunctionem in temporibus antiquissimis apud omnium populorum Graecorum reges reperimus, qui pari modo summi pontificis, imperatoris ac iudicis magistratu fungentes regnaverunt. Deinde pontifici maximo iam primo urbis conditae seculo permittebatur, non solum de omnibus publicis privatisque statuere sacris, nec non de pecunia, unde in eos sumtus erogaretur, sed etiam severe procurare, ut, quicquid iuris divini esset, aut ad ritus patrios recte peragendos pertineret, ceremonias peregrinas admiscendo nunquam contaminaretur vel turbaretur, nec minus funebria contra morem iustum adhiberentur [13]). Res autem sacrae quum pro toto populo a rege ipso, pro singulis curiis, nempe sacra curialia, a curionibus [14]), alia autem, forsan pro regis salute, a trecentorum celerum tribunis [15]), i. e. in primis civitatis temporibus a primis magistratibus civilibus ac militaribus administrarentur; iam in antiquitate error vere mirus quibusdam scriptoribus in mentem venit, omnes Romanorum magistratus derivare a sacerdotibus, ita ut Joannes Laurentius Lydus disertis verbis in medium proferre non vereretur, neminem

13) Quae fere ad verbum e Livio I. c. 20 desumta sunt: „pontificem deinde Numam Marcium ex Patribus legit, eique sacra omnia exscripta exsignataque adtribuit, quibus hostiis, quibus diebus, ad quae templa sacra fierent" e. q. s. Eadem quoque in Dionys. Halic. II. c. 63—66 adhuc copiosius legi possunt, quibus conf. Cic. de republ. II, c. 14.

14) Dionys. Halic. II. c. 64: „*Νομᾶς ἀπέδωκε δὲ μίαν ἱερουργιῶν διάταξιν τοῖς τριάκοντα Κουρίοσιν, οὓς ἔφην τὰ κοινὰ θύειν ὑπὲρ τῶν φρατριέων ἱερά.*"

15) Ibid.: „*τὴν δὲ τρίτην (τῶν ἱερουργιῶν διάταξιν) τοῖς ἡγεμόσι τῶν Κελερίων ἀπέδωκε, οὓς ἔφην ἱππεῖς τε καὶ πεζοὺς στρατευομένους φύλακας ὑποδείκνυσθαι τῶν βασιλέων· καὶ γὰρ οὗτοι τεταγμένας τινὰς ἱερουργίας ἐπετέλουν.*"

vulgo ignorare, sacerdotes ante magistratus institutos praefuisse Romanorum civitati [16]. Sed is auctor, omnino quidem inter levissimos pessimosque Byzantinos notus, demumque in sexti seculi dimidio primo post Christum natum libros suos raptim congerens, tamenque ob multas res unice ab eo servatas interdum haud contemnendus, talia scribens non sua auctoritate sola tuitus est, sed nomina dignissima pro opinione sua provocavit testantia, nempe Capitonem ac Fonteium, e quibus eruditissimum Varronem eandem assumsisse, post eum omnes Romanos doctiores, praecipue vero Sallustium in historiarum libro primo perspicue reddidisse contendit. Nihilominus non possum, quin e tota civitatis Romanae indole, quae hac in re contradicendo sola sufficit, fatear, hanc Lydi [17] opinionem, etiamsi adhuc audacius dicta esset, semper inanibus scriptorum, a via assueta doctius aberrare cupientium, nugis me esse adiuncturum. Praeterea au-

16) De magistr. Roman. prooem.: „ἱερέας γενέσθαι τὸ πρὶν τοὺς ὕστερον ἄρχοντας τοῦ Ῥωμαίων πολιτεύματος, οὐδενὶ τῶν πάντων ἠγνόηται."

17) Sed idem Byzantinus omnino non dubius est, quin (de magistr. Roman. I. c. 7, et de reliquo regio ornatu eodem modo iteratum est ibid. c. 12) vestem trabealem apud Latinorum reges ante urbem conditam in usu fuisse serio dicat, quum ex sua demonstrandi consuetudine auctor gravissimus (!), Virgilius in septimo Aeneïdos libro, v. 169 et 188, hoc affirmaret: „καὶ πανάληθες μᾶλλόν ἐστι καὶ γὰρ ὁ Ῥωμαίων ποιητής e. q. s. οὕτως ἐσταλμένον αὐτὸν εἰσήγαγε." Atque in universum de Lydo confitendum est, eundem fere minimi momenti fuisse pro meis commentationibus, quod non solum rem propositam levissime, interdum adeo fraudulenter tractavit, tum linguae latinae scriptorumque gravissimorum inscitia argumenta diversissima permutavit, tamenque firmiora omisit; sed etiam persaepe in aetatis suae historiam iniit, mixtimque inter magistratuum veterum descriptionem quaedam de Anastasii Justinianique imperiis protulit.

tem mox aliis documentis gravissimis Lydi levitatem vel etiam fraudulentiam in locis e scriptoribus antiquioribus excitandis comprobabimus.

Quod vero ad ludos aliasque conveniendi caussas et celebritates spectat, quos pariter ac res sacras Numam Pompilium partim instituisse partimque invenisse Cicero tradit [18]), veritati non absimile videtur, semper regem ipsum, quamdiu eius potestas perstitisset Romae, solummodo huic consuluisse officio, itaque ludos sumtibus procurasse publicis [19]): qua in re tamen non negandum erit, reges forsan ad hos actus adhibuisse curiones, tanquam administros in solemnibus [20]).

18) De republ. II. c. 14: „idemque (Numa Pompilius) mercatus, ludos, omnesque conveniundi causas et celebritates invenit."

19) Cicer. loc. not.: „Sacrorum apparatum perfacilem esse voluit; nam quae perdiscenda quaeque observanda essent, multa constituit, sed ea sine impensa: sic religionibus colendis operam addidit, sumtum removit." Conferas eundem cap. 20 de ludis, quos Romanos vocant, a rege Tarquinio Prisco primum institutis.

20) Quod ex communi curionum ministerio in rebus sacris derivari poterit, de quo praeter nostr. annot. 14. conf. Lydus loc. cit. I. cap. 9, ubi locus e Paterni Romani tacticorum libro primo legitur: „ὁ Ῥωμύλος δὲ κουρίωνας τῶν ἱερῶν φροντιστὰς προεστήσατο, τοὺς αὐτοὺς καὶ κεντουρίωνας τῶν πεζικῶν ταγμάτων ὀνομάσας", quo utroque officio, in simplici civitatis administratione tum temporis acta, curiones in universum civium in curias divisorum praesides instituebantur, ergo quodque curiarum negotium commune subisse videntur. Wachsmuthius, qui Röm. Gesch. pag. 193 contra talem interpretationem curiones tantummodo in rebus sacris occupatos esse, nunquam vero ulli exercitus parti praepositos esse censet, Lydum h. loc. cum Dionysio Halic. (not. 14) plane consentientem, insuperque ad fontem antiquiorem nos mittentem, prorsus neglexisse videtur, quum alioquin in opinione sua vix permanere potuisset. Curionis maximi dignitas, quae omnibus curionibus praefecta comitiis curiatis a populo creabatur, ut Festus s. voc. Maximus

Potestas iudicialis in primis urbis conditae temporibus, nullo modo a civilium rerum administratione seiuncta, divisa erat inter regem et senatum, ita ut ex mea sententia negotia minoris momenti extemplo a rege ipso vel componerentur, vel pertractarentur, graviora autem senatui diiudicanda et deinde statuenda permitterentur [20a]); sed bellis perpetuis novus magistratus necessarius factus est, nempe Quaestoris dignitas, quare Tullo Hostilio, qui regum Romanorum maxime bellis gerendis se dedisse dicitur, itaque crebrius a rebus civilibus alienus esse deberet, simulque tamen urbis ditionem amplius extenderet, quaesturae iudicialis institutio a pluribus auctoribus antiquioribus adscribitur, etsi alii scriptores veteres fide haud indigni iam ad priora Romuli sive Numae regna hunc magistratum, etiamtum a populo creatum [21]), extulerint. Namque pro hoc argumento M. Junii Grachani quidem, qui ad Attici patrem de potestatibus plures libros scripsit [22]), testimonium affert

---

tradit, sine omni dubitatione ad tempora posteriora, consulibus iamdiu institutis, adtrahenda est.

20a) Dionys. Halic. II. 14. e maiestatis regiae auctoritate assueta res rhetorice permutasse videtur de Romulo loquens: „ἔπειτα νόμων τε καὶ πατρίων ἐθισμῶν φυλακὴν ποιεῖσθαι, καὶ παντὸς τοῦ κατὰ φύσιν ἢ κατὰ συνθήκας δικαίου προνοεῖν, τῶν τε ἀδικημάτων τὰ μέγιστα μὲν αὐτὸν δικάζειν, τὰ δὲ ἐλάττονα τοῖς βουλευταῖς ἐπιτρέπειν, προνοούμενον ἵνα μηδὲν γένηται περὶ τὰς δίκας πλημμελές." Conf. ib. IV. cap. 25.

21) Lydus de mag. R. I. c. 24 ex Ulpiani loco, quem huic textus periodo inserui, descripsisse videtur: „τὸ πιστὸν τοῖς γράφουσιν ἡ τῶν ἀρχαίων ἐπιτίθησι μαρτυρία. Ἰούνιος τοίνυν Γραγχιανός, ἐν τῷ περὶ ἐξουσιῶν, αὐτοῖς ῥήμασι περὶ τοῦ καλουμένου παρὰ Ῥωμαίοις κυαίστωρος· „προεχωρήσαντο ψήφῳ τοῦ δήμου.""

22) Praeter hunc Ulpiani locum confer. de Grachano Cic. de leg. III. c. 20, et Fabric. biblioth. lat. lib. IV. c. 6. §. 5.

perquirendi munere fungebantur quaestores. Nescio igitur, cur Wachsmuthius [26]) Grachani auctoritate quaestoribus iam antiquissimis reditus publicos accipiendi munus assignaverit, et in ea cura sola administranda illorum institutionem usque ad Romulum reducere voluerit; nam in loco ipso, quem excitavit, nihil est, quod hanc sententiam firmet; et plura alia documenta probanda [27]), quae in annorum quidem computatione quaestoresque instituentium nominibus sane non consentiunt, in re ad unum conveniunt, plane contra-

---

etymologiam huius verbi tam late exposuit, ut me eam repetere pudeat.

26) Röm. Gesch. pag. 214.

27) Tacit. Annal. XI. c. 22, qui primos quaestores militares sexaginta tres annos post primos consules, urbanos vero adhuc posterius (id sane perverse conscriptum videtur) creatos cognovit; at quaestores iudiciales sub regibus institutos esse tradit, „quod lex curiata ostendit, a Bruto repetita." Plutarch. Publicol. cap. 12 consuli Valerio Publicolae legem quaestorum a populo creandorum ad pecunias colligendas adscripsit. Livius II. cap. 41 anno vigesimo quarto post Tarquinium Superbum expulsum duos modo quaestores iudiciales (ab Huellmanno, Staatsr. d. Alterth. pag. 260 hic locus non iusto adtrahitur, ut eorum munus in pecuniis administrandis ostendatur), eosdemque solos lib. III. cap. 24 et 25 anno quinquagesimo primo postea adnotavit, aliamque eorum classem tum temporis iam exstitisse prorsus ignorat, quum quaestores nullo titulo apposito distinguit, iisque tamen tantummodo iudicia de perduellionis crimine vel falso teste exercenda assignat; deinde pecuniarum quaestorum institutionem primam, vel etiam curarum permutationem plane silet, sicuti eodem modo et in Aedilibus primis creandis agit; tum autem ille primum horum mentionem facit an. nonagesimo civitatis liberae lib. IV. cap. 43, quando pecuniarum quaestorum numerus ob negotia militaria amplificata duplicari deberet, ita ut duo in urbe, duo alii consulibus ad ministeria belli praesto essent. Dionys. Halic. VIII. c. 77 Livii exemplum primum affirmat, quod etiam in Cicer. de republ. II. cap. 35 legitur.

rium ostendunt, nempe omnino post exactos reges quaestores demum ad pecunias asservandas creatos esse tradunt. Quorum testimoniorum insuper unum, Zonaras[28]) accuratissime huius magistratus munerum distinctionem proponens, quaestores primum de rebus capitalibus iudicium habuisse, deinde vero aerarii res administrasse manifeste dicit: quo ex loco nihilominus tamen Wachsmuthius[29]) miram profert conclusionem ac haudquaquam probabilem, quam si ob administrationis formam simplicissimam quaestorum muneri utrumque officium, et iudicis capitalis, et pecuniarum publicarum curatoris commissum esset, quum utrumque quaestorum nomini (!) tam apte accommodari posset.

Sed ex mea opinione, testibus iuste percensitis, Quaestorum historia in prioribus urbis conditae seculis ita componi potest, ut quisque locus excitatus magis explicetur, quam oppugnetur. Haud dubie fuerunt duo Quaestorum genera apud Romanos, criminum capitalium (ceterorumque gravissimorum ex. gr. falsi testimonii dicendi) et pecuniarum, quorum illud multo antiquius erat, certoque iam sub regum imperio institutum, et verisimillimum, ut iam supra dictum est, Tullo Hostilio iubente. Quod etiam praeter Ulpiani

---

28) Annal. VII. cap. 15: „οἱ πρῶτον (ante Valerii Publicolae tempora) μὲν τὰς θανασίμους δίκας ἐδίκαζον, ὅθεν δὲ τὴν προσηγορίαν ταύτην διὰ τὰς ἀνακρίσεις ἐσχήκασι καὶ διὰ τὴν τῆς ἀληθείας τῆς ἐκ τῶν ἀνακρίσεων ζήτησιν. ὕστερον δὲ καὶ τὴν τῶν κοινῶν χρημάτων διοίκησιν ἔλαχον, καὶ ταμίαι προσωνομάσθησαν. μετὰ ταῦτα δ' ἑτέροις μὲν ἐπετράπη τὰ δικαστήρια· ἐκεῖνοι δὲ τῶν χρημάτων ἦσαν διοικηταί."

29) Röm. Gesch. p. 215: „Bei der Einfachheit der Staatsmaschine wäre nicht zu verwundern, wenn man einem Magistrate doppelte Geschäfte, die beide gut zu seinem Namen paſsten, gegeben hätte."

Zonaraeque locos iam adnotatos, Livii enarratione [30]) de Horatio superstite damnando comprobatur, qua duumviri, nempe duo quaesitores vel quaestores, quos Livius nomine suae aetati assuetiore duumviros (sc. capitalium rerum) nominaverit, instituebantur, ut Horatii crimen perduellionis iudicarent. Sed hi non magistratus extraordinarii facti sunt, ut Dirksenius [31]) cum Gebauero [32]) censet; nam contra hanc opinionem cum Ulpiano ac Zonara, ceterisque locis in nota 27 prolatis, praecipue Tacitus [33]) pugnat, qui Quaestorum creationem sub ultimis regibus, vel etiam sub Tarquinio Superbo solo [34]) ob arbitrii libidinem magis magisque crescentem, omissam, a Bruto primo consule statim (postquam suos liberos in perduellionis crimine comprehensos capite plecti iusserat) propria lege redditam esse nos docet. Hanc autem legem non de pecuniarum quaestoribus illustrandam esse puto, quod

30) I. cap. 26: „rex, ne ipse tam tristis ingratique ad vulgus iudicii, aut secundum iudicium supplicii auctor esset, concilio populi advocato, Duumviros, inquit, qui Horatio perduellionem iudicent, secundum legem facio. Lex horrendi carminis erat: Duumviri perduellionem iudicent."

31) Versuche zur Critik des Röm. Rechts. pag. 541.

32) Dissertat. de Tullo Hostilio. cap. 12.

33) Annal. XI. cap. 22, vid. not. 27.

34) De hoc rege manifeste patet ex Liv. I. cap. 49: „Eo accedebat, ut in caritate civium nihil spei reponenti metu regnum tutandum esset; quem ut pluribus incuteret, cognitiones capitalium rerum sine consiliis per se solus exercebat" e. q. s. De Servio Tullio res est obscurior, quod Dionys. Halic. IV. cap. 25 solus iurisdictionis commutatae meminit, qua crimina commodum publicum laedentia rex cognovit ac punivit, in caussis autem privatis proprios ordinavit iudices „τῶν μὲν εἰς τὸ κοινὸν φερόντων ἀδικημάτων αὐτὸς ἐποιεῖτο τὰς διαγνώσεις, τῶν δὲ ἰδιωτικῶν ἰδιώτας ἔταξεν εἶναι δικαστάς, ὅρους αὐτοῖς καὶ κανόνας τάξας οὓς αὐτὸς ἔγραψε νόμους."

nullibi dicitur, sed de criminum capitalium quaestoribus, qua ratione simul dissensio Plutarchi in Publicola cum Taciti loco sublata est. Hi duo quaestores per quemque annum creabantur usque ad XII tabularum leges latas, uti Pomponius disertissime enarrat [35]), neque autem, sicuti sub regibus imperitantibus, a populo creabantur, sed a consulibus ipsis, quam iidem hac aetate regum locum explentes summi iudices essent Romae [36]), deligebantur [37]); donec ad urbis conditae seculi tertii finem eum quoque honorem populus mandaret. Tum autem nova Praetorum dignitate iudiciali addita, quae consulibus iurisdictionem civilem subtraxit, quaestorum parricidii curae partim ad Praetores translatae esse videntur, ita ut iis nihil nisi parricidii perquisitio singulari populi iussu demandata permaneret, quod vero munus usque ad Ciceronis aetatem [38]) ab iis

---

35) De orig. iur. §. 23: „Et quia, ut diximus (§. 16), de capite civis Romani iniussu populi, non erat lege permissum Consulibus ius dicere; propterea Quaestores instituebantur a populo, qui capitalibus rebus praeessent: hi appellabantur Quaestores parricidii, quorum etiam meminit lex XII tabularum."

36) Liv. II. cap. 1: „omnia (regum) iura, omnia insignia primi consules tenuere." Pompon. de orig. iur. §. 16: „exactis deinde regibus, Consules constituti sunt duo, penes quos summum ius uti esset, lege rogatum est"; et §. 27: „cumque consules avocarentur bellis finitimis, neque esset, qui in civitate ius reddere posset, factum est, ut Praetor quoque crearetur."

37) Tacit. Annal. XI. cap. 22.

38) Orat. pro Rabir. cap. 4: „hic popularis a duumviris iniussu vestro non iudicari de cive Romano sed indicta caussa civem Romanum capitis condemnari coepit." Sed hic ne ab Heineccio, Antiq. Syntagm. IV, 18. §. 19, fallaris moneo, qui certo contra cuiuscunque loci in fontibus reperti auctoritatem, omnes magistratus, sive dictatores, sive consules, sive praetores, quibus a senatu aut a populo de criminibus maximis conquirendi potestas data esset, in his casibus extraordinariis

sub duumvirorum capitalium nomine in magistratu extraordinario administrabatur.

Porro quod ad aliam Quaestorum classem adtinet, quae pecuniis conquirendis ac conservandis praefecta erat, eam regibus prorsus posteriorem, et ne sub primis quidem consulibus tanquam magistratum annuum institutam esse censemus. Omnino quidem Plutarchus et ex eo Zonaras in locis iam adductis e Valerii Publicolae consulatu primos pecuniarum quaestores proferunt, et Dionysius Halicarnassensis [39]), de regis Porsenae castris eiusdem munificentia Romanis concessis loquens, quinto anno postea eundem magistratum nominat, sed ceteri fontes hos quaestores plane silent, et Tacitus, Livius [40]) Pomponiusque [41]) adeo contra rei veritatem loquuntur. Quid? Numne haec dissensio iusta illustratione ex argumentis removeri possit? Haec duo exempla si accuratius consideres, utraque extra ordinem bellorum graviorum occasione [42]) allata

---

parricidii vel capitalium rerum quaesitores nominatos esse contendit. De triumviris capitalibus (a. 400 a. Ch. primum institutis, Liv. Epitom. libr. XI), qui poenas exsequendas essé curabant, neque perquirendi officio satisfaciebant, vid. infra in libro tertio.

59) Antiq. Roman. V. cap. 34: „*ἐδήλωσε δ' ἡ πρᾶσις, ἣν ἐποιήσαντο μετὰ τὴν ἀπαλλαγὴν τοῦ βασιλέως οἱ ταμίαι.*"

40) De Tacit. et Livio vid. not. 27.

41) De orig. iur. §. 22, ubi horum institutionem post tribunos et aediles pl. factos disertis verbis ponit: „deinde cum aerarium populi auotius esse coepisset, ut essent qui illi praeessent, constituti sunt Quaestores, dicti ab eo, quod inquirendae et conservandae pecuniae causa creati erant."

42) De secundo exemplo per se intelligitur, nec minus do primo consentiemus, si diligenter Plutarchum audimus, Publicol. cap. 12: „*Ἐπῃνέθη δὲ καὶ διὰ τὸν ταμιευτικὸν νόμον* (sc. lex de aerario conservando facta). *ἐπεὶ γὰρ ἔδει χρήματα εἰς τὸν πόλεμον εἰςενεγκεῖν ἀπὸ τῶν οὐσιῶν τοὺς πολίτας, οὔτ' αὐτὸς ἅψασθαι τῆς οἰκονομίας, οὔτε φίλους ἐᾶσαι βουλόμε-*

esse facile concedes, quibus igitur, si reipublicae novo opus esset magistratu, extraordinarius institueretur necesse fuit. Forsan ne quaestoris quidem nomen in his duobus casibus adhibitum sit, atque, sicuti in aliis magistratibus extraordinariis huius temporis factum est, qui vulgariter praefecti nuncupati sunt, ex. gr. praefecti urbi, annonae [43]), hi vix dubie aerario praefecti nominari potuerint, quos autem nostra tria testimonia, ab auctoribus Graecis praebita, posteriore quaestorum denominatione suetiore *ταμίας* verterint. Tum usque ad Decemvirorum leg. fer. tempora nullam aerarii quaestorum mentionem ab ullo auctore factam esse reperimus, ita ut certo prima eorum institutio ordinaria post u. cond. seculum tertium exactum ponatur. Qua vero ratione insuper ad Taciti computationem ita accedimus, ne censere vereamur, anno sexagesimo tertio post reges expulsos (a. 446 a. Chr.), quo Tacitus quidem permutatione non iusta quaestores militares electos esse scripsit [44]), primos pecuniarum quaestores urbanos e patriciorum

---

νος, οὔθ' ὅλως εἰς οἶκον ἰδιώτου παρελθεῖν δημόσια χρήματα, ταμιεῖον μὲν ἀπέδειξε τὸν τοῦ Κρόνου ναόν, ᾧ μέχρι νῦν χρώμενοι διατελοῦσι· ταμίας δὲ τῷ δήμῳ δύο τῶν νέων ἔδωκεν ἀποδεῖξαι..... καὶ χρήματα συνήχθη πολλά." Praeterea eligendi quoque ratio inter haec duo curatorum genera discrimen statuit, quum quaestores ordinarii hoc tempore a consulibus ipsis deligerentur.

43) De praefecto urbi paginis proxime sequentibus tractabimus, et praefectum annonae in maxima frumenti inopia constitutum, ut ex regionibus remotioribus frumentum cogeret, reper. Liv. IV. cap. 12, quo cum loco conf. Pompon. de orig. iur. §. 33: „nam praefectus annonae et vigilum non sunt magistratus, sed extra ordinem utilitatis caussa constituti sunt."

44) Militares ante quaestores urbanos institutos esse vix aliquis credidisset Tacito, etiamsi ne Livius quidem hanc rem copiose nobis narrasset, IV. cap. 43.

numero [45]) a populo esse creatos, qui sane in militaribus quoque rebus, urbis fortuna adhuc tam parva, ut summi pecuniarum curatores in civitate, totam rem aerariam administrabant. Denique negotiis gliscentibus cum civitate accrescente, anno vigesimo septimo postea (a. 419 a. Ch. n.) [46]), lex de quaestorum numero duplicando lata est, et post quasdam altercationes inter patricios et tribunos plebis de novorum quaestorum creatione exortas, plebi concessum est in quaestoribus creandis promiscue de plebe ac patribus liberum facere suffragium. Inde anno proximo primum quatuor quaestores facti sunt, tamenque omnes patricii, prout in aliis concessionibus a plebe non statim diligenter adhibitis evenerat, per duodecim annos sequentes; sed hoc ex tempore (a. 407 a. Ch. n.) mox maior, mox minor, interdum quoque par quaestorum numerus [47]) e plebeiis eligebatur, eorum vero munera non ordinis caussa, sed sorte ita dividebantur, ut duo negotiis praeessent **urbanis**, duo in rebus externis semper occuparentur. At haec iam sufficiant [48]) de Quaestoribus, ut magistratu Aedilibus aetate priore, quare eorum historiam

45) Liv. IV. c. 43 ex a. 334 urb. cond.: „nam ad id tempus patricii creati erant quaestores."

46) Ibid. loc. excit. et Tacit. Annal. XI. c. 22 confer.

47) Liv. IV. cap. 43 et 54.

48) Niebuhrii, huius magistratus descriptionem celerius transeuntis, opiniones persaepe contra me facientes in medium proferre nolui; reper. autem Röm. Gesch. II. pag. 11. 113—114. 165. 420—421: viros enim, qui de eadem re prius retulerunt, solummodo aggrediendi caussa promovere omnino non mihi in animo erat, quum, si meae expositionis argumenta aequis iudicibus certiora viderentur, sane etiam semper firmiora mansura sint, quia fontes integri ea praebuerunt. Praeterea in libro tertio de Aedilium iurisdictione disquirentes, Niebuhrium Aediles Cur. cum Quaestoribus capit. comparantem semel adeamus, necesse erit.

posteriorem a nostro proposito prorsus remotam linquimus, tantumque infra in libro tertio de aerarii cura disserentes semel etiam ad eos redibimus.

Nihil igitur e regum temporibus restat, quam ut praefecti urbi potestatem describam, quae autem nullo modo posteriori eiusdem nominis magistratui sub imperatoribus aequiparari potest. Ille enim magistratibus extraordinariis adnumeratus pro tempore a summis magistratibus ordinariis, sive regibus, sive consulibus, quum iidem ad negotia maxime necessaria extra urbem obeunda avocarentur, „ne urbs sine imperio foret", deligebatur [49]), ut eorum nomine omnes res civiles administraret, iusque redderet, ac quibuscunque casibus accidentibus extemplo mederetur: sed regibus vel consulibus domum redeuntibus praefectus statim magistratu se abdicabat. Qui magistratus igitur nil nisi locum tenens in rebus subitis censeri debet, quum posteriores praefecti urbis, inde ab Augusti aetate instituti, uti magistratus ordinarii [49a]) in rebus solummodo urbis [50]) commodum vel quietem respicientibus

---

49) Tacit. Annal. VI. cap. 11, qui iam e Romuli ac Tulli Hostilii temporibus Dentrem Romulium et Numam Marcium praefectos urbi nominat, qua in re Wachsmuth. Röm. Gesch. pag. 214 colligendi celeritate ad errorem mirum seductus est, Marcii nomina contra Taciti verba ita disiungens, ut hunc a Numa Pompilio institutum esse narret, et ob eiusdem regnum pacificum gravem suspicionem contra secundum praefectum excitare velit.

49a) Sueton. in Aug. cap. 37.

50) Quibus autem neutiquam praefecti urbi, qui in bellis civilibus a Caesare dictatura iam fungenti numero sex constituebantur, et ab Octavio quoque usque ad imperii quietem nactam denominabantur, adsociari possunt; nam ii eadem ratione extra ordinem officio fungebantur, simulque cum magistro equitum, et rebus urbanis, et toti imperii administrationi internae consulebant, atque ob rempublicam perturbatam ma-

agerent, si quidem eorum potestatem posteriorem extra limites egredientem tanquam illegitimam [51]) transimus. Deinde reges consulesve quum non modo bellorum caussa, sed etiam ob res sacras peragendas vel ferias Latinas celebrandas urbe abessent, quotannis [52]) in paucas dies praefecti urb. instituebantur; atque hic mos durabat usque ad imperatores [53]), quem longius referre non opus est, quia pluribus dissertationibus eruditis res iam satis ad finem perducta est [54]). Attamen Lydum non omittere possumus, quin eum corrigamus, quod in duobus suis libris [55]) praefectum urbis regium

iore gaudebant potestate. Dio. Cass. XLIII. c. 48 et Sueton. in Jul. Caes. c. 76.

51) Quod etiam intelligi potest in Digest. I. tit. XII. ex Ulpian. libr. sing. de praef. urb.

52) Praeter Tacit. loc. not. conf. Pompon. de orig. iur. §. 33: „quótiens autem (magistratus) proficiscuntur, unus relinquitur, qui ius dicat; is vocatur praefectus urbi, qui praefectus olim constituebatur, postea fere Latinarum feriarum causa introductus est, et quotannis observatur.“

53) Tacit. Anual. IV. cap. 36, et VI. cap. 11; Sueton. in Claud. cap. 4, in Nerone cap. 7; Jul. Capitolin. in Antonin. Philosoph. init. (ed. Boxhorn. pag. 66.)

54) Felic. Contelorii de praefecto urbis Romae liber, Rom. 1631 fol. et in Sallengr. thes. nov. ant. Rom. tom. I. Arn. Drakenborchii de praefectis urbis disputatio, Ultraj. 1704. 4to, edid. J. Ch. Kappius, Baruth. 1787. 8vo. J. Tob. Krebsii commentatio de praefecto urb. Romae, Lips. 1747. 4to, quae et eiusdem opusculis addita est. Ed. Corsini series praefectorum urb. ab u. cond. usq. ad a. 1553 (600 p. Ch. n.). Pisis. 1763. 4to. Curtius de senatu Romano lib. II. cap. IX, edit. Klotz. pag. 84—90, opus egregium, quod iam saepius infra laudabitur, quum tam magna diligentia ac tam laudabili iudicii acumine exaratum sit, ut certo optimis Romanorum antiquitatis perscrutationibus in seculo decimo octavo adnumerari deberet.

55) De mensibus I. cap. 7: „εἶτα προεστήσατο (ὁ Νουμᾶς) τὸν τῆς πόλεως φύλακα, ὕπαρχον δὲ αὐτὸν νῦν προσαγορεύομεν, ἢ

(*τὸν τῆς πόλεως φύλακα*), quem primum Numam Pompilium constituisse narrat, maxima credulitate verba modo venanti antiquitatisque inscitia non solum cum posteriore praefecto urbi, sed etiam cum praetore urbano (*ἀστυδίκης*) et praefecto praetorio (*ὕπαρχος*) plane permutavit, itaque illum magistratum ordinarium ad caussas urbanas diiudicandas, adeoque senatus praesidem (qua auctoritate omnino rege vel consule absenti uti poterat) [55a]) permanentem fuisse censuit.

Haec munerum civilium divisio Romae fuit sub regibus, e qua elucebit, maiorem ac graviorem curarum, quas posthac Aediles exsequerentur, partem paucissimis magistratibus, qui tum temporis exstiterunt, iuxta eorum propria officia iam commissam esse, minorem vero cum culturae politicae progressibus, et Aedilium dignitate ipsa amplificata, sensim sensimque Romae esse constitutam. Certius autem patebit, nullum magistratum in documentis antiquis reperiri posse, quem curarum copia definita. Aedilibus antecedentem proponere conemur; ita ut, nostra opinione priore nunc, quam fieri posset, optime firmata, A e d i l i t a t e m R o m a n o r u m p r o p r i u m m a g i s t r a t u m, r e i p u b l i c a e f o r t u n a c r e s c e n t e e q u i b u s d a m s i n g u l i s s u p e r i o r u m m a g i s t r a t u u m a c p o n t i f i c u m c u r i s c o m p o s i t u m, a c c u m n o v i s a c c e d e n t i b u s c o n i u n c t u m, demum in reipublicae liberae temporibus, atque plebis seditionis occasione allata, constitutum esse censeamus; quanquam, ut e muneris natura per se intelligitur, in vicinis quoque populis iam antiquitus, forsan mox post Italiam

---

(*ὥς τινες*) *πολίαρχον*, *ἢ ἀστυδίκην*, *ὃν πάλαι πραίτορα οὐρβανὸν ἔλεγον*, *ὃς καὶ πρωτεύειν τῆς Ῥωμαίων γερουσίας φαίνεται.*" Tum eiusd. de magistrat. lib. I. cap. 34, quocum conf. II. cap. 6, quibus fere eadem repetuntur.

55a) Ex Varronis Capitonisque auctoritate Gell. noct. Att. XIV. cap. 7 et 8 id tradit.

mediam a Romanis subactam, similes magistratus in usu fuisse libenter concedimus.

Sane quidem mihi, huic disquisitioni finem facienti, quoddam cunctationis desiderium se obfert, quum viam, nunc fere plurimis perscrutatoribus gratissimam, relinquens, qua illi res a veteribus ipsis relatas nimia comparatione, emendatione atque vexatione non ad meliorem rerum consensum coniungere student, sed ex acriore iudicii ingenio, quod fontes, nisi cum suis opinionibus acerrime excogitatis consentiant [56]), fere penitus contemnere potest, novas historias nobis exaedificare assolent; equidem rursus methodum antiquiorem ac saniorem sequens ad fontes solos redirem, omninoque contentus essem, si mihi bene evenisset, ut quaestiones meas probis exemplis collatis ac diiudicatis in clariorem attulissem lucem, neque unquam temporum rationem, neque administrationis explicitae descriptionem, neque tandem fontium auctoritatem offendissem. Hac autem ratione non conatus sum Niebuhrii atque Wachsmuthii, horum virorum eruditissimorum, qui non raro illam indagandi viam adeunt ac auctoritate sua muniunt, opiniones, ubi nulla ratione cum iisdem consentire possem, semper meis oppugnare argumentis, praesertim quum Romanorum historiam, universalem modo attingere mihi liceret, plerumque vero in rebus singulis percensendis ad primum fundamentum, cui argumenta historica plane deessent, redeundum esset. Praeterea negari non potest, utrosque viros, quorum merita in studiis historicis cuique iudici aequo semper salva manebunt, nihilominus tamen statim ab operum suorum initiis totius reipublicae constitutionis ac ad-

56) Ne obliviscaris, quoties auctores dissimillimi, Livius et Zonaras, Dionysius Halicarnassensis et Dio Cassius, Plutarchus et Cicero, vicissim praeponerentur, mox maximis laudibus efferrentur, mox pessimis notis perstringerentur.

ministrationis imaginem perfectiorem, quae non solum ex antiquitatis notionibus politicis, sed etiam e medii aevi recentiorisque temporis intelligentia composita est, ad Romanorum historias attulisse conscribendas. Quamobrem iidem multas res perquirunt et enucleare volunt, quae certius ex toto rerum consensu in his antiquissimis temporibus nunquam exstiterunt, et hominum singulorum ingeniis vel ordinum consiliis attribuunt, quod aut subito casu, aut felici dissensionis inter plebem et patricios usu factum est. Ut cetera mittam, quis Wachsmuthii opinionem [57]) de Romanorum regis potestate iam a civitatis principio patriciorum praeceptis coërcita, quis illius opinionem, administrationem tam excultam nobis proponentem, quae leges constitutionesque aptissimas iam in primis originibus proferre potuit, contra rerum publicarum instituendarum naturam, veritatemque multis exemplis historicis affirmatam, comprobare volet!

57) Röm. Gesch. pag. 201—212.

CAP. V.

DE AEDILIUM PLEBIS AC CURULIUM INSTITUTIONE, ET DE DISCRIMINE INTER AEDILES CURULES ET PLEBIS, EORUMQUE HISTORIA IN REPUBLICA LIBERA [1]).

Romanorum vix ulla pars historiarum animos hominum magis excitavit, et literatorum studia magis exercuit, quam periodus, quae post reges exactos a primis

1) Subsidia specialia. Iam in antiquitate praeter veterum antiquariorum disquisitiones de potestatibus in universum elaboratas, quas in capite antecedenti notavi, iurisconsulti clarissimi, ut Macer, Papinianus, Ulpianus, Paullus aliique libros singulares de singulis magistratibus composuerunt, de officio praesidis, consulis, proconsulis, quaestoris, praefecti urbis, praefecti praetorio, vigilum e. q. s., quibus autem, ut ex eorum fragmentis concludi licet, sane magis ad istorum curas tum temporis vulgares legitimasque, quam ad priorem munerum historiam respexerunt. Quorum ex numero Papinianus librum singularem de officio Aedilium graece conscripsit, μονόβιβλον ἀστυνομικόν, cuius fragmentum unum Digest. XLIII. tit. 10 adhuc nobis reservavit. Graeca lingua cur clarissimus ille iurisconsultus usus sit, Ever. Otto de Aedil. col. cap. 9. §. 6. 7 argumentatur, quod Aedilium municipiorum coloniarumque officium ille exposuerit, itaque linguam in coloniis usitatiorem elegerit. Nescio cur Dirksenius Civil. Abhandl. I. pag. 81—82 cum Bachio hist. iur. Roman. III. cap. 2. sect. 5. §. 19. not. x hanc opinionem ob eam caussam probare

consulibus constituendis initium facit, et usque ad plebis conditionem liberam, propriis Tribunorum ac Aedilium magistratibus concessis affirmatam, se extendit. Itaque non mirum est, rerum gestarum enarrationem tam multifariam illustratam esse, ut perscrutationibus denuo perfectis quoddam factum maioris momenti iustius ac clarius exponere frustra efflagitaretur. Attamen plebeiorum magistratuum origines semper quadam obscuritate molesta tenentur, quam penitus removere in vanis desideriis facile haberi possit. Quamobrem

---

nolint, quod fragmentum, adhuc nobis exstans, pari modo ad Aediles Romanorum (quibus solis insuper Iac. Godofredus hunc librum sine omni argumento vindicavit, loc. apud Otton. §. 7), quam ad Aediles municipiorum ac coloniarum pertinere possit. Quid enim hoc profert contra Ottonis opinionem? Nam in hoc titulo solummodo continentur generalia, quae quodcunque Aedilium vel ἀστυνόμων in viis construendis, purgandis ac conservandis curare debebat, quare Tribonianus quoque ac eiusdem collegae illum titulum solum e Papiniani libro receperint in Digesta, quum Romae etiam ultimum huius magistratus munus in viis conservandis apud Aediles permansisset. Mazochii igitur (in commentar. ad tabul. Heracleens. citat. apud Hugo. Civilist. Magazin III. pag. 340—345) opinionem valde probo, quae Papiniani librum ipsum tutelae publicae curam e Romanorum capite in oppida Italica translatam nobis satis demonstrare censet. — De Lydo vid. iam supra cap. IV. not. 17 et 24. — Inter recentiores scriptores in seculo decimo quinto, sexto ac septimo Aediles nonnisi obiter, si Pighii Annales magistratuum ac provinciarum senatus populique Romani, Antverp. 5 Vol. fol. 1599—1615, vere mira eruditione, satisque laudabili iudicio compositos excipimus, in variis de Romanorum magistratibus commentariis pertractabantur, quorum digniores infra in singulis Aedilium curis describendis passim nominantur. In seculo decimo octavo prae ceteris Everard. Ottonem celebramus, qui de Aedilibus coloniarum ac municipiorum librum singularem, Lips. 1715. 8vo, edit. sec. ib. 1732. 8vo, tam diligenter elaboravit, ac plurimorum exemplorum collectione accurata, neque exigua totius Romanorum antiquitatis, inprimis quidem ulterioris, scientia tam

vero quamque rerum notissimarum repetitionem libenter fugientes, bellorum externorum, plebis querelarum patriciorumque vexationum nullam habemus rationem, statimque in mediam rem progredimur, ut Aedilium institutionem primam enucleemus. Maximo autem huius disquisitionis damno factum est, quod plerumque discrimen inter Aediles Plebis et Curules ab auctoribus prius definiretur, quam iidem muneris historiam adumbrare susciperent; qua ex re illi quasdam gravissimas Aedilium curas, quas a Curulibus solis administratas

---

bene ornavit, ut hoc in argumento speciali vix quodque plenius scribi possit, equidem hac ratione Aediles coloniarum ac municipiorum prorsus transiens, meos lectores ad hunc librum eximium mittam. Nec pari diligentia multoque minore eruditione Ottonem sequutus est Abbas Rudolphus Venuti, cuius commentatio sopra gli Edili exstat in Saggi di dissertazioni accademiche publicamente lette nella Academia Etrusca di Cortona vol. IX. Firenz. 4to 1791. pag. 211—220, quae vero nulla parte nos ultra Pighium promovit, et fere nihil nisi notiores veterum locos de Aedilibus referentes congessit. Eodem tempore una commentatio singularis de discrimine inter Romanorum Aediles composita est a Batavo I. T. G. van Alphen, de differentia inter Aediles Plebis et Curules Romanorum, Traject. ad Rhen. 1789. 4to: quam quidem dissertationem, ut videtur, inauguralem in nostris bibliothecis frustra quaesivi, primumque valde desideravi. Sed eiusdem auctoris quum alteram dissertationem, duobus annis post de argumento simili conscriptam, de rei consecratione ex iure Romanorum publico, Lugd. Batav. 1791. 4to, perlegerem, nihilque nisi compilationem vulgarem atque rudem cognoscerem, prioris desiderium plane evanuit. — Deinde in nostro seculo iustissima qua decet ratione hanc rem attigit Thibantius in commentatione de Aedilibus, Civilist. Abhandlungen, Heidelberg. 1814. 8vo pag. 151—145; at illa folia perpauca magis annotationes quasdam de singulis Aedilium rebus, quae in communi controversia positae sunt, quam pleniorem totius magistratus descriptionem historicam, aut disquisitionem, qua illa differentia inter Aediles omni dubia conditione liberetur atque solida constituatur, praebent.

putaverint, non Aedilitati adtribuerent, sed usque ad Curulium creationem differrent. Nam concordia fere unica opinati sunt Iurisconsulti, qui praecipue iuris Romani historiae componendae se dederunt, excepta eorum hodierna schola historica maximis colenda laudibus, Aediles Curules solum summas atque honorificas tutelae publicae administrasse curas, Plebeios vero quasi tribunorum ministros inferiores solis minoribus officiis esse functos. Quantulum vero inter utrumque eiusdem muneris genus differat, et quantum intersit in negotiis inter Tribunos et Aediles Pl., quale Tribuni Pl. prorsus providendi vel cavendi officium accipientes, ut plebis conditio semper in iuribus servaretur concessis, contra Patricios perpetuo parati starent, Aediles e diverso administrandi curas praecipue plebis ipsius commodo diurno inirent; plurimos plane fugit. Nempe ad illa praeiudicia, partim iam nunc explosa, probanda gravissimo, ut putaverunt, usi sunt documento, quod nusquam plebeiorum edictorum aedilitiorum mentio facta est ab antiquis auctoribus. Sed neque veritatem accuratius perscrutantes, neque opinionem istam ullis documentis ex auctoribus veteribus fontibusque iuridicis comprobantes, nisi quibusdam male intellectis facileque reiiciendis, in eam tamen ipsam iurare ausi sunt; itaque haud cunctanter in omnibus locis de Aedilibus, ubi Curulis vel Plebeii nota accuratior defuit, mox Curules, mox Plebeios, ut istorum iudicium aliquid temere iecerit, intelligi voluerunt. Quare plane illos historiae iuris et antiquitatum Romanarum auctores [2]) ita negligenter libros suos

2) Ex horum grege notiores modo in medium proferre volo, qui vulgariter maximam partem fama immerita fruuntur: Pomponius Laetus de magistratibus Romanorum. 1515. 4to; Andr. Dom. Flocci (Fiocchi) de magistratibus Rom. liber, 1517. Rom. 4to, quem fraudulenter sub Fenestellae nomine in publicum edidit. Raphael Volaterranus de magistr.

composuisse neminem latebit, ne unquam iisdem veniret in mentem, quatenus illa loca, quibus nota dignitatis superioris inferiorisve non adscripta est, ea ratione ipsa persaepe ad omnium Aedilium officia promiscua adtraherentur necesse esset. Persaepe quidem dixi, quum totius periodi sensus coniunctioque historica fere ubique demerent dubitationem. At spero, fore non in ambiguo, quin via, quae propositae quaestioni dissolvendae directior habenda est, in explicatione ponatur historica. Eandem persequamur, quantum nobis permittant fontes, simulque in hac disquisi-

---

Rom. ex libr. XXIX commentariorum urbanorum impressum apud Petr. Scriverii respubl. Rom. edit. Elzevir. 12mo Lugd. Bat. 1629. pag. 178—214, et in Sallengr. thesaur. ant. Rom. III. fol. pag. 945—964. Iani Gulielmi (Lubecensis) de mag. Rom., dum in libertate urbs fuit, libellus, apud Scriver. pag. 507—578, et in Sallengr. thes. III. p. 965—1000. Franc. Hotomannus (iurisconsultus secul. XVI. valde aestimatus) de magistr. Rom. eorumque institutione, in Graevii thes. ant. Rom. II. pag. 1863—1890. Franc. Robortellus de magistr. Roman. lib. in Graev. thes. II. A. Prevotii (Uxellodunensis) de magistr. populi Rom. commentarius, in Sallengr. thes. III. p. 1047—1100. Sed haec scripta vix memoratu digna sunt, nunquam autem quod consulantur aut comparentur: nam exemplorum incompositorum moles leviter congesta est, loci perraro recte excitantur, Graeci auctores vulgariter omittuntur aut male intelliguntur. Meliore fama merito gaudet Campiani M. Aug. de officio et potestate magistratuum Rom. et iurisdictione, Genev. 1725. 4to, cui addimus libros adhuc diligentius conscriptos Heineccii histor. iur. Rom., edit. 4to. Ritteri 8vo 1765, et eiusd. Syntagm. antiquit. Roman. iurisprudent. illustr. Hal. Sax. 1719. 8vo, edid. Haubold. epicrisi adiecta. Lips. 1822. 8vo (de Aedilibus I. tit. 2. §. 25—27; IV, tit. 6. §. 4.), et Bachii histor. iurisprud. Rom. Lips. 1754. 8vo edit. septim. cur. Wenk. ib. 1822. 8vo (de Aedil. I. c. 2. §. 1.; II. c. 1. §. 4 et 5; III. c. 1. §. 15): sed et hi libri, quos non immerito plurimis compendiis anteposuerunt Iurisconsulti, in magistratibus describendis hac incuriae culpa non penitus excusandi sunt.

tione, temporum rationem stricte observanti, opiniones varias de hoc argumento cognitas referamus, contrariasque oppugnemus atque corrigamus.

Aediles autem antiquissimos non nisi e plebe [3]) electos esse nunc nemo ignorat, quod omnium fontium concordia adversarios negantes mox obmutescere iubet. Cuinam igitur officio hic magistratus nomen suum debet, quod simul in originibus suis primariam curam nobis ostendere poterit? Aediles statim post eorum institutionem a Cereris aedis cura nominatos esse me persuasum habeo. Sane non ignotum mihi est in Festo [4]) duas quoque vocis etymologias inveniri, quarum

---

3) Attamen fuerunt viri, qui olim magna eruditionis fama ornati minime cunctarentur, ne satis leviter Curules primos creatos scriberent, ex. gr. Guido Pancirollus de magistratibus municipalibus in Graevii thes. Rom. antiquit III. pag. 9; imo etiam Gesnerus thes. ling. lat. s. voc. Aedil. verbis modo ambiguis utitur „Aediles pl. antiquissimi fuisse videntur."

4) S. voce Aedilis. Quam derivationem etymologicam quoque post duas alias reddit Theophrastus Institut. paraphras. I. tit. 2. ed. Reiz I. pag. 56, qui mira rerum confusione multa de Aedilium origine referens, sine iudicio serviliter perscripsit: „οἱ δὲ aediles ὠνομάσθησαν δὲ ἐντεῦθεν, ἐπειδὴ φροντὶς αὐτοῖς ἦν ἡ τῶν ναῶν εὐκοσμία" (qua ergo meae opinionis testimonium praebet) .... „ἢ μᾶλλον ἐπειδὴ τῆς ἀγορᾶς ἐφρόντιζον, οὕτως ὠνομάσθησαν, aediles γὰρ οἱ ἀγορανόμοι" (ubi iudicium sanum prorsus deest, nam Graecorum ἀγορανόμοι non prius Aedilibus aequiparari poterant, quam quod horum munus, iam diu Aedilium nomine significatum, fori quoque ac venalium curam accepit, unde postea, Graecia subacta, ob officii similitudinem Romani graece scribentes Aediles verterint ἀγορανόμους) .... „ἢ τὸ πάντων ἀληθέστατον — quod e contrario veritatem maxime offendit — ἐντεῦθεν· ἐν τῷ καιρῷ τῆς διαστάσεως, ὥσπερ παρὰ τοῖς συγκλητικοῖς ἦν ὁ ὕπατος, δικαιοδοτῶν καὶ τέμνων τὰς δίκας, οὕτω καὶ παρὰ τοῖς ἰδιώταις προεβλήθη τίς, ὃν ἔδει δέχεσθαι τὰς προσελεύσεις τῶν δεομένων τινὸς βοηθείας. καὶ ἀπὸ τῆς προσελεύσεως, adilis ὠνομάσθη, ἀπὸ τῆς ἀδιλίας (!), ὅ ἐστι προσέλευσις, εἶτα διὰ τὴν εὐφωνίαν προσετέθη τὸ ε στοιχεῖον, καὶ

altera plane futilis ab adire vocem derivari monet, „quod facilis ad eum plebi aditus esset." Cur non tribuni ex meliore ratione nominati sint Aediles? qui scilicet proprie crearentur, ut perfacile plebs cum iis agere posset de rebus, quae suo commodo in republica constituenda vel administranda cuperet. Haec tamen, ut multa alia, Varronis Noniique ac reliquorum Grammaticorum crebris erroribus, qui ad rationem etymologicam spectant, numerentur; quum nostro casu supra omnem dubitationem Aedilis officium ex aedium sacrarum cura nomen nactum sit et auctoritatem. Aedituorum vel Aedituentium permutationis cum Aedilibus plane per errorem factae equidem non mentionem fecissem, nisi nuperrime quoque Creuzerus [5]) huic in-

---

γέγονεν Aedilis." Sed contrariam vocis originem solummodo iustam tuentur Varro de ling. lat. IV. 14. „Aedilis dictus, qui aedes sacras et privatas procuraret"; Dionys. Halic. locus in not. 15 exscriptus.

5) Abriſs d. Römischen Antiquitäten. 1824. 8vo p. 144, ubi pessimo Lydi loco fretus esse videtur, qui legitur de magistr. Rom. I. cap. 35: *„ἄρχοντες μὲν οὗτοι, πλὴν εἰ μή τις καὶ τοὺς λεγομένους παρ' αὐτοῖς ποντίφικας (ἀντὶ τοῦ ἀρχιερεῖς)"* sed ipse cap. 2 hui. libr. omnem potestatem atque auctoritatem populi a principio in sacerdotum manibus fuisse contendit — *„νεωκόρους εἰς ἄρχοντας ἀριθμεῖν ἐθελήσοι· γνώμῃ γὰρ αὐτῶν καὶ κρίσει τοὺς νόμους ἔγραφον οἱ ἀρχαῖοι* (absurdissimum quod dici posset!) *καὶ τὰ ὤνια διετύπουν· ὅθεν* aediles *τοὺς ἀγορανόμους ἔτι καὶ νῦν συμβαίνει καλεῖσθαι, καθὸ τοὺς ναοὺς οἱ Ῥωμαῖοι αἴδεις καλοῦσιν."* Sed quam opinionem ipse de Aedilibus habuerit, manifesto ostendit cap. 38 et 44, ubi bis de Tribunorum pl. creatione loquens maxima rerum confusione hunc magistratum cum Aedilibus ita commutavit, ut uterque locus melius de Aedilibus Pl., quam de Tribunis intelligi possit. Audias ipsum: *„τῷ ἑπτακαιδεκάτῳ ἔτει τῶν ὑπάτων, στάσεως γενομένης οὐ μικρᾶς τῇ τε γερουσίᾳ, τῷ τε δήμῳ, δύο τὸ πλῆθος προσεχειρίσατο δημάρχους, ὥστε αὐτοὺς διαιτᾷν τοῖς δημώταις, καὶ τὴν ἀγορὰν ἐπισκέπτεσθαι".* quae repetuntur cap. 44, ubi insuper vera primorum Tribunorum pl. nomina adduntur.

nuisset, qui in compendii oratione valde ambigua Aediles et Agoranomos, ut mihi manifesto videtur, iuxta νεωκόρους et Aedituos ponit. Sed Aedituentes vel Aeditui haud procul dubio nonnisi aedis ministri inferiores sunt, qui aedes purgandas ac supellectilem sacrorum asservandam curant, et in nostris temporibus in usu sunt, ab officio suo apud nostrates Thürsteher vel Kirchner vel Küster nuncupati, praetereaque perpetuo uni eidemque aedi sacrae adscripti sunt. Nihil ergo etymologicum Festi scholion [6]) „Aedituus sacrae aedis tutor, id est curam agens" aliud demonstrare potest, quam illam supra dictam curam infimam, qua caveretur, ne quid damni aedificium sive vasa sacra acciperent.

Sed Aedilium nominis origine nunc cognita, statim altera quaestio exoritur, quam ob rem praecipue sacrarum aedium cura plebeio magistratui committeretur. A Cereris aede, qua Plebeii e naturali vitae civilis coniunctione sacra maxima celebraverint, ut fruges bene provenirent, circa quam in rebus communibus aliquid peragentes, convenire soliti sint, quae igitur plebis focus censeri potuit, haec cura exiisse videtur. Sed auctores veteres huius rei caussam plane tacuerunt, eo tantum congruentes, ut iam primis liberioris plebis conditionis temporibus senatusconsulta, ne vitiarentur, Aedilibus custodienda tradita essent. Livii vero reliquorum vice rem referentis [7]) verba ipsa audiamus: „institutum ab iisdem Consulibus" — post

6) s. voc. Aedituus.

7) Lib. III. cap. 55, quo cum loco alium arcte coniungas ib. III. cap. 57: „priusquam urbem egrederentur tribuni — 446 a. Ch. n. — leges decemvirales, quibus tabulis duodecim et nomen, in aes incisas in publico proposuerunt. Sunt qui iussu tribunorum Aediles functos esse ministerio scribant."

decemviros exactos 446 a. Ch. n.[8]) L. Valerio et M. Horatio C. — „ut senatusconsulta in aedem Cereris ad Aediles plebis deferrentur, quae antea arbitrio consulum supprimebantur vitiabanturque." Necesse ergo fuit, ut Aediles iam prius Cereris aedis curam similiaque officia administrarent. Quam vero bene consentit cum hac nominis explicatione, Aedilium primae constitutionis enarratio ipsa, quam plura ac graviora testimonia sustinent. Aediles nempe simul cum Tribunis pl., quod igitur quibusdam mensibus post plebis secessionem in montem sacrum — 493 a. Ch. n. — factum est, creati sunt, ut illis omni modo opitularentur, praecipue vero a litteris adminiculo essent; unde necesse fuit, ut postea tribunorum rogationes, quas plebs sciverat, reponerent atque observarent. Tribuni pl. autem quum plebis iurium defensione contra Patricios semper occuparentur, Aediles ut proximi et tum temporis soli magistratus plebeii in ceteris rebus ad superiorem plebis curam accedebant, quare administrationis communis munera obibant. Ea quae dixi ut affirmem, his testibus utor, quorum primos pono Sextum Pompeium Festum atque Aulum Gellium. Ille grammaticus e medio seculo quarto post Ch. n. de verborum significatione libros, ut notissimum constat, maximam partem e Verrio Flacco mutuatus est, aut magis etiam Verrii libros pleniores in formam breviorem redegit. Utcunque vero res se habeat, sane certum est, seriorem grammaticum in rebus, quae antiquitatem historicam attingunt, verbum pro verbo antiquiorem sequutum esse, quod praeterea seculo quarto

8) Ob faciliorem intelligentiam coniunctionemque cum aliorum populorum historiis instituendam me semper rationem chronologicam annorum ante et post Christum natum numerandorum adhibuisse moneo.

antiquitatis scientiae fama non magno pretio valens nulla propria studia nos suspicari iubet: quanti ea autem adhuc seculo secundo post Varronis tempora aestimata sint, nemo est qui non noverit e Gellio. Accepimus igitur in Festi loco huc advocato [9]) Verrium Flaccum loquentem, clarissimum grammaticum ex Augusti aetate aurea, qui tum illius artis, cum totius antiquitatis Romanae, peritissimus suo tempore iudicatus est. Eius autem verba sunt: „Plebei Aediles non minus populique plebei scito, quae de eo magistratu creando suffragium tulit, ut sacris aedibus praeessent, sunt constituti, quos Tribunorum Plebis ministros fuisse dicunt, qui una cum Plebeis Aedilibus sunt creati, dissidente plebe a patribus [10]). Gellius autem loco [11]), quo de inclyta Graecorum victoria apud Marathona locutus est, ita pergit: „Romae autem illis temporibus — accuratius quidem tribus annis ante hanc pugnam — Tribunos et Aediles tum primum per seditionem sibi plebes creavit [12]). Quibus testimoniis proximum, quae Pompo-

---

9) S. voc. Plebei Aediles, edit. Daceriana Amstel. 1699. pag. 651, cui addas secundum locum pag. 13. sub v. Aedil.: „Aedilis initio dictus est, (magistratus, quod verbum a quibusdam legitur, omnino ex ea significatione, quae mox infra sequitur, non suppleri poterat, sed per se iam intelligitur) qui aedium non tantum sacrarum, sed etiam privatarum curam gerebat; postea hoc nomen et ad magistratus translatum est. Sed et Aedilatus dicebatur eadem dignitas, sicut et pontificatus, magistratus."

10) Festi aliud fragmentum e bibliotheca Farnesiana, quod editionibus Dacerianis adsertum invenimus, lectionem diversam h. l. non offert.

11) Exstat Noct. Attic. XVII. c. 21.

12) Livius Aedilium originis non mentionem facit, demumque lib. III. cap. 6 de iis retulit, veluti de magistratu iamdudum noto. Utrumque vero munus Tribunorum pl. atque Ae-

nius de origine iuris nobis reliquit, adiungo; auctor quidem, quem de temporibus antiquis referentem nunc viri docti neque iniuria ob inaccuratam rerum expositionem minimi faciunt, quod tamen maxime in temporum permutatione censeri oportet. Sed hic non sermo est, num ille deinceps ex arte critica ac chronologiae praeceptis res accurate exposuerit, sed potius an in universum rem protulerit veram. Quodsi enim vera aestimatur, procul omni dubio et antiquiori magistratus officio vindicanda est. Pomponii autem verba ita leguntur [15]: „itemque ut essent, qui aedibus praeessent, in quibus omnia scita sua plebs deferebat, duos ex plebe constituerunt, qui etiam Aediles appellati sunt."

De eorum, quae a Pomponio de plebiscitis asservandis relata sunt, auctoritate omnino ambigi non potest, praesertim quum eadem et aliis documentis copiosius comprobantur; quorum vero in hac re demonstranda gravissimum attulit Zonaras, qui insuper prae ceteris hoc loco accurate enarrat. At Zonaram quoque scriptorem levissimum et credulum mihi obiicient lectores, quibus universe eum perlustrans maximeque antiquitatem percensens libenter morem geram. Nullo enim modo animus me fert, hunc scriptorem seculi duodecimi fontibus aequiparare gravioribus, etiam ne cum recentioribus quidem auctoribus modo laudibus eundem efferre permagnis, modo eiusdem credulitatem obiurgare acerbius, utut cuique opinioni ipse favet aut contrarius est; sed hoc loco ex accurata muneris descriptione Graecum bonos fontes antiquos, sive di-

---

dilium uno eodemque anno constitutum esse comprobant et Dionysius Halicarnassensis et Zonaras in locis mox in contextu notatis, neque minus Paullus in Festo s. v. Plebei: „Plebeii Aediles dissidente plebe a patribus sunt creati."

15) De orig. iur. §. 21.

ligentem ac altioris antiquitatis peritum Dionem Cassium, sive alium quendam auctorem comprobatum consuluisse, vel potius ad veritatem descripsisse, neminem latere potest. Nam si singula percensemus, vix unum auctorem apud Romanos nominare possumus, qui acrius in referendo munera atque tempora distinxerit. Neque enim Aedilium munera notissima antiquioribus minoris momenti aestimatis, insuperque obsoletis anteposuit, neque in custodiendis tabulis publicis senatui vel populo pro plebe primum locum praebuit, quamvis eum, tam remotissime ab illo aevo in imperatorum aula degentem, perfacile talia effugere possent; neque tandem addere oblitus est, haec munera sola prima commissa esse Aedilibus, sequenti vero tempore multo plura officia iisdem demandasse populum et senatum. Sed ne quid Zonarae adtribuere videar, quod re ipsa eius verbis non inest, totum locum ex nostra interpretatione latine versum [14]) his inseruimus: „hoc autem modo potestas tribunorum exorta est, quibus duo Aediles adiunxerunt (nempe omnes cives Romani creatione in comitiis curiatis utentes) [15]), ut illis administri

14) Annal. VII. cap. 16, ex edit. Paris. 1686. vol. I. p. 542: „οὕτω μὲν οὖν ἡ τῶν δημάρχων δυναστεία συνέστη, οἷς καὶ ἀγορανόμους δύω προςείλοντο, οἷον ὑπηρέτας σφίσιν ἐσομένους πρὸς γράμματα. Πάντα γὰρ τὰ παρὰ τῷ πλήθει καὶ τὰ παρὰ τῷ δήμῳ καὶ τῇ βουλῇ γραφόμενα λαμβάνοντες, ὥςτε μηδὲν σφᾶς τῶν πραττομένων λανθάνειν ἐφύλασσον· τὸ μὲν οὖν ἀρχαῖον ἐπὶ τούτῳ ἡροῦντο, καὶ ἐπὶ τῷ δικάζειν, ὕστερον δὲ καὶ ἀλλάττα καὶ τὴν τῶν ὠνίων ἀγορὰν ἐπετράπησαν, ὅθεν καὶ ἀγορανόμοι τοῖς Ἑλληνίζουσιν ὠνομάσθησαν."

15) Quod ex lege de comitiis tributis apud Dion. Halic. IX. cap. 49 patet, quae magistratuum plebeiorum creationem e comitiis curiatis ad tributa transfert: „ἀπ' ἐκείνου τοῦ χρόνου τὰ τῶν δημάρχων καὶ ἀγορανόμων ἀρχαιρέσια μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου, δίχα οἰωνῶν τε καὶ τῆς ἄλλης ὀττείας ἁπάσης, αἱ φυλετικαὶ ψηφηφοροῦσιν ἐκκλησίαι." Niebuhr. Röm. Gesch. I. pag. 425 utriusque magistratus creationem comitiis vindicat centuriatis.

essent a litteris. Nam omnia, quae et a plebe, et a populo, et a senatu decreta erant, accipientes asservabant, ita ut nihil eorum, quae (in rebus publicis) peragerentur, eos lateret. Itaque in temporibus antiquissimis creabantur, ut huic officio (tabulas ad rempublicam pertinentes asservandi) et iuri dicendo (in rebus, quae civilem plebeii ordinis societatem offenderant vel modo attigerant, ut infra a nobis demonstrabitur) satisfacerent: deinde autem cum plura alia, tum rerum venalium mercatus eorum curae demandabantur, unde etiam a graece loquentibus Agoranomi dicuntur."

Ultimo denique documento, quod necessariam Tribunorum pl. cum Aedilibus coniunctionem institutionemque aequalem affirmet, nobis adsit Dionysius Halicarnassensis, quem ea ratione extremum proferimus, quod suo more in rebus huiusmodi narrandis tempora permiscuit, ac munera deinceps Aedilibus commissa in unum complexus est, primisque Aedilitatis originibus statim constituta adtribuit. Idem enim tradit [16]), Romanorum plebem, postquam diis in urbe cultis ob pacem cum Patriciis restitutam supplicationes redditae essent, Patriciis persuasisse, ut novum Tribunorum magistratum suffragiis collatis affirmarent: quod autem cum ab illis impetratum esset, plebem rursus a senatu petiisse, ut sibi duosviros alios ex ordine plebeio quotannis creandos concederet, qui Tribunis, quicquid opus esset, opem ferrent, caussasque, quas Tribuni iis commi-

16) Antiq. Rom. VI. cap. 90: „ἀποδόντες δὲ καὶ τοῖς ἐν τῇ πόλει θεοῖς χαριστήρια, καὶ τοὺς πατρικίους πείσαντες ἐπικυρῶσαι τὴν ἀρχὴν, ψῆφον ἐπενέγκαντες, ἐπειδὴ καὶ τούτου παρ' αὐτῶν ἔτυχον, ἐδεήθησαν ἔτι τῆς βουλῆς ἐπιτρέψαι σφίσιν ἄνδρας ἐκ τῶν δημοτικῶν δύο καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἀποδεικνύναι, τοὺς ὑπηρετήσοντας τοῖς δημάρχοις ὅσων ἂν δέωνται, καὶ δίκας, ἃς ἂν ἐπιτρέψωνται ἐκεῖνοι, κρινοῦντας, ἱερῶν τε καὶ δημοσίων τόπων καὶ τῆς κατὰ τὴν ἀγορὰν εὐετηρίας ἐπιμελησομένους."

serint, diudicarent, et in iis locis, quibus plebs magnam diei partem consumere soleret, aedibus nempe sacris, foro aliisque locis publicis, summam curam gererent. Non difficile intelligitur, has quatuor curas, per se nullo modo coniunctissimas, non omnes una a senatu Aedilibus permissas esse; sed quod maxime necessarium erat, fiebat, ita ut Aediles, qui simul Tribunorum mandata exsequerentur, societatis plebeiae praesides administrantes — verbis sit venia, si modo res hac ratione melius cognoscatur — eiusque commoda in casibus diurnis tuentes crearentur. Unde non multo postea locorum publicorum forique cura, quod certo in iis plerumque litium componendarum occasio Aedilibus offerretur, insuper vero munus ipsum non immolestum atque sine magno honore esset, huic magistratui plebeio demandata sit, ne rursus novo magistratu accipiendo plebis potestas cresceret, dum Patricii simul ab omni ingrata communione vulgi liberarentur. Tum autem Dionysius addit [17], „Plebeios novi magistratus concessionem a senatu accipientes, statim quosdam viros, quorum numerum ille omisit, elegisse [18]), quos Tribunorum adiutores collegasque et iudices nominarent." Non negandum esse videtur, hoc Dionysii additamentum per se non parvam veritatis speciem ostendere, quum taliter ea nomina a graviore Aedilium officio Romanos mutuatos esse putari posset. Sed quia ceteri fontes hanc rem plane tacent, quod apud Varronem, Gellium, Festum vix fieri potuisset, quia ceteroquin similes naturales rerum gestarum explicationes contra firmiora ar-

---

17) Ibid.: „Λαβόντες δὲ καὶ τοῦτο τὸ συγχώρημα παρὰ τῆς βουλῆς, ἀποδεικνύουσιν ἄνδρας, οὓς ὑπηρέτας τῶν δημάρχων καὶ συνάρχοντας, καὶ δικαστὰς ἐκάλουν."

18) Auctor ipse alio loco, quem not. 15 praebui, de creatione clarius loquutus est.

gumenta, ab aliis relata, ille historiographus rhetoricus historiis inserere non veretur, mihi persuasum est, haec priora Aedilium nomina a Dionysio plane ficta esse, praesertim quum eiusdem loci finem [19]), doctrinae ostentatorem nimie redolentem, accuratius consideremus. „Nunc autem Romanorum sermone patrio ab una curarum, quas administrant, aedium sacrarum curatores (Aediles) nominantur, neque amplius auctoritatem aliorum administram habent"; quod sane accedentibus Aedilibus Curulibus, Plebeiisque ad omnes dignitatum gradus elatis, factum erat); „nam iisdem multae et graves curae permittebantur, atque in plurimis rebus ad Graecorum Agoranomos proxime accedunt."

Haec nunc sufficiant ad probandam opinionem de Aedilium origine propositam, tunc autem nos exhortentur Aedilium officia deinceps prosequi, donec Curules creati sint. Verum enim verum confiteri debemus, in his quoque non multis veterum testimoniis nos adiutos esse, et interdum paene destitutos a fontibus, quos constanter colamus; attamen quantum provocari potest, certe nos de Aedilium curis gravissimis certiores faciet. Tribunorum adiutores quum Aediles fierent, quibuscunque opus esse Tribuni censerent, Ae-

---

19) Dion. loo. cit.: „Νῦν μέντοι κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν ἀφ' ἑνός, ὧν πράττουσιν, ἔργων, ἱερῶν τόπων ἐπιμεληταὶ καλοῦνται, καὶ τὴν ἐξουσίαν οὐκέθ' ὑπηρετικὴν ἑτέρων ἔχουσιν, ὡς πρότερον· ἐπιτέτραπται δ' αὐτοῖς πολλὰ καὶ μεγάλα καὶ σχεδὸν ἐοίκασί πως κατὰ τὰ πλεῖστα τοῖς παρ' Ἕλλησιν ἀγορανόμοις." Verba οὐκέθ' ὑπηρετικὴν non iusto urguet Casaubonus, ita ut οὐχ ὑπηρετικὴν legi proponat, perverse quidem locum ad utrumque Aedilium genus trahens, quamquam Dionysius disertis verbis non nisi de Aedilibus pl. loquutus est, hosque ὑπηρετήσοντας et ὑπηρέτας τῶν δημάρχων nominavit. Praeterea monere mihi licet, ne ὑπηρέται per ministros, quod ambigue intelligatur, sed potius per adiutores vertatur.

dilium officia ob hanc caussam nunquam certis finibus limitari potuisse censendum est, sicuti ne nunc quidem in administrationis internae muneribus, quibus hodie regna utuntur, usquam fieri potest. Neque obscurius etiam Niebuhrius [20]) eo arcum tendere videtur, sed omnino non eidem adsentari possum, eadem pagina scribenti, verisimillimum se putare, Aedilitatem ex ordinum ratione usitata in nulla re potestatem habuisse de Patriciis. Per se quidem non difficile est intellectu, ordinem superiorem rarissime huius magistratus animadversioni subiici posse si arctiorem politiae scopum observemus; attamen semel quum factum esset, et quodcunque tutelam publicam offendisset, haud omni dubio Aediles pl. officio satisfecerint. Quod insuper non solum in opinione mea persistit, sed etiam quibusdam certis exemplis comprobatur. Aediles Curules quum iampridem instituti essent, medio seculo tertio a. Ch. n. virginem e nobilissima Claudiorum gente ob pauca verba improbe in plebem dicta, Aediles pl. puniverunt [21]). Triginta annis postea senatusconsulto duo Tribuni pl. cum uno Aedile pl. in Siciliam missi sunt, ut Scipionem, illum magnum imperatorem, sine populi iusso bellum in Africam traiecturum, et de iniuriis sua scientia contra Locrenses factis accusatum, si eum sontem et praetoris dicto de provincia decedendi non audientem reperirent, Romam reducerent; ubi Aedilis pl. adiunctus est, ut Tribuni eum prendere Scipionem iubere ac iure potestatis sacrosanctae reducere possent [22]): tamenque gens Cornelia, sicuti Claudia, in antiquissimis ac nobilissimis Patriciorum habebatur.

20) Röm. Gesch. I. pag. 425.

21) Gellii Noct. Attic. X. cap. 7.

22) Liv. XXIX. c. 20; cui adiungas exemplum de Apolloniatium legatis plurifariam quidem enarratum, qui ex mea interpretatione ob rixam sive turbas in viis alioquin exortas, quas

Sed ad Aedilium munera sequentia redeundum est, quibus nunc iuxta priora novum officium a vitae communis necessitatibus efflagitatum videmus. Frumenti inopia quum tam saepe Europae regiones meridionales per naturae leges urguet [23]), tum temporis praecipue Italiae mediae agros ingratos vexavit, inprimisque apud populos bellicosos, qui raro per unum totum annum pacis negotiis incubuerint. Sed fere ubique vitae necessitatum inopià, ut historia plus satis homines edocet, adduxit ad seditiones civiles, quae non minus rebellantem, quam eum, contra quem rebellatum est, disturbaverunt. Quamobrem eiusmodi tumultuum eruptionem omnes metuerunt in antiquitate, plebe infima, quam nunc in quocunque regno, partim ex operariis corruptis nihilque colentibus, partim e mendicis reliquaque conluvie conflatam, itaque perturbationibus quasi maximo suo commodo semper gaudentem, novimus, tum plane ignota. — Nam de primo reipublicae liberae seculo loquor, quod in vita vulgari ab imperatorum temporibus fere aeque remotum est, ac a regnorum statu hodierno. — Unde ergo factum est, quod plebs Romana talibus angustiis oppressa, denuo foeneratorum manibus oblata, ne ad extremum prodire inopia cogeretur, auxilium in praesidibus, nempe Tribunis pl. sibi quaesivit. Qui autem ne impedirentur, quo minus plebis iura graviora contra Patricios defenderent, rem ad plebis praesidii adiutores detulerunt, quibus iam antea, utpote Cereris aedis curatoribus, inter eos, qui in hoc asylum confugissent, panem distribuere convenit [24]). Sic autem Aediles frumenti

improvide inierint, ab Aedilibus pl. pulsati sunt: Valer. Maxim. VI. cap. 6. §. 2; Livii Epitom. libr. XV; Zonar. Annal. VIII. cap. 7.

23) Vid. cap. 1.

24) Varronis de vita P. R. fragm. apud Nonium s. v. Pando, quod et reperitur Varr. Opp. ed. Bpt. c. not. varior. I.

et annonae curatores facti sunt. Negari quidem non potest, nonnunquam et magistratus superiores, et extraordinarios functos esse re frumentaria: at multum interest inter frumenti distributionem, quae Romae ad populum facta est, et procurationem ex alienis terris comportatam. Illam vero Aedilibus pl. proprium fuisse officium, hanc et Consulibus, et Praetoribus, Quaestoribusque et extraordinariis magistratibus [25]), ut Praefecto annonae, qui solummodo ex Senatusconsulto ad frumentum emendum atque Romam procurandum mitterentur, oblatam esse arbitror: quodque fieret necesse fuit, quum Aedilibus urbe exire non liceret, nisi maxima reipublicae salutis necessitas cogeret. Attamen unum modo exemplum novimus, quod supra e Scipionis Africani accusatione tradidimus; unde certo concludere censemus, nunquam uno eodemque tempore omnibus Aedilibus urbe exire licuisse, quia alioquin ut res curiosissima, exempli gratia in bello Punico secundo, adnotata esset. Hanc vero frumenti divisionem, quae mox in primis et propriis Aedilium officiis habebatur, permulta veterum testimonia comprobantes ostendunt [26]), eandem, dum

---

pag. 541: „Pandam hanc deam Aelius putat esse Cererem; sed quod in asylum qui confugissent, panis daretur, esse nomen factum a pane dando"; quo l. facti enarratione gaudemus, etymologiam vero ridiculam non flocci aestimamus.

25) Conf. Liv. II. cap. 54 et seqq.; tum Liv. IV. cap. 12: „postremo perpulere Plebeii, haud adversante senatu, ut L. Minucius praefectus annonae crearetur; felicior in eo magistratu ad custodiam libertatis futurus, quam ad curationem ministerii sui, e. q. s. Quos ad locos adnectas velim Pompon. de origin. iur. §. 33. „nam praefectus annonae et vigilum non sunt magistratus, sed extra ordinem, utilitatis caussa constituti sunt."

26) Ex exemplorum copia consulas duo in Plinii hist. nat. XVIII. cap. 3; Liv. XXXI. cap. 4, 50; ibid. XXXIII. c. 47.

Romanorum respublica libertate frueretur plena, semper huic magistratui permansisse, ac in posterioribus quoque temporibus pari modo cum Aedilibus Curulibus esse communicatam. Ceterum si Franciscus Hotomannus [27]) annonae curam nunquam Curulibus commissam esse iudicavit, evidenter nobis evincitur, eundem levius, quam ulli permitti possit, perspexisse fontes. Aperte enim contra talem opinionem pugnant loca, quae nota antecedente e Livio citavi. Neque graviora argumenta pro eadem opinione attulit Spanhemius [28]), qui Livii plane immemor duos nummos excudi iussit, ut spica et sellis vulgaribus in nummis annonae curam pro solis Aedilibus pl. postularet, quum e parte adversa alia nummorum exempla [29]) Curulium insignibus idem officium Aedilibus promiscuum manifestarent. Deinde non meliorem causam habet Hotomannus, cur eadem periodo Aediles pl. mancipiorum venditioni solos praefuisse arbitratus sit; nam equidem

---

Plinius scilicet Manium Marcium Aedilem pl. primum frumentum populo in modiis assibus donasse narrat, quod factum Niebuhr. Röm. Gesch. II. pag. 194 ingeniose ita interpretatus est, ut e periodorum consecutione Manium Marcium aetate priorem L. Minucio, plebis corruptori notissimo anteponeret, atque hac ratione posteriori dimidio seculi quinti a. Ch. n. rem vindicaret. Quod vero in universum de largitione frumentaria usque ad reipublicae libertatem amissam a nobis dicendum est, ad tertium librum differimus, quo tamen post doctissimas Dirksenii commentationes duas, tabulam Heracleensem illustrantes, Regiom. 1817. 8vo, et Civil. Abhandl. II. pag. 144—200, succinctius magis repetere, quam denuo exponere debemus.

27) De magistr. Roman. in Graev. Thes. ant. Rom. II. pag. 1863.

28) De usu et praest. nummor. edit. sec. Londin. vol. II. pag. 155.

29) Ibid. peg. 149; p. 88; quibus e gentium ratione et nummus in pag. 157 adnumerandus est.

nescio, qua alia auctoritate fretus de hac notitia accepta, quam Digestorum quodam loco [30]) gloriaretur. At illa lex pars est Aedilium Curulium edicti, quod aeque Curulium ac Plebeiorum Aedilium administrationem obligavit. Nam si unus et alter venalium quoque rerum curam non in promiscuis Aedilium officiis censeri velit, is modo iurisconsultos reliquosque veteres auctores huc pertinentes conferat atque accuratius perlegat. Primo Ulpianus quidem scripsit [31]): „Sciendum est ad venditiones solos hoc edictum — nempe Aedilium Curul. — pertinere non tantum mancipiorum, verum ceterarum quoque rerum." Quis vero reperiri possit, qui exiguorum utensilium venditores inspexisse Aediles pl. neget? quum et per se annonae cura cum mercium custodia more usitato consociari oporteret. At plura alia testimonia hanc curam Aedilibus promiscuam evidenter nobis ostendunt, quorum h. l. iam sufficient exempla e Plaut. Rudent. ed. Reiz. Act. II. Sc. 3. v. 43; Sueton. Claud. cap. 38; ibid. Tiber. cap. 54; Digest. lib. L, tit. 2. l. 12 [32]).

Sed ut in viam rectam regrediar, e qua in eam digressionem aberravi, ut demonstrationem supra a me promissam persequerer, de frumenti divisione, ad Aedilium curas diversas pertinenti, disserere pergo. Qua

---

30) Lib. XXI. tit. 1. l. 1.

31) Digest. XXI. tit. 1. l. 63.

32) Neque minus huc pertinebunt documenta pro iustarum mensurarum custodia afferenda: Varron. fragm. apud Nonium s. v. convenire, quod et legitur Varron. oper. edit. Bpt. I. pag. 285, et Digest. XIX. tit. 2. l. 15. §. 8. — Persii autem Satyrar. I. v. 129 — 130, et Juvenal. Satyr. X. v. 101 — 102 hoc loco pro me non in medium proferam, ne opprobria accipiam, quae ab adversariis strenuis mihi opponi possent, quam si Coloniarum Aediles cum Romanis permiscere vellem: sane in re ipsa huc utrumque Aedilium genus ad unum conveniet.

de re Coelii epistolae ad Ciceronem[33]) locum, qui priores auctores Aedilitatem describentes plane fugerat, non parvi momenti aestimo, ut meam opinionem sustineat: „Curio ad populum transfugit, legemque Viariam, non dissimilem agrariae Rulli, et Alimentariam[34]), quae iubet Aediles metiri, iactavit. Alimentariam enim ita explicandam esse censeo, legem quae certum frumenti modiorum numerum publice per Aediles vulgato more dividendum promitteret; itaque breviter Coelius Aediles metiri scripsit pro frumentum dare, ut Aediles dividendum curare possent; neque Aedilium classem certam statuere potuit, quod utraque frumentum dividere solebat. Sane nunc aptam occasionem acceperimus, qua de Aedilibus Cerealibus eorumque coniunctione cum prioribus Plebeiis ac Curulibus in frumento procurando loqui possemus; sed hanc novam Aedilium classem ad caput sequens transtulimus.

Itaque in historica Aedilitatis munerum expositione amplius explicanda progredimur, annonaeque procurationi quartum Aedilium officium, iam a Plebeiis administratum, inprimisque gravissimis in antiquitate adsociatum addimus, quod in iudicio exercendo de rebus, quae omnino ad tutelam publicam pertinebant, peragebatur. Qua de re viros doctos praecipue certamen iniisse non me praeteriit. Fuerunt enim multi, sicuti fere omnes Romanorum antiquitatum interpretes seculi de-

---

33) Exstat in Epp. ad familiar. VIII, 6.

34) Nec vero immerito Schützius in recentissima Ciceronis opp. editione tom. IX. pag. 541 lectionem quae pro quas optime defendit contra Benedictum, qui vulgatam revocans eandem ita intelligi vult, quam si scriptum esset, quas iubet Aediles diiudicare. Quis autem unquam audivit, Aedilibus legum diiudicandarum potestatem esse commissam?!

cimi sexti, — prae aliis nominetur Hotomannus [35]) — qui propriam iurisdictionem Aedilibus Plebeiis permissam esse prorsus negarent, idque modo concederent, eosdem tantum de rebus a tribunis ad se delatis iudicavisse, quod igitur non nisi de quibusdam casibus gravioribus raroque accidentibus accipi posset. Universe quidem etiam Ritterus [36]) iisdem accedit, etsi de ea re non tam arcte atque rectius loquitur; nam Plauti locum [37]) aptissime ita interpretatus est, ut totam scenam iocose in edictiones Aedilitias redditam censeret, e qua ergo pateret, Aediles pl. viva voce in foris vel plateis, quae vellent, edixisse, statimque eos punivisse, qui iussis morem non gesserint. Fere similia huic magistratui concedunt et Curtius [38]), qui iis de rebus in emtione ac venditione allatis ceterisque ad munus Aedilitium spectantibus ius dicendum adtribuit, et Niebuhrius [39]), qui solummodo de plebeio ordine in rebus, quae politiam (Polizeigewalt) attingunt, eosdem diiudicavisse contendit. Thibautius [40]) denique rem optime appetiit, qui totam Aedilium iurisdictionem, de qua copiosius in libro tertio tractabimus, per se consideratam utrique eorum generi plane promiscuam fuisse non negat, tantumque de honoribus ac honorifica edictorum promulgatione [41]) cuiusdam discriminis inter Aediles rationem habendam esse arbitratur.

---

35) De magistr. Roman. Graev. thes. II. p. 1865.

36) Ad Heinecc. hist. iur. civil. edit. 1751. pag. 107.

37) Captiv. Act. IV. scen. 2.

38) De senatu Romano II. cap. 4. edit. Klotz. pag. 66.

39) Röm. Gesch. I. pag. 425; II. p. 15 et 417.

40) Civilist. Abhandlung. pag. 145.

41) Hanc Curtius quoque loc. excit. vindicat Curulibus, tanquam iuris honorarii portionem, ita tamen, ut non singuli, sicuti Praetores, sed, quod veritatis specie non destitutum viri doctissimi suspicati sunt (auctore J. Chr. Gotl. Heinecc.

Cuius officii initia qui recte persequi vult, is modo eiusdem coniunctionem cum tribus curis primariis investiget, deinde cum exemplis, quae e fontibus de eorum iurisdictione colligi possunt, conferat necesse est. Nam nemo quum facile contradicet, prima Romanorum antiquitate omnes caussas, quae huc veluti in populo sensim sensimque exculto in minutiis assumantur, a veteribus tribuum praesidibus diiudicatas, idque magis ex arbitrio atque naturali iudicio, quam iure constituto factum esse; quum deinde post primam plebis emigrationem Tribunis pl. illud praesidium cum maiore auctoritate traderetur, magna vero eorum officiorum co-

florum sparsio ad Edict. Aedilit. pag. 50), communi Curulium nomine edicta promulgarent. Sed in verbis mox sequentibus loc. cit. Curtius a veritate aberrat, sibi ipsi non constans: „Curules quoque soli iuri dicundo operam dedisse videntur, hinc forte natum, ut in municipiis et coloniis vocarentur Aediles iuri dicundo, qui primum locum obtinebant (ex Gruter. Inscript. nr. 214. conf. Otto de Aed. Colon. peg. 290) et supra Aediles annonae eminebant; curules enim isti eppellari non poterant, quoniam non sella curuli sed bisellio utebentur." Sed si Aediles pl. nullam iurisdictionis partem habuissent, cur Aediles Curules, Praetoris dignitate iam constituta, eendem aoceperint, quum aliter apud Romanos eiusdem officii divisio in plures curas percipienda, uti plurimae Graecorum civitates egere solebant, in usu non esset. Quod vero ad Aedilium coloniarum denominationes adtinet, non oblivisci possumus, Aedilium cognomina omnia aut a diversis curis, aut ab huic magistratui praefectorum numero nuncupata esse, unde ergo patet, nihil singulare apud Aediles iuri dicundo extitisse, nullamque adesse caussam, cur Aedilium coloniarum officia summa, a summo praefecto administrata, eandem officii divisionem Romae aocipere nos iuberent. Praeterea quoniam in quibusdam municipiis quatuor vel etiam sex Aediles instituerentur, duos superiores Aediles iuris dicundi provinciam administravisse oporteret, si Romanorum exemplum dedisset; quod autem usquam factum esse nobis non relatum est.

pia statim efficeretur, ut administrationis munera sane nunc minora (si ceteram Tribunorum potestatem in plebis libertate defendenda perpendeas) pervenirent ad Aediles: res vix in aliam viam declinari potuit, quam ut plebis coërcitionem quoque in vulgari vitae usu pro securitate tam privata quam publica, quae ob Plebeiorum certamina cum Patriciis in diem magis concitata eoque graviora pericula comminantia offenderetur, Tribuni pl. Aedilibus demandarent. Illi enim pro plebis libertate defendenda omnino toti occupabantur, neque alium quemcunque magistratum plebeium, qui rebus tam gravibus consulere potuisset, historiarum testimonia memoraverunt. Sed coniecturae vim coërceamus, atque unum alterumque subsidium eidem e fontibus praebere acceleremus: quorum primum Livius [42]) nobis donavit. A. 462 a. Ch. n. Roma quum pestilentia gravissime devastaretur, alter Consul iam mortuus esset, alter in exigua spe animam traheret [43]), quibusdam magistratibus opus fuit, qui Consulum vice urbis curam gererent. Sed Praetores hoc tempore necdum creati erant (si eundem magistratum, praecipue iurisdictionem tenentem, vocis significatione ulteriore atque notiore postulas, neque huius perveteris Consulum nominis memor es), Tribuni vero iurisdictionem propriam, quae iis ut tribuum praesidibus convenerat, iam Aedilibus commiserunt; res ergo venit ad Aediles, teste Livio in loco laudato: „Munus vigiliarum senatores, qui per aetatem ac valetudinem poterant, per se ipsi obibant; circuitio ac cura Aedilium plebei erat; ad eos summa rerum ac maiestas consularis imperii venerat." Qua securitatis tamen publicae cura, sive effrenatam licentiam, sive exacerbatorum animorum

---

42) Lib. III. cap. 6.

43) Affirmantur a Dion. Halic. IX. cap. 67, secundum quem ambo consules pluresque tribuni peste perierunt.

rixas, sive simile quid aliud quando Aediles sedare cuperent, persaepe vitae discrimen adirent oportuit. Quapropter a. 447 a. Ch. n. L. Valerio atque M. Horatio Consulibus, de iis atque de aliis muneribus publicis, quibus crebro pericula minari possent, lex lata est, qua sancitum est [44]), „ut, qui Tribunis pl., Aedilibus, Iudicibus, Decemviris nocuisset, eius caput Iovi sacrum esset, familia ad aedem Cereris, Liberi Liberaeque venumiret"; ergo apud ea loca venderetur, quorum Aediles pl. antiquitus fuerint praesides, unde Aediles ipsi familiarum venditiones curarent. At Niebuhrius [45]) rem angustius exponit, ut sua opinio de utroque ordine Romae severe secluso servetur, qua ratione hanc legem ad magistratus solummodo plebeios adtrahendam esse, venditionemque ipsam Cereris templi commodo factam esse contendit, quum Ceres, agriculturae dea, inprimis liberos agricultores, i. e. ex eiusdem opinione plebeium ordinem tueri deberet: sed singula de hac Aedilium cura infra in libri tertii capite undecimo referentur.

Quintum denique Aedilium officium peculiare pertinet ad res sacras, ad pios religionis ritus populique mores veteres observandos, postremo ad ludos antiquissimos procurandos. Quam vero facilem transitum in hanc quoque curam ceterarum coniunctio parari iusserit, haud cunctanter quisque intelliget. Iam concessum est, Aediles aedium sacrarum fuisse antistites, ita ut illis tanquam tabulariis uterentur, neque minus tutelae publicae eos-

44) Livii l. III. cap. 55. At quaestionem, quae huic legi facile annecti potest, num Aediles sacrosancti haberi debeant e Festo s. v. Sacrosanct., Livio cap. excitat. eodemque auctore XXIX. c. 20, et Dionys. Halic. VII. cap. 35, nunc plane omittentes in libri quarti capite primo pertractabimus.

45) Röm. Gesch. vol. I. pag. 426.

dem consuluisse fontium auctoritas nobis persuasit. Ceterum quoque inter omnes constat, in antiquitate vitam publicam nullo modo a religionis cultu distrahi posse; unde ergo facillime effici potuit, ut severa religiosorum rituum custodia et securitatis publicae tutela mutuo in unum consociarentur. Enimvero ex me nonnemo quaerere possit, cur non rerum sacrarum procurationi primum vel unum eundemque locum, quem tabularum publicarum custodiae, adscripserim? Sed is documentorum rationem chronologicam me sequutum esse non difficile sibi respondebit: hanc vero excusationem non iuste pro me proferri qui iudicet, simul rursus a me mittitur ad analogiam historicam. Quem quidem fugere debeat, quod in antiquitate, rebus Romanis conditionem bene ac providenter administratam necdum praebentibus, neque urbis incolarum frequentia magis quam satis mediocriter accrescente, tum pontifices [46]) graviore de religione observanda auctoritate gauderent, tum, ubi potestas auctoritatis publicae necessario provocari oporteret, iam satis parati auxilii in summo magistratu, sive rege, sive consulibus, sive etiam rege sacrificulo [47]) semper haberent. Sed quum proprius magistratus aedium sacrarum curae publicae constitutus esset Romae, nec minus ritus sacri accu-

46) Quod iam e Numae constitutionibus elucet apud Liv. I. cap. 20: „cetera quoque omnia publica privataque sacra Pontificis scitis subiecit, ut esset, quo consultum plebes veniret, ne quid divini iuris, negligendo patrios ritus peregrinosque adsciscendo turbaretur."

47) Dionys. Halicarnass. lib. V. cap. 1: *„ἐπειδὴ δὲ πολλῶν καὶ μεγάλων ἀγαθῶν αἴτιοι γινόμενοι τοῖς κοινοῖς πράγμασιν ἔδοξαν οἱ βασιλεῖς, φυλάττειν τοὔνομα τῆς ἀρχῆς, ὅσον ἂν ἡ πόλις διαμένῃ χρόνον, βουλόμενοι* (οἱ ὕπατοι scil.) *τούς ἱεροφάντας τε καὶ οἰωνομάντεις ἐκέλευσαν ἀποδεῖξαι τὸν ἐπιτηδειότατον τῶν πρεσβυτέρων, ὃς οὐδενὸς ἔμελλεν ἕξειν ἑτέρου, πλὴν τῶν περὶ τὰ θεῖα σεβασμάτων, τὴν προστασίαν, ἁπάσης λειτουργίας πολεμικῆς ἀφειμένος, ἱερῶν καλούμενος βασιλεύς."*

rate definiti essent, Aediles praeterea coërcitionem exercerent plebis, quae crebrius faciliusque, quam Patriciorum ordo, commercio mutuo cum populis vicinis sive mercatura florentibus inito, ritus peregrinos cognoscendo, eosque sensui incultiori gratiores accipiendo corrumpi posset: vix aliter fieri potuit, quam ut perinde Aedilibus negotium demandaretur, „ut animadverterent, ne qui, nisi Romani Dii, neu quo alio more, quam patrio colerentur. Cuius autem rei documentum vetustissimum tradidit Livius [48]) ex ann. 425 a. Ch. nat., quum populus Romanus, pestilentia gravissima vexatus, salutis caussa ad religiones externas atque superstitiones profugisset; sed copiosius de hoc aliisque exemplis magis etiam memorandis ex eodem Livio ac Varrone infra capite secundo libri tertii tractabimus.

Quoniam vero Romanorum ludi primi reipublicae ornatui atque dierum festorum honori solummodo celebrarentur, et ipsis non nisi dii colerentur ac conciliarentur, unde civitatis quoque rebus dubiis, sive bello, sive pestilentia alioque casu infelici male evenientibus, dictator vel consules diis ludos voverent [49]): sine omni dubio eorum procuratio rerum sacrarum curae pars quaedam censenda est. Quod optime e Livio [50]), pestilentiae cladem Romae a. 362 a. Ch. n. factam enarrante, patet, ubi primum ludorum sce-

48) Lib. IV. cap. 30: quocum conferas Bynkershoeckii dissertationem de cultu religionis peregrinae apud veteres Romanos, in eiusd. oper. omn. fol. Lgd. Bat. 1767. vol. I. et eiusd. auct. opuscul. var. argument. Hal. 4to. 1729. vol. II. pag. 181 — 224.

49) Non opus est singula enarrare exempla, quae profuse per totum Livium Dionysiumque Halicarnassensem dispersa sunt.

50) Lib. VII. cap. 2 et 3.

nicorum initium memorat: „quum vis morbi nec humanis consiliis nec ope divina (nempe lectisternio deum pacis exposcendae caussa facto) levaretur, victis superstitione animis, ludi quoque scenici, nova res bellicoso populo — nam circi modo spectaculum fuerat — inter alia coelestis irae placamina instituti dicuntur." Quibus capite proximo addit: nec tamen ludorum primum initium, procurandis religionibus datum, aut religione animos, aut corpora morbis levavit; quin etiam, quum medios forte ludos circus Tiberi superfuso irrigatus impedisset, id vero velut aversis iam diis adspernantibusque placamina irae terrorem ingentem fecit." At praeter hunc locum unum modo argumentum [51]) excitare volumus, ut rem plane illustremus, quemadmodum peculiariter ad Aedilium Pl. officia ludorum faciendorum cura pertineret: quod insuper aptissime nos adducet ad alterius Aedilium generis institutionem. Sed priusquam ad hunc Livii locum explicandum nos accingamus, perpauca in subtilem Niebuhrii [52]) de Aedilium Curulium institutione opinionem, quae totam Livii relationem ut ineptissimam prostituit [53]), praemonere nobis liceat, quia hac in re omnino ab auctore ingenioso nos abire

51) Exstat in Liv. VI. cap. 42.

52) Röm. Gesch. II. pag. 416.

53) Loc. cit.: „Livius thut dem hochstolzen Sinne der alten Patricier Unrecht, indem er erzählt, sie hätten sich bei der Erwerbung einer Würde beruhigt, deren Werth eigentlich nur im Rang, ohne Wesentlichkeit, bestanden haben würde, wäre sie nicht mehr gewesen, als er sie definirt. Aber wir müssen seine Erzählung von ihrem Ursprung aus der Weigerung der Plebejischen Aedilen die Kosten einer Verlängerung der grofsen Feste zu tragen, ganz verwerfen.... Aber nichts anderes als eben diese thörichte Erzählung deutet darauf, dafs sie früher jene (der Spiele) Leitung hatten."

confitemur. Quam quidem magna iniuria in Livium vir praestantissimus, praeiudicio de Patriciis sane e fontium perscrutatione non concepto, hic a veritatis via seduci passus est, vix difficile est dictu. Unum enim argumentum ponderat contra alterum, idque unicum e Dionysio Halicarnassensi [54]) assumtum ita satis comprobatum censuit, ut rem a Livio accuratius enarratam, neque solum verborum abundantia ad Dionysii modum pictam, plane refelleret, imo etiam ex scientia historica removere vellet. Nam si Niebuhrius ludos rebus sacris adnumerandos esse contendit, nemo ei de hac re contradicet; at sin e diverso, nullo alio argumento fretus, ludos ut res sacras, quoniam Patricii soli ex eiusdem opinione omnes res sacras administravissent, Aedilibus Pl. unquam ante Curulium institutionem commissos, aut ullam rerum sacrarum procurationem demandatam esse prorsus negat [55]), non video, cur sine quaque caussa ne sibi quidem ipsi constans [56]) veterum testimonia, quae partim ad rerum sacrarum curam per-

54) Ant. Roman. VII. cap. 71.

55) Loc. cit. pag. 417: „Unwahrscheinlich hingegen im hohen Grade ist es (die Leitung der Spiele durch die Aed. Pl.), weil die Festlichkaiten dem Gottesdienst angehörten, und dieser ganz dem patricischen Stande; daher es viel glaublicher ist, daſs auch sie bis dahin dem Consulat anvertraut waren." Nihilominus eod. volum. pag. 194 ipse confessus est: „im Jahr 527 übten die Aedilen die Policey über den Gottesdienst zur Entfernung ausländischer Religionsgebräuche," quae etiam repetuntur pag. 417.

56) Ibid. I. pag. 425, ubi eundem Dionysium, ex eodem fonte, Q. Fabii annalibus, haurientem insanum (den widersinnigen Griechen) appellat, nec minus Livium laudat, quod auctoris Graeci relationem non sustinet. Insuper etiam p. 417 sua sponte concessit Aediles Pl. iam antiquitus praesides fuisse ludorum plebeiorum, quos certo ex eiusdem opinione, in not. antecedenti exscripta, ad Romanorum religionem pertinuisse quisque censebit.

tinentia iam supra adscripsimus, neglexerit. Quid? Quod Aediles Pl. templa curabant, nec minus providebant, ne patriae religionis cultus laederetur: haeccine non sufficiant, ut magistratus Plebeii consortium cum Patriciis in rebus sacris initum credamus? Omnino quidem Niebuhrius [57]) omnium templorum curam, excepta una Cereris aede, peculiariter Aedilibus Curulibus demandatam opinatus est, sicuti inter priorum seculorum scriptores Hotomannus [58]) et Johannes Fridericus Vaillantius [59]) eiusdem sententiae auctores sunt. Attamen, si omnia exempla, quae pro hac opinione ullo modo conferri possunt, coniungantur, tria modo ei faventia producantur, quae insuper acriorem explorationem subire non possint. Nam Hotomannus nihilo plus uno loco notissimo e Ciceronis orationibus in Verrem [60]) usus est, quo vero omnia Aedilium munera promiscue enumerantur, sicuti Cereris cultus cura, a Niebuhrio ipso Aedilibus Pl. prae ceteris adtri-

---

57) Ibid. II. pag. 417: „wie die Plebejischen Aedilen die Aufsicht über den Tempel der Ceres hatten, so die Curulischen über alle andere Tempel der Götter."

58) De magistrat. Roman. apud Graev. thes. Ant. R. II. pag. 1865.

59) In opere aestumato de nummis antiq. famil. Roman. Amstelod. 1703. 2 vol. fol.

60) V. cap. 14. §. 36. „Nunc sum designatus Aedilis: habeo rationem, quid a populo Romano acceperim: mihi ludos sanctissimos maxima cum caeremonia Cereri, Libero Liberaeque faciundos, mihi Floram matrem populo plebique Romanae ludorum celebritate placandam, mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate ac religione Iovi, Iunoni Minervaeque esse faciundos, mihi sacrarum aedium procurationem, mihi totam urbem tuendam esse commissam; ob earum rerum laborem et sollicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in senatu sententiae dicendae locum, togam praetextam, sellam curulem, ius imaginis ad memoriam posteritatemque prodendae."

buta, porro totius urbis tutela publica, quae nihilominus a Niebuhrio inter utrumque Aedilium magistratum divisa adnotatur [61]), ludi Florales, certissime tum ab Aedilibus Curulibus, tum a Plebeiis instituti, quod mox infra a me ostenditur; eademque ratione sacrarum aedium procuratio hic ab oratore prolata est, qua prorsus in ambiguo relinquitur, num haec cura Curulibus sola adscribenda, an, sicuti illa tria munera priora, Aedilium promiscua censenda sit. Neque vereamur, ne ad hunc verborum sensum accedamus, si maioris reliquorum testimoniorum, pro mea opinione afferendorum, numeri rationem habere velimus, ita ut hic Ciceronis locus aut pro me loquatur, aut certo nihil contra promiscuam aedilitiam curam aedium sacrarum demonstret. Vaillantius autem duos nummos gentilicios de Dianae atque Iovis templorum refectione in medium protulit, qui, sicuti nummi creberrime in magistratuum muneribus explicationem incertissimam praebent, hac in re quoque prorsus nihil demonstrant, quod aperte unum templum reficiendum non omnes Aediles procurare potuerunt, atque hi duo nummi solummodo casu nobis servati sunt. Fortasse alia quoque Ciceronis verba [62]) contra me moveri possent, quamobrem equidem ipse ea examinanda in medium profero: „Nihil te (P. Clodi) igitur maiores tui, coniuncti cum his religionibus, neque sacerdotium ipsum, quo est haec tota religio constituta, neque Curulis Aedilitas, quae maxime hanc religionem tueri solet, per-

61) Röm. Gesch. II. pag. 417: „Ihren (der Pleb. Aedilen) Befugnissen entsprechend allerdings die Curulische Aedilität gebildet: die Polizei mag unter beide getheilt sein."

62) Sed ne Ciceronis quidem dici possunt, quod in oratione suppositia de harusp. resp. cap. 13. §. 27 leguntur, ut hac in re Wolfii iudicium grave et fere ab omnibus agnitum sequar.

movit, quo minus castissimos ludos omni flagitio pollueres?" Nonne solum hac ratione Aedilitatem Curulem nominavit orator, quod Clodius ipse, quem aggressurus est, Curuli dignitate ornatus erat, veluti in Verrina iam adnotata Cicero de se ipso idem fecit? Nonne eadem verba de Plebeia Aedilitate ab oratore proferri potuissent, si iste Clodius hanc adeptus esset dignitatem? Quare sine omnibus testimoniis certis nullo modo evidenter comprobari poterit, Aediles Curules solos, praeter Cereris aedem, ceteris praefuisse templis.

Nunc igitur mihi restat, ut afferam, quae pro me loquantur, h. e. quae promiscuam aedium sacrarum rituumque ad religionem spectantium procurationem demonstrent, quemadmodum in documentis antiquis, saltem si reipublicae florentis tempora respicimus, mox Aediles Pl., mox Curules eidemque templo consulentes, mox uterque magistratus sub simplici Aedilium nomine nobis occurrunt. Primum enim in integro vulgarium rituum sacrorum statu conservando semper commune Aedilium nomen sine alia nota distinguenti invenitur, idemque saepe fit in supplicationibus, Iovis epulis ludorum caussa pluribusque aliis rebus sacris instituendis, quod plures loci in Livio aliisque auctoribus probis testantur [63]; tum Aediles Pl. diserte praeter Cereris aedis curam in Liberi Liberaeque, Fauni, Florae, immo etiam in Iovis aedibus, signisque horum deorum reipublicae nomine ponendis, ut curatores occupatos

63) Liv. XXV. c. 1.: „Incusati graviter ab senatu Aediles, quod non prohiberent" e. q. s., quibuscum conferas priorem eiusdem auctoris locum in not. 48 huius capit., et lib. XXXIX. c. 16. — Varron. antiq. human. libr. I. fragm. apud Festum s. v. Murrata, et eiusd. Satyr. Eumenid. fragm. apud Nonium s. v. Gallare, quae simul leguntur Varr. Opp. ed. Bipont. I. pag. 204 et pag. 275, et Ausonii Popmae annot. ad loc. ulterior. ead. edit. II. pag. 557.

reperimus [64]); denique utrumque Aedilium magistratum in pecuariis damnandis et ex aere multaticio signis sive clipeis faciendis vicissim adhibitum vidimus [65]).

Nunc autem ad priora Livii (VI. c. 42) verba de Aedilium Curulium institutione nobis redeundum est. Post longas atque acerbas discordias inter patricios et plebem, quum tandem ira sedata, ordinesque in concordiam redacti essent, rem senatus censuit dignam, quae, si quando umquam alias merito, ludis maximis per quatuor dies, uno nuper addito, celebraretur. At munus postulatum Aediles Pl. recusaverunt. Quo autem loco vix video, cur Niebuhrius (loc. citat.) planam huius Aedilium recusationis narrationem Livii fabulis, quibus iste falso amore erga patricios captus veritatem historicam permiscuisse dicatur, adsociet: argumentum enim, quod respublica ipsa ludis faciundis sumtus praebuit, teste antiquissimo Quinto Fabio apud Dionysium Halicarnassensem [66]), sane nihil contra Livii

64) Liv. XXX. c. 39: „P. Aelius Tubero et L. Laetorius Aediles Pl. vitio creati magistratu se abdicarunt, quum ludos ludorumque caussa epulum Iovi fecissent, et signa tria ex multaticio argento facta in Capitolio posuissent; tum ib. XXXII. c. 7 aliaque exempla de Iovis epulo in eod. auct. De Fauni aed. ibid. XXXIII. c. 42 et XXXIV. c. 53; de Liberi Liberaeque aed. ib. XXXIII. c. 25; de Flora Tacit. Annal. II. c. 49: „sedem Florae, ab Lucio et Marcio Publiciis Aedilibus (antiquitus) constitutam," qui autem a Varrone de ling. Lat. IV ed. Bpt. I. p. 44 et Ovidio Fast. V. v. 287 Aediles Pl. dicuntur.

65) De Aedilibus Pl. creberrime in Livio reperitur, sed etiam de Curulibus ibid. XXXV. c. 10 legitur, ubi ex utroque gentis Romanae nomine, et Aedilitatis insignis, haud dubie in ludis Romanis comprobatae, celebratione, Aediles Curules significantur. Festi verba s. voc. Publicius „clivus appellatur, quem duo fratres L. M. Publicii Maleoli Aediles Curules pecuariis condemnatis ex pecunia, quam ceperant, muniarunt," huc non pertinent, quod not. antecedenti hos Aediles Plebis fuisse iam probavimus, itaqua in Festo vox Curules in Plebis corrigatur necessa est.

auctoritatem efficit. Nam vetustissimi annalium scriptoris fides non perpetuo indubia est, praesertim quum de rebus se ipso antiquioribus conscriberet, uti medii aevi scriptores, certo tamen ad rem explorandam aptius venientes, nimio plus nos permonuerunt, ubi diplomatum copia et chronologiae accuratioris apparatum, et aequam trutinandi lancem nacti sumus, quae iustam factorum censuram nobis praebet. Quis vero putare possit, Romanorum populum eosdem sumtus, quos vix Latii domini in finem seculi quarti a. Chr. adhibuerunt, adhuc satis aestimasse largos, quum totam Italiam oppugnatam atque occupatam teneret? Minime hoc factum esse censeas. Attamen hanc quoque rem Fabius testatur. Praeterea etiam, si hanc publicae liberalitatis constantiam immutabilem annalibus antiquioribus credamus, nihil obstat, quominus sumtus publicos cum Aedilium Pl. munere coniungere possimus; ita ut ludis quidem vulgaribus pecunia constituta sufficere potuisset, sed non iis, qui uno die aucti fierent. Nam si unius quoque diei festi incrementum Aediles Pl. recusassent, Livii tamen auctoritas salva permaneret. Quid ergo aliud quaerimus, ut exponatur, Aediles Pl. s o l o s tum temporis edidisse ludos 67),

66) Ant. Rom. VII c. 71: „Κοΐντῳ Φαβίῳ βιβαιωτῇ χρώμενος, καὶ οὐδεμιᾶς ἔτι δεόμενος πίστεως ἑτέρας· ..... ταύτην τὴν ἑορτὴν ἐψηφίσατο μὲν ἡ βουλὴ τῶν Ῥωμαίων ἄγειν, ὡς καὶ πρότερον ἔφην, κατὰ τὰς γενομένας εὐχὰς ὑπὸ τοῦ δικτάτωρος Αὔλου Ποστουμίου, ὅτ' ἔμελλεν ἀγωνίζεσθαι πρὸς τὰς ἀποστάσας, Λατίνων πόλεις, κατάγειν ἐπιχειρούσας Ταρκύνιον ἐπὶ τὴν ἀρχήν· ἀναλοῦσθαι δ' ἔταξε καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν εἴς τε τὰς θυσίας καὶ τοὺς ἀγῶνας, ἀργυρίου πεντακοσίας μνᾶς· καὶ μέχρι τοῦ Φοινικικοῦ πολέμου τοῦτο ἐδαπάνων εἰς τὴν ἑορτήν."

67) Sic etiam Cicero de leg. III. c. 5 antiquioris legislatoris partes agens totam ludorum solennium procurationem Aedilibus attribuit.

quum in occasione utrique ordini tam grata, immo etiam diu exspectata, ludi Romani, vel etiam maximi dicti, maiori quam solito ornatu celebrandi iisdem traderentur? Quos quum tamen Aediles Pl. recusarent, non aliter fieri potuit, quam ut dictatori vel senatui ansa aptissima offerretur, qua ali magistratui hanc ludorum procurationem gravissimam ac valde honoratam, aut omnino in posterum, aut certe eodem anno demandare possent. Ceteroquin bene quidem cognovimus, Consules quoque ipsos prioribus temporibus [68]) ludos magnos, deorum placandorum vel pestilentiae iam bene aversae, vel tumultus bellive caussa, sive a dictatore, sive ab aliis consulibus votos, sive ab senatu ad ampliorem celebrationem diserte decretos fecisse: nam magistratum superiorem nullo modo inferioris impensis ludos faciundos postulare potuisse per se cognoscitur, quamobrem ab ullo alio magistratu quandocunque ludos factos esse nemo est, qui neget. Attamen nostro exemplo praecipue cavendum est, ne viginti quinque anni inde ab ultimis ludis [69]), quos ex Livii libris Consules fecerant, usque ad A. Curulium institutionem praeterlapsi omittantur, quibus et ludi magni votivi Aedilibus Pl. faciundi iamdudum adtribui possent.

Sed Livii narrationem porro sequentes senatum tunc ita constituisse legimus, ut Aedilitati quidem ludorum curam reservaret, tantumque ludos maiores facere pertinaciter negantibus Plebeiis novum Aedilium genus adiungeret [70]) a. 365 a. Chr. „Nam

---

68) Sed haec raptim modo adnotata pleniori buius rei expositioni in m. libr. III. c. 5 praecepi, ne opinionis leviter proiectae speciem induam.

69) Liv. II. c. 36; IV. c. 27, quibus conf. Dion. Halicarn. loc. in not. 66 h. cap.; ultimi Liv. V. c. 19 et c. 31.

70) Cuius rei Pomponius de orig. iur. §. 32 simpliciter mentionem fecit: „Aediles Curules creatos esse, ut aliquo plu-

conclamatum a patriciis est iuvenibus, se id honoris Deum immortalium caussa libenter acturos, ut Aediles fierent: quibus quum ab universis gratiae actae essent, factum senatus consultum, ut duo viros Aediles ex patribus dictator populum rogaret." [71]). Curules primi creati sunt e gentibus nobilissimis Cn. Quinctius Capitolinus et P. Cornelius Scipio, ex quo tempore per quemque annum semper quatuor Aediles facti sunt. Hac igitur via Aed. Curulium munus institutum est, cuius abusus quam saepe a patriciis aut appeteretur aut perficeretur, non meum est longius enarrare, nec aliquid ad muneris historiam affert, ita ut haec modo breviter addere sufficiat. Posteaquam semel Aed. Curules muneri satisfecerant, Tribunorum incitatu Plebeii expergefacti sunt, et de iuribus astute ereptis queri coeperant. Ceterum ingens pestilentia simul Romam invasit atque devastavit, quae plebis motus reipublicae periculosiores facere posset, si populi finitimi occasione bene oblata uterentur. Quapropter senatus veritus est, ne ei Aediles Curules e patriciis creare iubenti Tribuni Pl. resisterent, tamenque nihilominus commodum semel comparatum negligere voluit, quo pactio confecta est, ut Aed. Curules alternis annis ex plebe fierent. Quae creandi ratio ne laederetur, certo primis annis Tribuni Pl. acriter caverint; postea tamen longiore consuetudine omnia vincula arctiora, ut fieri assolet, sensim sensimque dissolvente, Curulium creatio per utrumque ordinem promiscue facta est, quod et Livius

---

res patres haberent." Sed suo modo omnia obiter perstringere solitus discriminis inter utramque dignitatem non meminit; attamen et in seriore aetate reipublicae labentis primorumque Augustorum Aed. Curules e patrum numero solos nominari potuisse nobis significare videtur, qua autem re nihil aliud, quam novum parvae fiduciae documentum ostendit.

71) Liv. VII. c. 1.

ipse nos docet [72]), et singulorum Aedilium Curulium nomina adhuc nobis exstantia satis demonstrant, quia mox per quatuor vel quinque annos continuos vix unum Plebeium in medium proferunt, mox multo minorem numerum Patriciis vindicant [73]).

Hac autem expositione historica pariter quoque discrimen inter utrumque Aedilium genus, ut putamus, a nobis accurate constitui potest. Plane enim patet omnia munera primaria cum omnibus secundariis, quibus iam ante Aed. Curules institutos functi sunt Aediles Pl., in posterum etiam iisdem promiscua fuisse cum Curulibus; et ita quidem [74]), ut, quae ad tutelam, securitatem munditiemque publicam atque res venales trahi possent, per certas urbis regiones Aediles inter se dividerent et sortirentur, ceteraque coniunctim administrarent, sicuti in medio primo a. Chr. [75]) tabula Heracleensis rem Romae veluti penitus usitatam esse demonstrat. Nam illa diserte nobis praebet [76]): „Quae

72) Liv. loc. cit: „primo, ut alternis annis ex plebe fierent, convenerat; postea promiscuum fit. Huc quoque referas Gellii noct. Att. VI. c. 9, ubi Flavium, Annii filium, patre libertino natum ipsumque scriptum facientem, Aedilem Curulem creatum esse comperimus.

73) Exempla afferet liber secundus.

74) Cui sententiae iam adnuerunt Conradi in parerg. l. III, et Thibaut Civilist. Abhandl. pag. 145 e. q. s.

75) De huius gravissimi documenti aetate prae ceteris consulas Dirksen, observationes ad tab. Heracl. partem alteram, Berol. 1817. pag. 144, 145. 153; et ei. auct. Civilist. Abhandl. II. pag. 146—149.

76) Aer. Britann. lin. 21, 24—27, de quibus conferas egregiam Dirksenii commentationem, rem ipsam plane illustrantem, in Civil. Abh. II. pag. 219—234, et Marezollii adnotationes ad hunc locum in Fragm. leg. Rom. in avers. tab. Heracl. part. Gotting. 1816.

viae in urbe Roma sunt, erunt....., cuius ante aedificium earum quae viae erunt, is eam viam, arbitratu eius Aedilis, cui ea pars urbis hac lege obvenerit, tueatur, isque Aedilis curato" e.q. s.: „Aediles Curules, Aediles Pl., qui nunc sunt, quicunque post hanc legem facti, creati erunt, eumve magistratum inierint, ii in diebus quinque proxumis, quibus eo magistratu designati erunt, eumve magistratum inierint, inter se paranto aut sortiunto, qua in parte urbis quisque eorum vias publicas in urbe Roma, propiusve urbem Romam passus (mille), reficiendas, sternendas curet, eiusque rei procurationem habeat. Quae pars cuique Aedili ita hac lege obvenerit, eius Aedilis in iis locis, quae in ea parte erunt, viarum reficiendarum, tuendarum procuratio esto, uti hac lege oportebit." Tum de viis purgandis idem documentum nos edocet [77]): „Quominus Aediles et Quatuorviri viis in urbe purgandis..... quicumque erunt, vias publicas purgandas curent, eiusque rei potestatem habeant, ita uti legibus, plebisve scitis, Senatusve Consultis oportet." „Cuius ante aedificium semita in loco erit, is eam semitam, ei aedificio perpetuo lapidibus perpetuis integris continentem, constratam recte habeto, arbitratu eius Aedilis, cuius in ea parte hac lege viarum procuratio erit."

Quod ergo interest inter Aediles Pl. et Curules, maxime de muneribus atque honoribus, qui post ann. 365 a. Chr. huic magistratui accesserunt, derivari debet. De muneribus vero nihil novi, nisi extensiorem largioremque ludorum usum ac plures tutelae publicae curas, quas bella civilia eorumque effectus, simulque vitae luxuries in diem magis atque magis Romanos

---

77) Aer. Brit. lin. 50 — 51; Dirksen l. cit. II. pag. 268 — 272

corrumpens, necessarias postulaverint, adiuncta esse scimus. Idcirco Aedilium magistratus praecipue ludorum celebratione distinguitur, ita quidem, ut Aediles Pl. solummodo ludos Plebeios, Curules magnos sive Romanos, porro scenicos et Megalesios [78]) facerent; ludi denique Florales, Cereris, Liberi Liberaeque vicissim ab utroque Aedilitatis magistratu ederentur. Attamen, quod ad Florales adtinet, plerumque ambigitur, iam maxime ab Hotomanno eiusque pedissequis, qui ob quaedam verba Ciceronis [79]), Aedilis Curul. [80]) designati officium futurum describentis, „mihi Floram matrem populo plebique Romanae ludorum celebritate placandam, mihi ludos sanctissimos maxima cum caeremonia Cereri, Libero Liberaeque faciundos", Curulibus solis hos ludos vindicarunt, cetera testimo-

---

78) Ludos quoque Megalesios locus Dionis Cass. XLIII, c. 48 nonnunquam ab Aedilibus Pl. editos esse manifestare videtur: „*καὶ οἱ ἀγορανόμοι, οἱ ἐκ τοῦ πλήθους, τὰ Μεγαλήσια κατὰ δόγμα ἐποίησαν*" a. 45 a. Chr. Quod tamen exemplum singulare, extra ordinem ab Aedilibus Pl. ex Senatusconsulto factum ab auctore ipso adnotatur, praeterea autem feliciter Suetonii enarratione in Jul. Caes. c. 76 illustratur, quae prodit, C. Julium Caesarem adversus liberae reipublicae amicos Pompeiique filios bellum in Africa ac Hispaniis gerentem, per duos annos binos consules sibi in ternos novissimos menses substituisse, nullaque comitia medio tempore habuisse, praeter Tribunorum et Aedilium Pl. Itaque hoc anno nulli fuerunt Aediles Curules, qui Megalesia e more celebrare possent, quare ludi necessario edendi ad Aediles Plebeios mitterentur necesse erat.

79) In Verr., Act. II. l. V. c. 14. §. 36.

80) Simpliciter quidem h. l. Cicero dicit, „nunc sum designatus Aedilis," sed ex honoribus infra additis, sella curuli, antiquiore in senatu sententiae dicendae loco, imaginis iure ad memoriam posteritatemque prodendae, significatur, cum initurum esse Aedilitatem Curulem.

nia obiter transeuntes. Sane perperam factum! Nam Ciceronis testimonium ipsum pro nostra sententia manifeste pugnat, quod idem alias quoque curas, utrique Aedilitati communes, nempe Cereris, Liberi Liberaeque ludos, tum totius urbis tuendae officium merito adnumerat laboribus, quos populus Romanus Aedilis munere ei demandare voluit, neque autem postulat, his verbis solas Aedilis C u r u l i s curas proferre in medium. Sed etiam aliis documentis, quibus ludi Florales persaepe ex multaticia pecunia, quam pecuariis damnatis A e d i l e s P l. exegerunt, facti sunt [81]), quum

---

81) Praecipue afferas Ovid. Fast. V. v. 278—294, Floralium originem canentem:

„Dic, Dea, ludorum, respondi quae sit origo.
Vix bene desieram; retulit illa mihi.
Caetera luxuriae, nondum instrumenta vigebant;
Aut pecus, aut latam dives habebat humum.
Hinc etiam locuples, hinc ipsa pecunia dicta est;
Sed iam de vetito quisque parabat opes.
Venerat in morem populi depascere saltus,
Idque diu licuit, poenaque nulla fuit:
Vindice servabat nullo sua publica volgus,
Iamque in privato pascere inertis erat.
P l e b i s a d A e d i l e s d e l a t a l i c e n t i a t a l i s
Publicios; animus defuit ante viris.
M u l c t a d a t a e s t e x p a r t e m i h i, m a g n o q u e f a v o r e
V i c t o r e s l u d o s i n s t i t u e r a n o v o s."

Quibus adiungas Livium X. c. 25, ubi narrat, Aediles Pl. ex multaticia pecunia, quam exegerunt pecuariis damnatis, ludos fecisse. Sane hos fuisse Florales quisque censebit, quum nullos alios ludos ex argento multaticio editos esse memoriae proderetur, plerumque mulcta ad aedes sacras exstruendas sive vasa aurea argenteave Diis dedicanda adhiberetur. Ceteroquin Messii Aedilis nomen valde ignotum, qui Catonis Uticensis aetate, teste Valer. Max. II. c. 10. §. 8, Florales ex more antiquo edidit, Aedilem Plebeium indicare videtur, sicuti mea ad-

pecuariorum accusationes non minus Curulibus [82]), quam Aedilibus Plebeiis subditae essent; tum, quod itidem ab Ovidio, apud quem leges metricae Curulis coniecturam prohibere debent, Aediles Plebis in Floralium celebratione nominatim nuncupantur: plane ostenditur, horum ludorum procurationem promiscue utrique Aedilium magistratui esse demandatam. Quod vero ad reliquorum munerum Aedilitiorum rationem spectat, non possum, quin aperte profitear, me usque ad hanc horam nulla nactum esse documenta, e quibus, omni ambiguitate missa, aliud officium certum acciperem, quod vel Curuli vel Plebis Aedili proprium pro reipublicae liberae tempore constituere possem. Nam si viri peritissimi Romanorum antiquitatum iuridicarum nostra aetate contendunt, Aediles Curules usque ad medium seculum quintum urbis conditae, i. e. ad posteriores duumviros capitales institutos, rerum capitalium iudicis munere, quod prius cum Quaestoris significatione antiquiore [83]) coniunctum erat, prorsus functos esse, quo officio crimina inquisivissent, reos in comitiis accusavissent, simulque delicti convictos sive mulcta sive capite damnavissent; haud dissimulanter mihi confitendum est, eos non modo mihi non persuasisse, sed potius me adduxisse ad opinionem oppositam, ut eam solam existimarem veram. Qua in re prae ceteris Niebuhrium, qui copiose de hac re disseruit [84]), neque parva animi intentione dubitationes ei

---

notatio superior h. cap. not. 64. de aedis Florae cura h. l. non negligenda est.

82) Pecuarii damnantur ab Aedilibus Curulibus Liv. X. c. 47, et XXXV. c. 10; a Plebeiis ibid. X. c. 23. XXXIII. c. 42.

83) Vide, quae supra pag. 132—139 de hoc magistratu commentatus sum.

84) Röm. Gesch. II. pag. 417—421: „Aber sie (die Curulischen Aed.) erhielten als Hauptgeschäft einen ungleich wich-

se offerentes removere voluit, atque ex octo exemplis Curulium iurisdictionem capitalem omnino exposuisse opinatus est, plane adversarium ut habeam, necesse est: Wachsmuthium enim [85]), ut huius magistratus rationem non accuratam habentem, quum peculiariter de Aedilibus Curulibus non disquireret, quemadmodum ipse in Niebuhrii sententiam iurans concessit, etsi deinde strictim quoque percurrens, nihilominus Aediles Pl. ad hoc officium gravissimum accessisse censet [86]), transire possumus.

Quod primum discerni oportet, non in omnibus exemplis, a Niebuhrio excitatis, Curules [87]) nominantur; deinde Aediles universe iudices capitales fuisse prorsus nego, nec minus ex fontibus ipsis refellendum esse censeo. Quis enim est, quem latere possit, quod hae caussae, ne una quidem excepta, ad notissima Aedilium officia pertinent, quibus ergo non iudicis capitalis, sed in totius urbis securitate tuenda proprii magistratus partes Aediles egerunt; sicuti lege antiquissima iam constitutum erat, quod omnes Romanorum magistratus suae potestatis laesae reos mulctare possent, quum antea solis consulibus id licuisset [87a]). Cur igitur, ut in illam opinionem

---

tigeren Beruf, der ihnen 80 Jahre lang unvermindert, und zu einem Theil noch weit länger erhalten blieb: die Untersuchung von Verbrechen und die Anklage der schuldig Befundenen vor dem Volk auf den Tod oder Geldstrafe."

85) Eiusd. Röm. Gesch. pag. 434.

86) Ibid. pag. 455.

87) Quemadmodum in Livio VII. c. 28. et VIII. c. 20. simpliciter Aediles memorantur, sed ibid. X. c. 31. ne Aedilis quidem dignitas adscribitur, quae tamen ex mea quoque sententia huic exemplo iure vindicatur.

87a) Dionys. Halic. X. c. 50: „πρῶτον μὲν οὖν ἐπὶ τῆς λοχίτιδος ἐκκλησίας νόμον ἐκύρωσαν, ἵνα ταῖς ἀρχαῖς πάσαις ἐξῇ τοὺς ἀκοσμοῦντας, ἢ παρανομοῦντας εἰς τὴν ἑαυτῶν ἐξουσίαν ζημιοῦν. τέως γὰρ οὐχ ἅπασιν ἐξῆν, ἀλλὰ τοῖς ὑπάτοις μόνοις.

ineamus, non una caussa capitalis adduci potest, quae extra vulgarem huius muneris provinciam ponenda est? Praesertim quum de rebus capitalibus certissime quotannis diiudicatum esse facile quisque consentiat. Sed singula exempla percenseamus, quae Niebuhrius pro sententia sua contulit. Veneficium primum Romae commissum a Livio narratur, quod ipse [88]) cum Valerio Maximo [89]) rem plane novam et inauditam fuisse apud Romanos affirmat, unde usque ad hunc annum (328 a. Chr.) nihil de tali caussa legibus cautum fuit; sed crimen publicam quietem atque salutem, quam Aediles tueri debebant, laeserat; itaque ad Aediles relatum est. Livius vero ipse rem non apud ambos Aediles Curules indicatam esse dicit, quod saltem maiorem veritatis speciem Niebuhrii coniecturae praebere posset, sed unum nomen certum profert, nempe Q. Fabium Maximum Aedilem Curulem; inde cuique, priorem Aedilium historiam integre consideranti, apparet, ancillae delationem contra dominam suam venena coquentem apud eum Aedilem esse factam, cui urbis regio, in qua rea et accusatrix habitabant, tuenda sorte obvenerat. Quod magis etiam ex tota historia elucet, quae properans indicium ancillae, sive a domina offensae sive conscientiae subito excitae stimulis vexatae, nos suspicari iubet: „Ancilla quaedam", ait Livius, „ad Q. Fabium Aedilem Cur. indicaturam se caussam publicae pestis professa est, si ab eo fides sibi data esset, haud futurum noxae indicium. Fabius confestim rem ad consules, consules ad senatum referunt; consensuque ordinis fides indici data. Tum pa-

88) Liv. VIII. c. 18: „Neque de veneficiis ante eam diem Romae quaesitum est."

89) Lib. II. c. 6. §. 3: „Veneficii quaestio et moribus et legibus Romanis ignota, complurium matronarum patefacto scelere orta est."

tefactum, muliebri fraude civitatem premi, matronas que ea venena coquere; et, si sequi extemplo velint, manifesto deprehendi posse e. q. s." Attamen Aediles iudicium non exercuerunt, sed, quibus quum sola criminum capitalium prohibendorum cura demandata esset, homicidii iam patrati, vel aliis criminis gravioris in patriae civiumve securitatem commissi punitionem ad superiores magistratus detulerunt [90]). Quod saepius in documentis antiquis palam fit. Sic a. 214 a. Chr. religionis patriae perturbationem quum Aediles non removere possent, vixque abesset, quin ipsi violarentur, „M. Atilio Praetori urbis, ubi potentius iam esse id malum adparuit, quam ut minores per magistratus sedaretur, negotium ab senatu (qui Aediles graviter incusaverat) datum est, ut his religionibus populum liberaret" [91]). Eadem ratione a. 185 a. Chr. Praetor Q. Naevius Matho, qui provinciam Sardiniam sortitus erat, a Senatu extra ordinem iussus est, ut de veneficiis quaereret [92]), quo in officio per quatuor menses commoratus est, priusquam in provinciam abiret, quum magnam quaestionum partem extra urbem per municipia conciliabulaque, „quia ita aptius visum erat", habere cogeretur [93]). Quatuor vix annis praeterlapsis, idem negotium periculosum repetendum erat, rursusque ex Senatusconsulto veneficii quaestio [94]) duobus Praetoribus demandabatur, nempe, quod in urbe propiusve urbem decem millibus passuum esset commissum, Praetori peregrino [95]), sed

---

90) Sed ad Aedilium iurisdictionem, quae dici potest, latius exponendam, infra lib. III. c. 10 redibimus.

91) Liv. XXV. c. 1.

92) Liv. XXXIX. c. 38

93) Ibid. c. 41.

94) Ibid. XL. c. 37.

95) Ibid. C. Claudius in locum Ti. Minucii subfectus erat, cui ex eiusd. libr. c. 55 provincia peregrina obvenerat.

ultra decimum lapidem per fora conciliabulaque Sardiniae Praetori C. Maenio, antequam in hanc traiiceret. Secundum autem exemplum [96]) omnino ad eandem Aedilium curam, nempe ad res maleficas coërcendas adtrahi debet, neque vero, ut Niebuhrius censuit [97]), ad universam agrorum curam, quia reus, ut de veneficiis se excusaret, in iudicium vocatus erat. Sed documenti ipsius verba rem optime iam illustrabunt: „C. Furius Cresinus e servitute liberatus, cum in parvo admodum agello multo largiores fructus perciperet, quam ex amplissimis vicinitas, in invidia magna erat, seu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem a Spurio Albino Curuli die dicta, metuens damnationem, cum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, et adduxit filiam validam, atque, ut ait Piso, bene curatam ac vestitam, ferramenta egregie facta, graves ligones, vomeres ponderosos, boves saturos. Postea dixit: veneficia mea, Quirites, haec sunt; nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere meas vigiliasque et sudores. Omnium sententiis itaque absolutus est." Sed in hoc quoque exemplo solummodo unum Aedilem Curulem, ut regionis finibus statutae praesidem iterum reperimus, quod quisque mihi concedet, qui in Livio aliisque auctoribus persaepe rem, ubi de communi Aedilium cura sermo est, apud ambos Aediles Curules vel

96) Quod Plinius tradidit hist. natur. XVIII. c. 6. edit. Lugd. Bat. 1669. vol. II, neque c. 8, ut apud Niebuhrium legitur.

97) Röm. Gesch. II. pag. 419: „Die 12 Tafeln verhängten Todesstrafe über den, der von einem fremden Felde Korn auf das seinige hinüberzaubere: wegen dieses Verbrechens brachte der Aedil. Cur. Sp. Postumius Albinus eine Anklage vor das Volk; ein Fall, der die Ausrede abschneidet, es möchte doch immer nur an städtische Polizey zu denken seyn."

Plebeios vel apud Aediles simpliciter dictos, vulgariter etiam sine nominibus adscriptis, actam esse legit [98]). Quod autem ad Aedilium administrationem extra urbem versantem adtinet, ut difficultati a Niebuhrio oppositae aliter, quam ipse fecit, occurram, hoc in casu utrumque considerandum est, tum Furii, a cive Romano manumissi conditio inquilina, quae eum semper Romanorum magistratuum auctoritati subiecisset, tum exempli, quod Plinius diserte refert, antiquitas, quae veri simillimum illius agrum intra decem millia passuum ab urbe situm fuisse, ergo prorsus intra Aedilium potestatem, comprobare nobis videtur. Tres sequentes caussae [99]), quas Niebuhrius attulit, pudicitiae laesae crimina in medium proferunt, quorum cura in gravissimis Aedilitatis muneribus per totum reipublicae liberae tempus remansit, immo etiam sub imperatorum priorum imperio proprie ab Aedilibus observabatur; ergo nullum discriminis signum inter Aediles Curules et Plebeios constituere potest, quod insuper documenta, ipsam animadvertendi curam testantia, prorsus refellunt. Sic enim in priore caussa e Livio assumta M. Flavium, e gente tum temporis plebeia ortum, quem Aediles ob crimen matrisfamiliae stupratae in iudicium vocaverant, populi suffragiis absolutum vidimus, ubi, nota distinguenti non apposita, veri est similius, quod Aediles Pl. quam Curules ei diem dixissent [100]). Rursus in parte adversa omnino

---

98) Speciminis caussa exempla in adnotationibus proximis excitata afferri possunt.

99) Quae exstant Liv. VIII, c. 22; X, c. 31, et de Marcello Valer. Max. VI, c. 1. §. 7 atque Plutarch. in Marcell. c. 2; sed de his praeterea conf. m. libr. III, c. 7.

100) Quam ad rem affirmandam sacellum quoque, Pudicitiae Plebeiae dedicatum, quod Virginia, Auli filia, plebeio consuli nupta, et ob eam rem a sacris Pudicitiae Patriciae exclusa, exaedificavit, adtrahi potest; vid. Liv. X, c. 23.

staret alterum documentum Livianum, quo Q. Fabius Gurges, consulis filius, haud dubie Aedilis Curulis, etsi eius dignitas non amplius significatur, aliquot matronas ad populum stupri damnatas pecunia multavit, i. e. ex iis mulctam constitutam exegit. Quod autem ad tertiam caussam posterioris aetatis adtinet, M. Marcellum Aedilitate Curuli fungentem, C. Scantinio Tribuno Pl., quod filium suum de stupro appellasset, diem dixisse, adeoque totum Tribunorum collegium intercessionis auxilium reo imploranti denegasse legimus, „quo minus pudicitiae quaestio perageretur." Sed hoc casu extraordinario Niebuhrius multifariam impeditus est, praecipue autem, quod Aedilium Curulium iudicio capitali solummodo octoginta annorum spatium adtribuit [101]) eoque tamen exemplo illud tam multo superatum cognovit, ita ut ad consanguinitatis auxilium accederet, ostenderetque Marcellum, uti offensi patrem, veteres Aedilitatis curas iam antiquatas adhuc semel excitasse atque ipsum adhibuisse; quod tamen utrumque et moribus et historiis Romanorum plane contrarium est. Nam regula ipsa, quam haec caussa e Niebuhrio elicuit, „quod [102]) nulli Romanorum magistratuí munera primaria vel proprie attributa unquam ita adimerentur, ne in caussis singulis rursus ab his exerceri possent", omnino non historiis comprobata invenitur.

At tota huius iudicii extra Aedilium auctoritatem instituti excusatio valde inutilis fit, si vitae impudicae coërcendae curam multo posterius vigentem, sicuti ma-

101) Röm. Gesch. pag. 418—419.

102) Ipsius verba sunt loc. citat.: „Und man vergesse die Grundregel nicht, dafs einer Römischen Magistratur ihr ursprünglich gehörende Attribute nie so entzogen wurden, dafs sie nicht in einzelnen Fällen wieder ausgeübt werden konnten."

gorum artiumque maleficarum coërcitionem [103]), easque Aedilibus peculiariter demandatas aspicimus, quare plane patet, M. Marcellum nil nisi necessario sui muneris satisfecisse officio. Sane quidem haec exempla adversa Niebuhrii diligentiam tam accuratam fere effugisse videntur, quum ea nusquam attingeret. Livius autem [104]) ex medio bello Punico secundo alterum exemplum affert, quo L. Villius Tappulus et M. Fundanius Fundulus, nominatim Aediles Plebeii dicti, aliquot matronas apud populum probri accusarunt, atque quasdam ex iis damnatas in exilium egerunt. Alterum exemplum ex ultimo seculo reipublicae liberae praebet Metellum Celerem, qui non factum, sed etiam mentem stuprosam punivit, quum Cn. Sergio Silo ob nummos matrifamiliae promissos diem ad populum diceret, eiusque damnationem exsequeretur [105]). Quibus addo de imperatorum priorum aetate senatus decretum notissimum, quo Tiberio imperante caveretur, ne qua femina corpore suo quaestum faceret, cui avus, aut pater, aut maritus eques Romanus fuisset. Quod publicaretur sane necesse fuit, quum iam Vistilia, praetoria familia genita, ut ab Aedilium animadversione evaderet, ipsa licentiam stupri apud hunc magistratum vulgasset [106]), post quam acceptam impudica poena non capi potuit, quum veteres, ut Tacitus severe profitetur, more recepto satis poenarum adversum impudicas in ipsa professione flagitii crederent.

Sed ut ad finem dissertationis de discrimine inter Aediles Curules et Plebeios perveniam, de tribus ulti-

103) Dion. Cass. XLIX, c. 43: „Τῷ δ' ὑστέρῳ ἔτει ἀγορανόμος ὁ Ἀγρίππας ἑκὼν ἐγένετο..... καὶ τοὺς ἀστρολόγους καὶ τοὺς γόητας ἐκ τῆς πόλεως ἐξήλασεν."

104) Liv. XXV. c. 2.

105) Valer. Max. VI. c. 1. §. 8.

106) Tacit. Annal. II. c. 85. Sueton. Tiber. c. 35.

mis exemplis apud Niebuhrium [107]), prorsus ad foenoris coërcitionem pertinentibus, nihil aliud mihi dicendum erit, nisi quod ea quoque cura, aeque ac priora officia modo dicta, dum Aediles civitate libera non impediti severam administrationem gerere potuerint, integra illis ac Curulibus Plebeiisque promiscua permaneret; quemadmodum iam in antiquissimo documento (a. 342 a. Ch.) non solum de Curulibus, sed omnibus Aedilibus adnotatum est, eos, multis foeneratoribus diem dicentes, tristia populi accepisse iudicia. Quod autem copiosius exponendum, ne semel dicta saepius repetere cogamur, nunc mittere volumus, quum ad hanc rem infra in capite decimo libri tertii redire nos oporteret. At in universum accusandi provinciam, quam Aediles duo plena secula post primam duumvirorum capitalium creationem, quae ex Niebuhrii sententia hoc gravissimum Aedilium officium sustulit, tenere solebant, solide a Cicerone ita descriptam cognoscimus [108]), ut neque de munere permanenti, neque de eius auctoritate tum temporis dubii esse possimus. „Quoniam totus ordo," ait Cicero, „paucorum improbitate et audacia premitur, et urgetur infamia iudiciorum: profiteor, huic generi hominum me inimicum, accusatorem odiosum, assiduum, acerbum adversarium. Hoc mihi sumo, hoc mihi deposco, quod agam in magistratu, quod agam ex eo loco, ex quo me populus Romanus ex Calend. Januar. secum agere de re publica ac de hominibus improbis voluit: hoc munus Aedilitatis meae populo Romano amplissimum pulcherrimumque polliceor. Moneo, praedico ante denuntio: qui aut deponere, aut recipere, aut accipere, aut polliceri, aut sequestres, aut interpretes corrum-

107) Liv. VII. c. 28; ibid. X. c. 23 et XXXV. c. 41.
108) Cicer. in Verr. Act. I. c. 12.

pendi iudicii solent esse, quique ad hanc rem aut potentiam, aut impudentiam suam professi sunt, abstineant in hoc iudicio manus animosque ab hoc scelere nefario. Erit tum consul Hortensius cum summo imperio et potestate; ego autem Aedilis, hoc est, paullo amplius, quam privatus: tamen haec huiusmodi res est, quam me acturum esse polliceor, ita populo Romano grata atque iucunda, ut ipse consul in hac caussa prae me minus etiam, si fieri possit, quam privatus esse videatur. Omnia non modo commemorabuntur, sed etiam, expositis certis rebus, agentur, quae inter decem annos, posteaquam iudicia ad senatum translata sunt, in rebus iudicandis nefarie flagitioseque facta sunt." Deinde exemplis Cicero exponit, quomodo in singulis agere vellet, atque ita usque ad actionis secundae orationem primam pergit, donec tandem his verbis concludit[109]): „Hanc ego caussam quum agam beneficio populi Romani, de loco superiore non vereor, ne aut istum vis ulla ex populi Romani suffragiis eripere, aut a me ullum munus Aedilitatis amplius aut gratius populo Romano esse possit."

At quantum denique discriminis inter Aediles Curules et Plebeios certo accipi potest? Praecipue quidem erant honores, quibus alter magistratus anteponebatur alteri, qua de re rursus Ciceronis loco notissimo[110]), ac iam supra a nobis excitato, certiores facti sumus. Ille enim Aedilis Curulis designatus inter Aedilitatis honores, tanquam huius muneris fructus pro tam magnis laboribus, diserte enumerat sel-

109) Ibid. II. lib. I. c. 5, quibus adiungas velim ib. lib. V. c. 58 et 67 — 70.

110) In Verr. Act. II. lib. V. c. 14, quocum coniung. Liv. IX. c. 46; Valer. Max. II. c. 6. §. 5, et Gell. N. A. VI. c. 9.

iam curulem, quae haud dubie alteri magistratui Curulium nomen dedit [111]), togam praetextam, antiquiorem in senatu dicendae locum, ius imaginis ad memoriam posteritatemque prodendae, quae omnia, in m. libri quarti capite secundo accuratius commemorata, Aedilibus Plebeiis nunquam permissa erant. Tum Aediles Curules soli edicta proposuerunt [112]), in quibus autem Curules aeque ac Plebeii Aediles, quemadmodum iam naturalis muneris coniunctio postulavit, insuperque edicti ipsius fragmenta adhuc exstantia, totamque Aedilitatem complectentia, clare demonstrant, administrandi normam tenuerunt: quare non opus est longius perquiri [113]), cur semper in Digestis Aediles aiunt, nunquam Aedilis ait numero singulari, sicuti de Praetore scribitur, legantur. Postremum autem in ulterioribus Aedilitatis temporibus, quum munus ipsum magis magisque coarctaretur, novus discriminis modus in puniendi potestate inter Aediles Curules atque Plebeios accessit, tertioque anno Neronis imperantis: „statutum est, quantum Curules, quantum Plebeii pignoris caperent, vel poenae irrogarent" [114]).

---

111) Quod iam in antiquitate a plerisque acceptum erat Plutarch. Mar. c. 5: „δύο γάρ εἰσι τάξεις ἀγορανομιῶν, ἡ μὲν ἀπὸ τῶν δίφρων τῶν ἀγκυλοπόδων, ἐφ' ὧν καθεζόμενοι χρηματίζουσιν, ἔχουσα τ' οὔνομα τῆς ἀρχῆς· τὴν δ' ὑποδεεστέραν δημοτικὴν καλοῦσιν." Altera opinio futilis, quae magistratus denominationem a vehendo in curru derivare conatur, ex C. Bassi Commentariis in Gellium III. c. 18 traducta est.

112) Gell. IV. c. 2, et Institut. Iur. I. t. 2. §. 7: „proponebant et Aediles Curules edictum de quibusdam caussis, quod et ipsum iuris honorarii portio est." Conf. Heineccii florum sparsio ad edict. Aedilit. pag. 50.

113) Heinecc. hist. iur. civ. §. 75.

114) Tacit. Annal. XIII. c. 28.

CAP. VI.

DE CEREALIUM AEDILIUM NOMINATIONE, NEQUE EOSDEM SOLUMMODO SUB CAIO IULIO CAESARE ATQUE OCTAVIO AUGUSTO CREATOS ESSE ILLUSTRATUR.

Romanorum imperio uni viro permisso, duo adhuc novi Aediles, qui prae ceteris frumento praeessent, quotannis instituti sunt, ita ut iis sola providendi cura demandaretur, ut semper satis frumenti esset in urbe, eaque ratione impediretur, quo minus plebs pronior esset seditionibus: quanquam ob documentorum inopiam negari non potest, num in ceterarum quoque rerum venalium cura, ne unquam victus copia carerent cives, iidem tenerentur. Sed iam C. Iulius Caesar quatuor Aediles Plebeios atque duos Curules, sicuti antea vulgariter factum erat [1]), creari iussit:

1) Nec vero ex hoc tempore solummodo e Patriciis Aediles Curules creabantur, uti Dio Cassius in loco proxime exscripto retulit, sed more antiquiore persistente e viris, quorum virtutes ipsos ad summos magistratus senatoriosque honores adspirare iubebant, quorumque plures, ut Cicero ipse, novi etiam hominis gradum apporiabant. Sed non intelligo, quid de hac re Creuzerus Röm. Antiq. §. 149, ubi Cerealium institutionis obiter mentionem facit, sibi vellet, nos adhortans, ut Dionem Cassium atque Pomponium, quorum verba not. sequens affert, cum Lydo de magistr. I. c. 38. p. 66 hic com-

unde ex hoc anno (45 a. Chr.) quotannis sex Aediles numerantur. Quorum vero Plebeiorum Aedilium duos ob negotium frumenti procurandi, sive unicum sive certo valde praecipuum, a Cerere Aediles Cereales appellavit [2]), duobus autem reliquis vetus nomen

---

paremus. Nam ille scriptor insanus directe hoc loco rerum permutationem pessimam iniit, quum iam quarto seculo ante Chr., nempe ex istius opinione anno centesimo tricesimo sexto a primis consulibus (nec autem Iulii Caesaris aetate, ut Creuzerus censere videtur) quatuor Aediles duosque Quaestores e Patriciis creatos esse narraret („προςεβλήθησαν ἐκ τῶν πατρικίων ἀγορανόμοι τέσσαρες καὶ ταμίαι δύο") simulque Alexandri magni imperium imminensque bellum Macedonicum, quinquaginta annos rationi chronologicae ante capiens, huic magistratuum incremento immisceret. Sed re vera nihil aliud nobis tradere voluit, nisi Aedilium Curulium creationem primam, qua oblata etiam antiquiorem Aedilitatem Plebeiam, quam eiusdem capitis initio cum Tribunorum Plebis magistratu penitus commutavit, hoc modo corruptam in medium protulit. Vix enim excusationem Lydi commodo addere mihi licet, quod iam in primis Aedilitatis Curulis institutae temporibus Patricii Aedilitatem quoque Plebeiam petiverunt, quia de Lydo nemo existimabit, eum accurate Aedilium series perspexisse, atque in iis permulta nomina egentibus Patriciis inter Aediles Plebeios perspicientem, ita ad hunc errorem esse adductum.

2) Dio Cass. XLIII. c. 51, ubi Caesaris administrationem internam a. 45 a Ch. exponit: „καὶ ἀγορανόμοι τότε πρῶτον, δύο μὲν καὶ ἐξ εὐπατριδῶν, τέσσαρες δὲ ἐκ τοῦ πλήθους, ὧν οἱ δύο τὴν ἀπὸ τῆς Δήμητρος ἐπίκλησιν φέρουσιν· ὅπερ που καὶ ἐς τόδε ἐξ ἐκείνου καταδειχθὲν ἐμμεμένηκε." Pomponius de orig. iur. §. 52: „deinde C. Iulius Caesar duos Praetores et duos Aediles, qui frumento praeessent, et a Cerere Cereales, constituit. Ita duodecim Praetores, sex Aediles sunt creati." Quibus adnuit Sueton. Iul. Caes. c. 41, narrans, Caesarem Aedilium ampliasse numerum. — Quae autem de Aedilibus Cerealibus demum ab Augusto institutis et de Praetoribus Cerealibus ex illo Pomponii loco inepte explicito — quippe eum, connexum cum periodo priore plane negligentes, verba qui frumento....... Cereales non modo ad Aediles solos, sed etiam ad Praetores adtraherent — confabulati sunt

simplex Aedilium Plebis concessit, quemadmodum eosdem in consuetis officiis, coniunctim cum Aedilibus Curulibus in proximis imperatorum temporibus versantes, saepe aspicimus. Perfacile igitur Heineccium se fefellisse demonstratur, quod Iulium Caesarem quatuor alios e plebe nominasse Aediles, itaque octo Aediles interdum munere functos esse Romae opinatus est [3]), eamque opinionem Dionis Cassii loco, in annotatione praecedente excitato, probari voluit. Omnino quidem Dio Cassius quatuor Aediles Plebis memorat [4]), sed neminem, hunc accurate perlegentem, latere potest, eundem duos ex vetere consuetudine, duos alios novos, sub Cerealium nomine creatos tradidisse. Quonam autem modo Ritterus, eandem Heineccii paragraphum commentans, omnibus Aedilibus, licet Cerealibus institutis, annonae perman-

---

quidam antiquarii seculi decimi sexti et septimi, praecipue Alexander ab Alexandro Gen. Dier. II. c. 15 edit. Lugd. Batav. 1670. vol. I. p. 548, et Rosinus, Antiquitat. Rom. VII. c. 1, eorumque pedissequi fidiores descripserunt; iampridem castigata sunt a Spanhemio de usu et praestant. nummor. diss. X. vol. II. p. 154, qui insuper etiam luculentius, quam opus fuit, Cerealium classem semper Plebeiam fuisse ostendere studuit. Quod et pari modo factum est a Bern. Reinoldio Varior. c 5, ut Heineco. Ant. Rom. syntagm. I. 2. § 26 refert.

3) Hist. iur. civil. §. 46, quocum consentit Curtius de senatu Romano c. 4. §. 56.

4) De Aedilium numero in ulterioribus temporibus nihil mutatum esse neque Suetonii, neque Pomponii Dionisque Cassii aetate, eundem igitur numerum usque ad seculum tertium medium post Chr. imminutum mansisse, ex his scriptoribus ipsis edocemur. Sueton. in Vespasian. c. 2 eundem sexto loco Aedilitatem vix adeptum esse narrat; et Dio Cass. XLIII. c. 51 planis verbis Aedilium et ordinem et numerum permanentem testatur. Sic etiam Pompon. de orig. iur. §. 34: „Ex his omnibus duo Consules, octodecim Praetores, sex Aediles iura reddebant."

sisse curam censere, Spanhemiique argumentationem plane comprobare potuit [5]), sane mirum est, quum Spanhemius, prioris Curulium curae nullam rationem habens, Aediles Plebis solos annonae curatores statueret, et ne unum quidem argumentum proferret, quod e fontium auctoritate defendi posset.

At difficillimum et vix praestandum erit, diligentius percensere discriminis summam inter Aediles Cereales et annonae Praefectum, quem Augustus primum instituit, quia rarissime utriusque magistratus officia in auctoribus veteribus obviam se ferunt. Sed tantum constare videtur, annonae Praefecti munus, dum Aediles eligerentur, magis in frumenti procuratione mercatuque externo occupatum esse, igiturque eundem e provinciis remotioribus contulisse frumentum; Cereales autem intra urbem vicinasque regiones sui satisfecisse officio. Annonae tamen praefecturam statim in capite sequenti, si Aedilitatis labentis tempora ultima describimus, nobis pertractantibus, nunc nihil aliud restat, quam ut contra plerosque viros doctos, qui consentiunt, nullum exstare documentum, quo Cereales etiam post annonae Praefecturam creatos probari posset [6]), testimoniis verissimis, feliciter adhuc in conditione originali nobis relictis, demonstremus, Aediles Cereales, Plebeiis adsociatos, certissimum usque ad medium seculum tertium post Ch. inter magistratus ordinarios Romae esse enumeratos. Nam Gruterus in inscriptionum corpore quinque epigrammata tradit, quae prorsus meae opinionis veritatem affirmant; quorum tria priora [7]), nimirum eandem devotionem ha-

5) De usu et praest. numm. l. not. 2. h. cap. citat.

6) Dirksenius etiam hanc opinionem nuper defendit in Ersch u. Gruber Allgem. Encyclop. sub v. Aedil.

7) Inscr. corp. edit. Graevianae Amst. 1707. vol. I. p. 272 nr. 5 et 6 duo exstant epigrammata, quorum alterum ex aedis

bentia, tamenque e duobus lapidibus descripta, Cerealium magistratum e Gordiani natu minoris imperio inter vulgares praebet; quibus quartum [8]) ex eodem seculo, et quintum [9]), temporis quidem ignoti, sed, ut

---

S. Mariae in Aventino pavimento descriptum, alterum Lectorii in Gallia inventum est. In ambabus lectionibus impressa leguntur, sed non multum variantia perhibent. Gallicum: „Furiae. Sabinae. Tranquillinae. Sanctissimae. Aug. Coniugi. Domini. M. Antonii. Gordiani. Pii. Felicis. Invicti. Augusti. Decuriales. Aedilium. Plebis. Cerialinm. Devoti. Numini. Maiestatique. Eorum." Inscriptio Romana priora verba in iisdem litteris congruentia tradit, posteriora autem ita permutata legit „Decuriales. Aedil. Pleb. Et. Cerial. Pleb. Devoti. Numini. Maiestatique. Eius." Praeterea eadem inscriptio, nec vero incorrupta, ex Sirmondi codice apud Gruterum p. 1085. (vol. II.) nr. 11 legitur, ubi facillime Decuriales Geruli in D. Cereales corrigendi sunt. — De Decurialibus urbis Romae conf. Codic. repet. lect. XI. tit. 13. §. 1 et 2.

8) Ibid. pag. 455. inscr. nr 1, quae in basi quadam statuae sex pedibus altae exsculpta, Pisauri inventa erat: „C. Luxillio. C. F. Pompt. Sabino. Egnatio. Proculo. C. R. Cur. Rer. Publicarum. Pisaur. Et. Fanest. Leg. Leg. X. Gem. Gordian. Cur. Reg. Transpad. Cur. Viarum. Et. Praef. Aliment. Clodiae. Et. Coherent. Leg. Prov. Achaiae. Praet. Aedil. Ceriali. Quaest. Pr. Pr. Prov. Cretae. Cyr. Trib. Laticl. Leg. IIII. Flav. Patrono. Coloniarum. Pisaur. Et. Fanest." Vix verear, ne quis Aedilis Cerialis dignitatem municipio vel coloniae ipsi adtribuat, quia tabula votiva diserte de patrono coloniarum loquitur, maioresque honores Romanos Quaestoris, Aedilis, Praetoris Legatique legionis consociat; atsi de tribus prioribus quaeri liceat, numne haec ad municipiorum Aediles pertinere possent, cf. Otto de Aed. Colon. cap. VIII. §. 6.

9) Ibid. pag. 492 inscript. nr. 9, quae Romae reperta, olimque in aedibus Colotianis basis marmoreae ad aquam Virg. parte inferiore conservata erat: hac autem significatio Pleb. adiuncta est Ceriali Aedili, quae in priore deest: „III Viro. Viarum. Curandarum. Trib. Mil. Leg. V. Maced. Q. Urbano. Aedili. Pleb. Cerial. Praet. Legato.

mihi videtur, quatuor reliquis multo prioris, plane adsentantur.

Provinciae. Siciliae. Et. Asiae. Pro. Cos. Prov. Galliae. Narbonensis. Legato. Legionis. VIII. Augustae. L. Vettius. Felix. Et. P. Novellius. Atticus. Amici." At Aedilis annonae, qui apud Gruterum pag. 214. nr. 1. in tabula marmorea memoratur, ad hunc Romanum magistratum non adtrahi potest, quod ad municipium Caere pertinet, et iam supra demonstratum est, in pluribus municipiis Aedilitatem vel summum vel unicum maiorem fuisse magistratum, siouti etiam in ista tabula Aedilis iuri dicundo nobis occurrit. Cf. Otto de Aedil. Colon. cap. 8. §. 6, qua etiam Triumviri Aediles Cereales, e municipiorum monumentis effossis eruti, adnotantur.

CAP. VII.

AEDILITATIS TEMPORA ULTIMA SUB IMPERATORIBUS, QUORUM EDICTA, QUAE PAULLATIM HUIUS MAGISTRATUS OFFICIA VEL IMMINUEBANT, VEL PERMUTABANT, REFERUNTUR. QUINAM NOVI MAGISTRATUS CONSTITUTI SUNT, UT AEDILIUM ADMINISTRATIONEM DISIUNCTAM ACCIPERENT?

Fuerunt antiquarii, qui Aedilium magistratum adhuc sub imperatoribus exstitisse plane negarent, neque probrum durum evitare vererentur, quod in describendis Romanorum antiquitatibus ne Tacitum quidem ac Suetonium Dionemque Cassium diligenter perscrutati essent. Quod sane existimari debuit, quum in his largissimis fontibus saepius de Aedilium potestate permanente res memorabiles attinguntur. Sed per se facile cognosci potest, hunc magistratum, civium moribus ac animis regundis tam aptissimum, urbis quieti atque saluti aut adiuvandae, aut deterius reddendae, plurimum efficientem, pristino rerum publicarum statu prorsus converso, ipsum immutatum in conditione consueta non perstitisse. Nam imperatores, maximas administrationis internae curas, totamque externam sibi ipsis accipientes, atque summa cum maiestate coniungentes, strenue providere debebant,

ut eam administrationis partem, quam neque ipsi suscipere, neque suae securitatis memores tollere poterant, quam maxime inter plures novos magistratus, separatim singulas curas iis demandantes, dividerent, atque veteri magistratui a populo creando non nisi nomen ac dignitatis honorem relinquerent. Huc insuper accessit, ut in urbe, quae in dies et ambitu et hominum frequentia accresceret, tamenque totius orbis terrarum colluvie impleta, plebem otiosissimam, periculosissimam ac sceleratissimam magis magisque retineret, paucorum Aedilium potestas, quos nulla militum caterva sequi solita erat, tam multarum curarum officio gravissimo omnino non sufficere posset. Itaque non mirum est, C. Iulium Caesarem multa munera, quae ad publicam urbis tutelam pertinebant, iam ademisse Aedilibus, etsi eorum numerum ipse auxit. Immo etiam numerus Aedilium auctus munerisque divisio, uti apud Cerealium institutionem factum erat, potestatis eidem magistratui diminuendae consilium suspicari nobis concedit, ne plures curae uni viro permitterentur. Ille enim, spreto patriae more, ut Suetonius ait, per duos annos nulla Aedilium Curulium comitia habuit [1]), sibi ipsi in tres annos morum praefecturam postulavit [2]), quae censurae, quanquam ea quoque interdum praefectura morum apud veteres dicta est,

1) Sueton. Caesar. c. 76: „ita ut medio tempore comitia nulla habuerit, praeter Tribunorum et Aedilium Plebis"; quod autem de Praetoribus ex Dio Cass. XLII. c. 51; XLIII. c. 47, 48 et 51 non existimari potest.

2) Dio Cass. XLIII. c. 14: „τῶν τε τρόπων τῶν ἑκάστου ἐπιστάτην ἐς τρία αὐτὸν ἔτη εἵλοντο." Sueton. loc. cit.; et a Cicerone quoque Caesar praefectus morum dictus est, Epist. ad Fam. IX, 15 „quamdiu hic erit noster hic praefectus moribus": epistola nempe ad Paetum paullo ante data est, quam Caesar ad bellum Hispaniense exiret.

non plane aequalis [3]), subditoque animo inferiore titulo ornata [4]), re vera maiorem comparavit potestatem, atque Aedilium curas ad vitam honestam spectantes certo complexa est. Eodem tempore duos praefectos urbi extraordinarios instituit, qui, absente se, cunctis rebus urbanis praeessent [5]), praecipue autem aerarii publici curam, Quaestoribus ademtam, gererent [6]);

---

3) Postea enim, his tribus annis non praeterlapsis, Caesar insuper Censor et solus et per totam vitam factus est, Dio Cass. XLIV. c. 5: „καὶ αὐτὸν μὲν τιμητὴν καὶ μόνον καὶ διὰ βίου εἶναι."

4) Dionis argumentum XLIII. c. 14: „οὕτω γάρ πως ὠνομάσθη, ὥςπερ οὐκ ἀξίας αὐτοῦ τῆς τοῦ τιμητοῦ προςρήσεως οὔσης", neque Caesaris moribus cautis respondet, neque cum Dionis ipsius verbis posterioribus, in not. antecedenti allatis, consentit.

5) Dio Cass. XLIII. c. 48: „Ἐν δ' οὖν τῷ ἔτει ἐκείνῳ ἐκεῖνά τε ἐπράχθη, καὶ ἐπὶ τῆς διοικήσεως δύο τῶν πολιανομούντων, ἐπειδὴ ταμίας οὐδεὶς προκεχειροτόνητο, ἐγίνοντο. ὥςπερ, γάρ ποτε πρότερον, καὶ τότε ἐν τῇ ἀποδημίᾳ τῇ τοῦ Καίσαρος, οἱ πολιανόμοι πάντα τὰ ἐν τῷ ἄστει πράγματα μετὰ τοῦ Λεπίδου ἱππορχοῦντος ἔσχον." Sueton. Caesar. c. 76: „ut praefectos pro Praetoribus constituerit, qui absente se res urbanas administrarent"; verba pro Praetoribus a Suetonio non eccurate considerata sunt, quum Praetores penes hos Praefectos fungerentur, insuperque Praetores ec Propraetores per se in munere exercendo lictoris, sellae ourulis togaeque praetextae honore gauderent, qui tamen a Praefectis sponte acceptus his primum crimini datus est Dio Cass. loc. cit.: „καὶ αἰτιαθέντες, ὅτι καὶ ῥαβδούχοις, καὶ τῇ ἐσθῆτι, τῷ τε δίφρῳ, τοῖς ἀρχικοῖς, ὥςπερ καὶ ὁ ἵππαρχος, ἐκέχρηντο, ἀφείθησαν· νόμον τινὰ προβαλλόμενοι, δι' οὗ πᾶσι τοῖς παρὰ δικτάτωρος ἀρχήν τινα λαβοῦσι χρῆσθαι αὐτοῖς ἐδίδοτο."

6) Dio Cass. loc. cit.: „τὸ δ' οὖν κατὰ τὴν διοίκησιν, ἐξ ἐκείνου δι' ἅπερ εἶπον παρατραπέν, οὐκέτι τοῖς ταμίαις ἀεὶ ἐπετράπη, ἀλλὰ τὸ τελευταῖον τοῖς ἐστρατηγηκόσι προςετάχθη· τούς τε οὖν θησαυροὺς τοὺς δημοσίους δύο τότε τῶν πολιανομούντων διῴκησαν."

iisque concessit, ut lictoribus, toga praetexta, sella curuli ceterisque honoribus magistri equitum uti possent: quare patet, hos quoque in administratione urbana singulariter praesides dictos, Aedilitatis impensis suam auxisse potestatem. Sed non minus Aedilium, quam reliquorum magistratuum Romanorum auctoritati obfuit, quod Caesar liberum comitiorum suffragium sustulit, ex quo postea istud nunquam ad cives rediit. Quid deinde effici potuit, quamvis etiam in speciem ex more veteri magistratus in comitiis crearentur [7]), sin omnia ex Caesaris arbitrio fierent? Quod quidem Cicero adhuc in Verrinis, ut supra exscriptum est, summum Aedilitatis officium, nempe intrepide accusandi ius maleficorumque coërcitionem, tam alte extulit, ut Consulis etiam dignitatem ad inferiorem locum adducere vellet; nunc plane evanuerat, et fere ad nihilum redactum erat, ita ut Suetonius in meliore imperatorum aetate palam profitens, hanc reipublicae funditus eversae imaginem complorare coactus esset [8]): „Comitia cum populo partitus est (Caesar); ut exceptis consulatus competitoribus, de caetero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet [9]), pronuntiarentur; pro parte altera, quos ipse edidisset. Et ede-

7) Dio Cass. loc. cit. c. 47: „οἱ δὲ δὴ ἄλλοι ἄρχοντες, λόγῳ μὲν, ὑπό τε τοῦ πλήθους καὶ ὑπὸ τοῦ δήμου, κατὰ τὰ πάτρια (τὴν γὰρ ἀπόδειξιν αὐτῶν ὁ Καῖσαρ οὐκ ἐδέξατο) ἔργῳ δὲ ὑπ᾽ ἐκείνου κατέστησαν, καὶ ἔς γε τὰ ἔθνη ἀκληρωτὶ ἐξεπέμφθησαν."

8) Caes. c. 41.

9) Quemadmodum populi voluntas, tum temporis militum armis coacta, iam semper Caesaris nutui obsecundare studeret ac deberet, larga exemplorum copia nimie nos commonefacit; vid. praeterea Dion. Cass. in not. 7 eiusdemque libri cap. 14, et Zonarae Annal. X. c. 33: „καὶ τοὺς ἄρξοντας τοὺς μὲν αὐτὸς προςεβάλλετο, τοὺς δὲ ἐς τὸ κοινὸν ἐποιεῖτο, ἐπιμελούμενος, ὥςτε μήτ᾽ ἀνεπιτήδειοι, μήτ᾽ ἐκ παρακελεύσεως, ἢ καὶ ἐκ δεκασμοῦ ἀποδείκνυνται."

bat per libellos circum tribus missos scriptura brevi: Caesar dictator illi tribui, commendo vobis illum et illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneant." Sed Caesar, etiamsi frumenti civibus vilioribus dividendi curam [10]) suamque urbis ornandae diligentiam [11]) vix tangere velim, ad minora quoque Aedilium officia aggressus est, iisque ita potitus est, ut huius magistratus operam fere inutilem redderet, aut saltem eum tanquam vanum voluntatis suae instrumentum agere iuberet. Nam ipse vitae petulantis luxuriosaeque iudex severus exstitit, quum praecipue legem sumtuariam exerceret, lecticarumque usum nec non conchyliatae vestis margaritarumque consuetudinem interdiceret, solliciteque non nisi certis personis et aetatibus perque certos dies permitteret [12]). Immo etiam ganearum popinarumque curam diligentissime prae oculis habuit, atque circa eas et macellum custodes disposuit, qui obsonia contra vetitum retinerent, atque ad Caesarem reportarent; attamen his insuper nonnunquam lictores atque milites submisit, qui, si qua custodes fefellissent, iam adposita e triclinio auferrent [13]). His autem rebus

---

10) Sueton. Caesar. c. 41: „atque ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico, ad centum quinquaginta retraxit: ac ne qui novi coetus recensionis caussa moveri quandoque possent, instituit, ut quotannis in demortuorum locum ex his, qui recensiti non essent, subsortitio a Praetore fieret." Quocum, quod ad rem et numerum adtinet, sic satis Dio Cass. XLIII. c. 21 convenit.

11) Sueton. ib. c. 44: „Iam de ornanda instruendaque urbe plura ac maiora in dies destinabat e. q. s.

12) Sueton. ib. c. 43, et Euseb. Chronic. I: „prohibitae lectiois margaritisque uti, quae nec viros, nec liberos haberent, et minores annis essent quinquaginta quinque. Conf. de horum institutorum tenore Tacit. Annal. II. c. 55, et Macrob. Saturnal. II. c. 13.

13) Sueton. loc cit: quae autem copiosius infra in libri tertii capite octavo a me pertractabuntur.

ita se obferentibus, ludorum cura fiebat Aedilium officium principale, sed luxuriae extremaeque profusionis cupido per totum populum divulgata, omnes liberalitatis largitionisque publicae fines iam ita supergressa est, ut Aedilitas, eius ingentibus impensis saepissime opum ruinam accelerans, non amplius secundum reipublicae liberae morem a quoque iuveni nobili appeteretur. Fere ubique contrarium aspiciebatur, neque raro fiebat, quod Candidati maxima contentione eniterentur, ut Aedilitatis gradum eiusque sumtus immensos negligentes, statim a Quaestura ad Praeturam accedere possent [14]): et quo magis Romae auctoritas publica veteri administrationi decresceret, eo celerius Aedilitas ambientibus orbata evasit. Itaque in bellis civilibus post Caesaris caedem maximam perturbationem in hoc magistratu factam, iuxta sic satis magnam in universa civitate, animadvertimus, Aedilesque ob

14) Qui abusus Aedilitatis transmissae inde a Sullae temporibus creberrime iuvenibus, summos magistratus petituris, bene evenerat, quemadmodum prae ceteris Ellendtius in prolegomenis ad Ciceronis Brutum pluribus exemplis iam satis docuit. Nam invenimus e. g. C. Aurelium Cottam cum L. Sulla a. 81 a. Ch. redeuntem, neque Aedilitatem anno suo praeterlapso, petentem, neque Praetura fungentem, sine omni munere molesto Consulatum ipsum esse adeptum a. 72 a. Ch. cum L. Octavio: sed sane Ellendt. p. 95 recte monuit, eum vel Sullae odium metuentem vel gratiam non nactum petitionem non iniisse. Eadem ratione C. Scribonius Curio, qui simul cum Sulla atque Cotta in patriam reversus erat, Aedilitatem transgressus est, attamen Praeturam anno sequenti post reditum suum administravit; inde quinque annis post cum Cn. Octavio Consul factus est. — De antiquioribus exemplis vide libr. secundi caput primum, et de posterioribus, quibus abusum antea nonnumquam excusatum iam regulam evasisse consuetam apparet, unus Dionis Cassii locus testetur pro multis XLIX. c. 16: „ex a. 36 a. Ch., *κἀν τῷ αὐτῷ τούτῳ ἔτει οὔτ᾽ ἀγορανόμος τις, ἀπορίᾳ τῶν αἱρεθησομένων, ἐγένετο, ἀλλ᾽ οἵ στρατηγοί οἵ τε δήμαρχοι τὰ προσήκοντα αὐτοῖς ἔπραξαν.*"

paupertatem munus suum sponte relinquentes cognoscimus [15]). Quorum exemplum egregium praebet Aedilis Pl. Marcus Oppius, cui magistratu suo ante tempus peractum abituro, quum in proscriptorum numero cum patre suo divitias proprias amisisset, ob integerrimam vitae famam, etiam in hac pessima corruptionis aetate, ubique servatam, plebs ipsa non modo vitae necessitatibus providit, sed etiam abundanter pecunias ad munus honorifice administrandum largitus est. Quae autem plebis liberalitas quum rarissime in medium proferretur, paucis annis post Oppii Aedilitatem contingere poterat, ut interdum omnino nullus fieret Aedilis: unde Agrippa, ille clarissimus Augusti aetatis dux, sponte sine populi suffragiis hunc magistratum adiret, eumque splendidissimum sequentibus temporibus remitteret [16]).

Triumviratu sublato, pugna Actiaca quum totum Romanorum imperium in Octavii Augusti manus tradidisset, administrationis civilis regimen ne parvum quidem intervallum ad veterem normam rediit. Sane quidem magistratuum nomina permanebant, sed omnia

15) Cuius temporis statum constanter descripsit Dio Cass. XLVIII. c. 53: „Τοὺς δὲ δὴ ἄλλους τοὺς ἐν τῇ πόλει ταῦτά τε καὶ αἱ διαλλαγαὶ τῶν ἀρχόντων ἰσχυρῶς ἐτάρασσον. οὐ γὰρ ὅπως οἵ τε ὕπατοι καὶ οἱ στρατηγοί, ἀλλὰ καὶ οἱ ταμιεῖαι ἐπ᾽ ἀλλήλοις ἀντικαθίσταντο· καὶ τοῦτ᾽ ἐπὶ χρόνον ἐγένετο· αἴτιον δέ, ὅτι πάντες οὐχ οὕτως ἵν᾽ οἴκοι ἐπὶ πλεῖον ἄρξωσιν, ὡς ἵνα ἐν τοῖς ἄρξασιν ἀριθμῶνται, καὶ ἀπ᾽ αὐτοῦ καὶ τὰς τιμὰς καὶ τὰς δυνάμεις τὰς ἔξω λαμβάνειν ἐσπούδαζον. οὔκουν οὐδὲ ἐς ῥητὸν ἔτι τινὰς χρόνον ᾑροῦντο, ἀλλ᾽ ὥςτε ἐπιβῆναί τι τοῦ ὀνόματος τῆς ἀρχῆς, καὶ ἀποστῆναι, ὅταν τοῖς τὸ κράτος ἔχουσι δόξῃ· καὶ πολλοί γε ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἡμέρας ἑκάτερον ἔπραξαν· εἰσὶ δὲ οἳ καὶ παντάπασι τὰς ἀρχὰς ὑπὸ πενίας ἐγκατέλιπον." Post haec verba sequitur historia Oppii.

16) Ibid. XLIX. c. 43: „Τῷ δ᾽ ὑστέρῳ ἔτει ἀγορανόμος ὁ Ἀγρίππας ἑκὼν ἐγένετο", sed de sua largitione Aedilitia conf. libr. III. c. 5.

paullatim monarchiae, militari potestate comparatae, habitum induebant, quare mox ubique militum vis per pacificos civium ornatorum labores eminebat, eosque deprimebat. Quod autem praecipue ad Aedilitatem spectat, maximam munerum commutationem Augustus nova Praefecti urbis institutione commovit, qui ex hoc tempore inter magistratus ordinarios vel ad tempus, vel ad vitam creabatur [17]); iuxta quem praeterea, ut apparet, Praefectus urbi extraordinarius, ob Latinas ferias dictus, quotannis fiebat [18]). Huic Praefecto urbi superiorem morum observandorum curam, criminumque praevertendorum ac coërcendorum, i. e. universae securitatis publicae tutelam in urbe [19]) permittere iussi sunt Aediles, ut ille etiam urbis custos a Velleio Paterculo et Seneca diceretur [20]); etsi Augustus ipse, sicuti Caesar, summam morum

17) Tacit. Annal. VI. c. 11, et Sueton. August. c. 37; quibuscum conf. Dion. Cass. LII. c. 21, ubi Maecenatis consilium de administratione imperii constituenda in magistratuum descriptione, certo ab auctore secundum serioris temporis formam compositum est, et ibid. c. 41. Tum vid., quae supra pag. 142 — 145 scripsi, commentationesque de Praef. urbi, quas ibidem not. 54 laudavi.

18) Pomponius de orig. iur. §. 33; Tacit. Ann. IV, 56; Dio Cass. XLIX. c. 42; LIII. c. 33; LIV. c. 17; de Nerone, Sueton. Ner. c. 7, de Marco Aurelio, Capitolin. in eius vita, in init. et Curtius de senatu Romano II, c. 9. §. 48.

19) Sueton. Tiber. c. 42. Tacit. loc. cit. de praef. urb.: „Augustus mox rerum potitus ob magnitudinem populi ac tarda legum auxilia sumpsit e Consularibus, qui coërcerent servitia, et quod civium audacia turbidum, nisi vim metuat." Quae autem Lydus de magistrat. I. c. 34, et II. c. 6 et 9 ad hanc rem illustrandam conscribere conatus est, plane corrupta sunt.

20) Vell. Pat. II. c. 98: „Pisonis, quem hodie diligentissimum securitatis urbanae custodem habemus"; ibid. c. 88 et Senec. Epistolar. 83 „L. Piso, urbis custos, ebrius ex quo semel factus fuit, maiorem partem noctis in convivio

praefecturam sibi retinuit [21]). Sed cetera quoque puniendi iura Augustus subtraxit Aedilibus, eaque Praetoribus tradidit, et sic quidem, ut maiora Praetori Urbano, a se solo iam tum temporis semper denominato, minora Peregrino demandarentur [22]); quemadmodum adhuc suae auctoritati gravissimum cultus patrii in pristinum statum restituendi, externique ab urbis finibus prohibendi officium [23]), aediumque curam [24]), qua pri-

---

exigebat....; officium tamen suum, quo tutela urbis continebatur, diligentissime administravit." Conf. Sueton. Tib. c. 42 et Plin. hist. nat. XIV. c. 22.

21) Sueton. August. c. 27: „Accepit et morum legumque regimen aeque perpetuum, quo iure, quanquam sine censurae honore, censum tamen populi ter egit. Dio Cass. LIV. c. 2 et c. 10. tum ibid. c. 30: „μετὰ δὲ τοῦτο ὁ Αὔγουστος, ἐπιμελητής τε καὶ ἐπανορθωτὴς τῶν τρόπων ἐς ἕτερα πέντε ἔτη αἱρεθεὶς, καὶ γὰρ τοῦτο κατὰ προθεσμίας, ὥςπερ που καὶ τὴν μοναρχίαν ἐλάμβανε"; et LV. c. 10: „πολλῶν δὲ καὶ ἄλλων γυναικῶν ἐφ' ὁμοίοις τισὶν αἰτίαν λαβουσῶν, οὐ πάσας τὰς δίκας ἐδέξατο, ἀλλὰ καὶ χρόνον τινὰ ἀφώρισεν, ὥςτε τὰ πρὸ ἐκείνου πραχθέντα μὴ πολυπραγμονεῖσθαι." Deinde praefectura morum ab Augustis fere semper tenebatur, ita ut Traiano maximae abstinentiae laudem Plinius praedicaret, eundem neque Censuram, neque Praefecturam recepisse morum, Panegyric. c. 45. — De morum cura severiore in casibus singulis legatur Sueton. Aug. c. 44.

22) Dio Cass. LIII. c. 2: „ἀλλὰ τά τε ἄλλα, καὶ τὰ δικαστήρια τὰ τῇ ἀγορανομίᾳ προςήκοντα, τοῖς στρατηγοῖς, καθάπερ εἴθιστο τὰ μὲν μείζω τῷ ἀστυνόμῳ, τὰ δὲ ἕτερα τῷ ξενικῷ προςταχθῆναι· πρὸς δὲ δὴ τούτοις, τὸν ἀστυνόμον αὐτὸς ἀπέδειξεν· ὃ καὶ αὖθις πολλάκις ἐποίησε." Quonam igitur modo Bachius in hist. iur. lib. III. c. 1. §. 15 Augustum in Aedilium muneribus nihil mutavisse existimarit, non intelligendum est.

23) Dio Cass. ibid.: „καὶ τὰ μὲν ἱερὰ τὰ Αἰγύπτια οὐκ ἐσεδέξατο εἴσω τοῦ πωμηρίου." Sueton. August. c. 30 et 31. Vellei. Paterc. II. c. 89.

24) Dio Cass. ibid.: „τῶν δὲ δὴ ναῶν πρόνοιαν ἐποιήσατο· τοὺς μὲν γὰρ ὑπ' ἰδιωτῶν τινων γεγενημένους, τοῖς τε παισὶν αὐ-

marium negotium ademit Aedilibus, aeque ac foeneratorum castigationem [25]), reservavit. Nec minus histriones, in quos lege veteri magistratibus in omni tempore ac loco animadvertere permissum erat, hac Aedilium, Praetorum Consulumque coërcitione, praeterquam ludis atque scena, prorsus liberavit, eorum autem licentiam modum nimie excedentem severissime, ipse compescuit [26]).

At quae tandem restabant Aedilitati? Sane non multa, si priorem dignitatis conditionem respicimus; sunt enim modo minorum ludorum, viarum ac fori curae, inferiora munera in effrenatis civium voluptatibus continendis, in Caesarum donationibus publicis dispertiendis eorumque mandatis diversis perficiendis. Sed ne ea quidem indivisa administrabant Aediles, atque maximam ludorum partem, prae ceteris scenicos venationesque sumtuosas, quum ob nobilissimarum gentium paupertatem rarius rariusque Candidati Aedilitatem petentes repererentur [27]), et iam creati ob egestatem propriam post paucos dies suam dignitatem acceptam deponerent [28]), Augustus viris demandavit, qui Praetura iam functi erant, eosque partim fisci auxilio, partim aerarii publici pecuniis adiuvit [29]), ut ludorum celebrationem pararent tam magnificam, quam tanti

---

τῶν καὶ τοῖς ἐκγόνοις, εἴ γέ τινες περιῆσαν, ἐπισκευάσαι ἐκέλευσε, τοὺς δὲ λοιποὺς αὐτὸς ἀνεκτήσατο."

25) Sueton. Aug. c. 59: „Notavit aliquos, quod pecunias levioribus usuris mutuati, graviore foenore collocassent."

26) Sueton. ibid. c. 45. Tacit. Annal. I. c. 77.

27) Dio Cass. LIII. c. 2: „οὕτω γὰρ δὴ πολλοὶ σφῶν πένητες ἐγεγόνεισαν, ὥςτε μηδ' ἀγορανομῆσαί τινα διὰ τὸ μέγεθος τῶν ἀναλωμάτων ἐθελῆσαι."

28) Dio Cass. LIV. c. 10: „καί τις ἀγορανόμων ἐθελοντὴς ὑπὸ πενίας ἀπεῖπε τὴν ἀρχήν."

29) Dio Cass. LIII. c. 2: „ὁ δ' οὖν Καῖσαρ ἔς τε τὰς θεωρίας ἐκ τῶν ἰδίων (e fisco) δῆθεν ἀνήλισκε, καὶ ἐπειδὴ χρημάτων

imperii nomen atque gloria efflagitaret. Ex hoc igitur tempore maiores ludi, atque praecipue, qui publicis sumtibus fierent, semper erant Consularium vel Praetoriorum, vel etiam Praetorum ipsorum, quippe qui magistratus etiam tum temporis ob consulatus futuros honores peculiaremque auctoritatem fere integram lubentissime appeteretur [30]), eoque magis quum inferiores gradus aut omnino sine magno labore omitti, aut Caesarum voluntate celerius ascendi possent, Praetura vero ipsa ad Augustorum maiestatem magis appropinquaret. Interdum etiam Aediles, adhuc semper inter Curules et Plebeios diligenter distincti [31]), ex Augusti mandato atque eiusdem pecuniis [32]) ludos, equorum certamina aliaque spectacula procurabant, nec autem prius constitutos et ab utroque Aedilium magistratu certis diebus ac locis celebrandos; sed hos solummodo oblectamenti caussa, vel etiam ad imperium populo gratius reddendum factos reperimus. Qui tamen Augusto occasionem exoptatam dederunt, ut propinquis

τῷ δημοσίῳ ἐδέησεν, ἐδανείσατό τινα, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ· πρός τε τὴν διοίκησιν σφῶν, δύο κατ᾽ ἔτος ἐκ τῶν ἐστρατηγηκότων αἱρεῖσθαι ἐκέλευσε."

50) Vellei. Paterc. II. c. 125; Plin. epist. VII. 16.

51) Dio Cass. LIII. c. 33: „κἂν τῷ αὐτῷ τούτῳ ἔτει ἀγορανόμον τέ τινα τῶν καταδεεστέρων ἀποθανόντα Γάϊος Καλπούρνιος, καίτοι προηγορανομηκὼς ἐν τοῖς ἀμείνοσι, διεδέξατο. Idem auctor LIV. c. 2 loquitur de ἀγορανόμοις τοῖς κουρουλίοις. Senec. epistol. 86 refert, Aediles nobilissimos i. e. Curules, etiam balnea publica intrandi officio esse functos. Tum Dio Cass. LVIII. c. 2 de Plebeiis „τό τε πλῆθος ἐκ τῶν ἀγορανόμων τῶν σφετέρων" etc.

32) Dio Cass. LIV. c. 8: „ἰδίᾳ (id est Augusti sive fisci impensis, nempe oppositum est sacris ex senatusconsulto, ergo ex aerario publico factis; βουθυσία.... ἐδόθη· καὶ τοῦτο μὲν ἐκ ψηφίσματος, ὥσπερ που καὶ τἆλλα ἐγένετο sunt verba proxime antecedentia) δὲ δὴ οἱ ἀγορανόμοι ἱπποδρομίαν καὶ θηρίων σφαγὰς ἐποίησαν."

suis amicorumve filiis iam in aetate necdum adulta primos summorum magistratuum gradus transscendere permitteret: quemadmodum Claudium Marcellum, suae sororis filium, vix puberem Aedilitate Curuli ornatum [33], mox postea eundem cum Augusti privigno Tiberio, non minus admodum adolescenti, a. 25. a. Chr. Aedilitatis vices gerentes, militibus in castris ipsis ludos facientes [34]) aspicimus: inde hunc morem celerioris munerum adscensus non amplius reliquerunt imperatores serioris aetatis [35]). Attamen Augustus ipse in ulterioribus regiminis annis, quum fere nemo sponte Aedilium munera obire vellet, se adstrictum vidit, ut quosdam Quaestura vel tribunicia potestate iamiam functos sorte legens ad Aedilitatem suscipiendam c o g e r e t [36]): quod postea identidem repetitum est.

De securitatis publicae cura, ceteroquin omnino Aedilibus erepta, incendiorum quam celerrime p r a e v e r t e n d o r u m negligenterque e r u p t o r u m r e s t i n c t i o n i s n e g o t i u m Augustus Aedilibus peculiariter reddidit, quia Egnatii Rufi, feliciter in Aedi-

33) Tacit. Annal. I. c. 5, et Vellei. Patercul. II. c. 93. — De Druso Dio Cass. LIV. c. 10: „καὶ τῷ Δρούσῳ πέντε ἔτεσι θᾶσσον παρὰ τὰ νομιζόμενα τὰς ἀρχὰς αἰτῆσαι προςέτρεψεν."

34) Dio Cass. LIII. c. 26: „τοῖς δὲ τὴν στρατεύσιμον ἡλικίαν ἔτ' ἔχουσι, θέας τινὰς διά τε τοῦ Μαρκέλλου καὶ τοῦ Τιβερίου, ὡς καὶ ἀγορανομούντων, ἐν αὐτοῖς τοῖς στρατοπέδοις ἐποίησε." Tiberius quidem maturius magistratus capessendos inchoaverat, ac paene iunctim percurrerat (Sueton. Tiber. c. 9), tamenque propriam Aedilitatem, praeter ludos transcenderat.

35) Dio Cass. LVIII. c. 12, 20 et 23. LX. c. 5. Sueton. Calig. c. 1; eiusd. Galba c. 6, et Domitian. c. 1; Tacit. Annal. II. c. 52; III. c. 29; XII. c. 41.

36) Dio Cass. LV. c. 24: „ἐπειδή τε μηδεὶς ἀγορανομῆσαι ἑκὼν ἤθελεν, ἠναγκάσθησαν ἔκ τε τῶν τεταμιευκότων καὶ ἐκ τῶν δεδημαρχηκότων κλήρῳ τινὲς αὐτὸ ποιῆσαι· καὶ τοῦτο καὶ ἄλλοτε πολλάκις ἐγένετο."

lis munere quibusdam aedificiis ardentibus sponte opem ferentis, indeque populi favore nimie elati, superbia ita offensus erat, ut priorem gratiam in posterum huius magistratus officium proprium constituere vellet [37]). Quam autem curam quibusdam annis post Augustus peculiariter Aedilibus Curulibus adtribuit [38]), simulque iisdem sexcentos servos publicos adiunxit, qui praeterea, brevi modo tempore interiecto, vicorum quoque magistris in omnibus eorum officiis administrandis subiiciebantur [39]). Sed securitas publica quum ne his quidem permultis custodibus satis per noctes protegeretur, incendiaque periculosius in-

37) Dio Cass. LIII. c. 24 historiam planissime tradit, quae simul Aedilis egentis, tamenque plebis liberalitate sumtus necessarios accipientis exemplum praebet: „ὥςτε καὶ τότε Μάρκος ὁ Ἐγνάτιος Ῥοῦφος ἀγορανομήσας, καὶ ἄλλα τε πολλὰ καλῶς πράξας, καὶ ταῖς οἰκίαις ταῖς ἐν τῷ ἔτει ἐκείνῳ ἐμπρησθείσαις ἐπικουρίαν μετὰ τῶν ἑαυτοῦ δούλων καὶ μεθ' ἑτέρων τινῶν μισθωτῶν ποιησάμενος, καὶ διὰ τοῦτο τά τε ἀναλώματα τὰ τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ προςήκοντα παρὰ τοῦ δήμου λαβών, καὶ στρατηγὸς παρανόμως ἀποδειχθείς, ἐπήρθη τε ὑπ' αὐτῶν τούτων, καὶ τὸν Αὔγουστον ὑπερεφρόνησεν, ὥςτε καὶ προγράψαι ὅτι ἄθραυστον καὶ ὁλόκληρον τῷ διαδόχῳ τὴν πόλιν παρέδωκεν. ἐπ' οὖν τούτῳ οἵ τε ἄλλοι πάντες οἱ πρῶτοι, καὶ αὐτὸς ὅτι μάλιστα ὁ Αὔγουστος ὀργὴν ἔσχε. καὶ ἐκεῖνον μὲν ἐκδιδάξειν οὐκ ἐς μακρὰν ἔμελλε τὸ μὴ ὑπὲρ τοὺς πολλοὺς φρονεῖν· τοῖς δ' ἀγορανόμοις παραχρῆμα ἐπιμελεῖσθαί τε, ὅπως μηδὲν ἐμπίπρηται, κἂν ἄρα τι τοιοῦτον συμβῇ, κατασβεννύναι τὸ πῦρ, προςέταξε." Quae etiam leguntur in Vell. Paterculo II. c. 91.

38) Dio Cass. LIV. c. 2: „τοῖς δ' ἀγορανόμοις τοῖς κουρουλίοις τὴν τῶν ἐμπιπραμένων κατάσβεσιν ἐνεχείρισεν, ἑξακοσίους σφίσι βοηθοὺς δούλους δούς."

39) Dio Cass. LV. c. 8: „ἐπιμελητῶν τινων ἐκ τοῦ δήμου, οὓς καὶ στενωπάρχους καλοῦμεν· καὶ σφίσι καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ ἀρχικῇ καὶ ῥαβδούχοις δύο, ἐν αὐτοῖς τοῖς χωρίοις ὧν ἂν ἄρχωσιν, ἡμέραις τισὶ χρῆσθαι ἐδόθη, ἥ τε δουλεία, ἡ τοῖς ἀγορανόμοις τῶν ἐμπιπραμένων ἕνεκα συνοῦσα, ἐπετράπη." Sueton. Aug. c. 30.

crebrescerent, Augustus ad finem imperii sui iis quasdam nocturnorum vigilum cohortes, partim e libertinis [40]), partimque e veteranis militibus compositas adsociavit, quibus virum ex equitum ordine praefecit [41]). Hi autem Praefecti vigilum, postea in ordinariis magistratibus habiti, mox Aedilibus totam incendiorum curam subtraxerunt, solique ei providerunt [42]). Eadem ratione viarum urbi proxime vicinarum curam Aediles cum nova magistratu partiri debebant, quum Augustus a. 20 a. Chr. viis circa Romam euntibus praefectus crearetur, statimque pro se duos

40) Sueton. Aug. c. 25: „Libertino milite, praeterquam Romae incendiorum caussa, et si tumultus in graviore annona metueretur, bis usus est."

41) Dio Cass. LV. c. 26 et 31; atque ex Pauli libr. singul. de officio praef. Vigilum in Digest. I. tit. 15. §. 1: „Apud vetustiores incendiis arcendis Triumviri praeerant, qui ab eo, quod excubias agebant, nocturni dicti sunt. Interveniebant nonnunquam et Aediles et Tribuni plebis (?). Erat autem familia publica circa portam et muros disposita; unde, si opus esset, evocabatur. Fuerant et privatae familiae, quae incendia vel mercede vel gratia exstinguerent. Deinde Divus Augustus maluit per se huic rei consuli." §. 3: „Nam salutem reipublicae tueri, nulli magis credidit convenire, nec alium sufficere ei rei, quam Caesarem. Itaque septem cohortes opportunis locis constituit, ut binas regiones urbis (Dio Cass. LV. c. 8: *καίτοι καὶ τῶν στενωπάρχων, καὶ τῶν δημάρχων τῶν τε στρατηγῶν, πᾶσαν τὴν πόλιν, εἰς δεκατέσσαρα μέρη νεμηθεῖσαν, κλήρῳ προσταχθέντων· ὃ καὶ νῦν γίγνεται*) unaquaeque cohors tueatur: praepositis eis Tribunis, et super omnes spectabili viro, qui Praefectus vigilum appellatur."

42) Quod apparet ex Ulpiani et Paulli temporibus in Digest. loc. cit. §. 3 et 4, ubi Praefectus vigilum solus de incendiariis cognoscit. Inscriptiones antiquae Praefectos vigilum produnt ex seculo secundo p. Ch. Gruter. p. 61. nr. 4, p. 269. nr. 3; ex seculo tertio ibid. p. 42. nr. 2; ex sec. quarto ibid. p. 1086. nr. 9 et 10. — De eorum officiis extraordinariis in singulis exemplis Dio Cass. LVIII. c. 9.

Curatores viarum e Praetoriis, duorum lictorum iure praeditos, huic negotio praeposuit [43]); quemadmodum iam antea Quatuorviri curatores viarum in urbe conservandarum instituti erant [44]): qui cuncti deinde inter ordinarios magistratus creabantur [45]). Per se quidem intelligitur, Curatorum viarum, totam per Italiam currentium, qui saepissime in antiquis monumentis memorantur, vulgariter autem curatores extra ordinem lecti erant, hoc loco mentionem fieri non posse, quia tantummodo de curis, antea in tenuiore rerum statu ab Aedilibus ipsis gestis a me pertractatur.

Nec autem minus in operum publicorum cura duos proprios Curatores, nunc demum ab Augusto primum institutos, reperimus [46]), tum autem inter vulgares magistratus inferiores usque ad quartum seculum permanentes, uti permultae inscriptiones hos Curatores operum publicorum tunc exstitisse testantur [47]): sed Aediles ex altera parte, nunc urbem

43) Dio Cass. LIV. c. 8: „τότε δὲ αὐτός τε προστάτης τῶν περὶ τὴν Ῥώμην ὁδῶν αἱρεθεὶς, καὶ τὸ χρυσοῦν μίλιον κεκλημένον ἔστησε, καὶ ὁδοποιοὺς αὐταῖς ἐκ τῶν ἐστρατηγηκότων, ῥαβδούχοις δύο χρωμένους, προςέταξε." Ibid. c. 26 et Sueton. Aug. c. 37.

44) Dio Cass. LIV. c. 26: „οἵ τε τέσσαρες, οἱ τῶν ἐν τῷ ἄστει ὁδῶν ἐπιμελούμενοι": ibid. LIX. c. 15. Qui permanserunt per duo proxima secula, et ex M. Aurelii imperio sub titulo Curatorum regionum ac viarum in urbe nominatim a Capitolino in M. Aur. vit. edit. Boxhorn. pag. 76 proferuntur.

45) In antiquis monumentis Curatores viarum in urbe reperiuntur ex primo seculo p. Ch. Gruter. I. pag. 45. nr. 8; ibid. pag. 160. nr. 3 et p. 560. nr. 3; ex secundo sec. pag. 199. nr. 1. et pag. 253. nr. 7; ex tertio sec. pag. 433. nr. 1. De inscr. pag. 440. nr. 2 aetas non agnosci potest.

46) Sueton. August. c. 37.

47) Eorum numerus duos non superasse videtur, sicuti monumenta affirmant apud Gruterum p. 1014. nr. 2 ex primo seculo, pag. 26. nr. 5, et pag. 93. nr. 1, nec quidem ac-

et ante omnia loca publica exornandi negotio prorsus exclusos, solummodo in foro circove cognoscimus occupatos, „ne quem paterentur, nisi positis lacernis, in his togatum consistere" [48]). Tum ab Aedilitate antiquitus non afuit, quin urbem adversus Tiberis inundationes quam maxime servaret, quod rursus Augusto novi magistratus instituendi occasionem reddidit, nempe Curatoris alvei Tiberis [49]), qui fluminis, ad coërcendas inundationes ab imperatore laxati et repurgati, curae in officio ordinario praeesset, cuique non paullo post superior quoque Cloacarum cura, olim non minus ab Aedilibus administrata, committebatur [50]). Sed praeter hos etiam alii aquarum, sive natura scaturientium, sive arte ductarum, Curatores sub Augusti imperio primum facti nobis occurrunt [51]), et identidem hi Curatores aquarum

---

curate significatae, sed eiusdem, ut videtur, seculi; pag. 387. nr. 5 ex quarto sec. Caeterum unum modo Curatorem, quod haec monumenta non ab ipsis in magistratu suo posita sunt, proferunt Gruter. pag. 128. nr. 2, et p. 435. nr. 8 e primo seculo p. 457. nr. 6 e secundo sec.; p. 171. ur. 7 e tertio sec.; p. 597. ur. 2, et p. 428. nr. 6 ignoti sec. — Quibus documentis addas Sueton. in Vitell. c. 5, et in Tito c. 8.

48) Sueton. Aug. c. 41.

49) Sueton. Aug. c. 30 et 37. Sic quoque Curatores Alvei Tiberis nobis obviam se ferunt Gruter. I. p. 431. nr. 4 e primo seculo, et ex initio secundi sec. cum adiectis verbis Et Riparum ibid. p. 454. nr. 5, et p. 1028. nr. 5, quae monumenta a Caio Plinio Secundo minore dedicata sunt et in eiusdem epistolis V, 15 quandam officii allusionem habere videntur; tum ex eodem sec., Hadriano imperante p. 498. nr. 5.

50) Curatores. Alvei. Tiberis. Et. Cloacarum Urbis leguntur apud Gruter. e secundo seculo p. 454. nr. 5, et p. 495. nr. 1; e tertio sec. p. 381. nr. 3, ubi conf. de aetate ibid. nr. 1.

51) Sueton. August. c. 37.

etiam in proximorum seculorum monumentis inveniuntur [52]).

At in coërcenda civium feminarumque licentia, Aediles adhuc solam balneorum [53]), ganearum popinarumque et lupanarium curam [54]) sub prioribus imperatoribus gerebant, qua caverent, ne libidinosi atque luxuriosi fines permissos egrederentur, aut aliquid illicitum clam fieret. Ideo Tiberius quoque, ad annonam macelli vilioris pretii reddendam, severiore edicto Aedilibus negotium dedit [55]), „popinas ganeasque usque eo inhibendi, ut ne opera quidem pistoria proponi venalia sinerent"; Claudius autem, omnia sana administrationis remedia plane linquens, quod quidam Aedilis quosdam praediorum imperatoris, contra vetitum cocta vendentes, mulctaverat, villicumque intervenien-

---

52) Curatores Aquarum exstant apud Grnter. e primo sec. p. 431. nr. 4; e tertio sec. 581. nr. 1 et 3; ex fine huius sec. p. 178. nr. 6. Ignotae aetatis, sed, ut mihi verisimillimum ex scribendi ratione videtur, ante Augustum, vel certo eius aetate compositum est p. 453. nr. 5, ubi autem lectio inter aquarum et viarum variat. Praecipue de his conf. Frontin., de aquaeduct. Romae lib. II, ibique senatusconsulta allata; nos quidem ad hos in libro tertio redibimus.

53) Dio Cass. XLIX. c. 43, Plin. hist. nat. XXXVI. c. 15, et praecipue Senec. de vita beata c. 7: „Virtutem in templo invenies, in foro, curia......; voluptatem latitantem saepius, ac tenebras captantem, circa balnea ac sudatoria, ac loca Aedilem metuentia." Atque eiusd. Epistol. 86: „Nam hoc quoque nobilissimi Aediles fungebantur officio intrandi ea loca quae populum receptabant, exigendique munditias et utilem ac salubrem temperaturam. Sed dii boni, quam iuvabat illa balnea intrare obscura, et gregali tectorio inducta, quae scires Catonem tibi Aedilem, aut Fabium Maximum, aut ex Corneliis aliquem manu sua temperasse!"

54) Tacit. Annal. II. c. 85; Sueton. Tiber. c. 35.

55) Sueton. Tiber. c. 34.

tem flagellaverat, omnibus Aedilibus in perpetuum popinarum coërcitionem ademit [56]).

Quod autem in frumenti e longinquo apportandi atque plebi dividendi procuratione efficiendum erat, creberrime hac aetate magistratus extraordinarii instituebantur, quoties inopiae necessitates efflagitarent. Sic enim narratum accepimus, frumenti penuriam anno 22 a. Ch. Romae ita fuisse urgentem, ut Augustus a senatu populoque cum Dictatoris denominatione simul Praefectus annonae diceretur, sicuti quinquaginta annis ante Pompeius declaratus erat. Augustus tamen dictaturam quidem modestia simulata denegavit, sed pro altero negotio duos viros e Praetoriis elegit [57]), quorum numerum post paucos annos duplicavit [58]), ut frumentum, donec inopia urbem urgeret, populo dividendum curarent. Deinde Augustus iterum atque iterum in rebus angustis, vel quibusdam Praetoriis, vel Consularibus, sorte ductis imperavit, partim ut commeatui Romae semper satis adfuturo consulerent [59]), fiscique impensis sufficientem frumenti copiam emerent; partim ut frumentum sive panis iam

56) Sueton. Claud. c. 58.

57) Dio Cass. LIV. c. 1: „προςῆλθον αὐτῷ, δικτάτωρά τε ἅμα λεχθῆναι, καὶ ἐπιμελητὴν τοῦ σίτου, καθάπερ ποτὲ τὸν Πομπήϊον, γενέσθαι· καὶ ὃς τοῦτο μὲν ἀναγκαίως ἐδέξατο, καὶ ἐκέλευσε δύο ἄνδρας τῶν πρὸ πέντε που ἀεὶ ἐτῶν ἐστρατηγηκότων πρὸς τὴν τοῦ σίτου διανομὴν κατ᾽ ἔτος αἱρεῖσθαι." Sueton. Aug. c. 57, 41 et 42; Zonarae Annal. X. c. 55 in fin.

58) Dio Cass. LIV. c. 17: „ἵνα ἐπὶ τῇ τοῦ σίτου διαδόσει προβάλλωνται καὶ οἱ ἐν ταῖς ἀρχαῖς ἀεὶ ὄντες ἕνα ἕκαστον ἐκ τῶν πρὸ τριῶν ἐτῶν ἐστρατηγηκότων, καὶ ἐξ αὐτῶν τέσσαρες οἱ λαχόντες σιτοδοτῶσιν ἐκ διαδοχῆς."

59) Dio Cass. LV. c. 25; Sueton. Tiber. c 8; Vell. Paterc. II. c. 94.

pistus pretio constituto venderetur [60]): quod tamen semper in magistratu extra ordinem factum est, etsi iidem viri per tres pluresve annos huic negotio incumbere deberent [61]).

In negotiis singularibus, quae Aedilibus pertractanda ab Augusto demandabantur, memoria dignissimum est, quod libros moribus molestos pestiferosque, seu maledicos in quosdam cives, Aediles conquirere deberent, ut publice cremarentur [62]), quod negotium sub

---

60) Dio Cass. LV. c. 26: „καὶ προσέτι καὶ ἄνδρες ὑπατευκότες ἐπί τε τοῦ σίτου καὶ ἐπὶ τοῦ ἄρτου κατέστησαν, ὥστε ταχτὸν ἑκάστῳ πιπράσκεσθαι."

61) Dio Cass. LV. c. 25: „καί τισι τῶν ἐστρατηγηκότων, τοῖς λαχοῦσιν, ἐπὶ τρία ἔτη διοικεῖν προςέταξε, ῥαβδούχοις τε ἀνὰ δύο καὶ τῇ ἄλλῃ ὑπηρεσίᾳ τῇ προςηκούσῃ χρωμένοις. καὶ τοῦτο καὶ ἐπὶ πλείω ἔτη κατὰ διαδοχὴν ἐγένετο." Ibid. cap. 31, et Pompon. de orig. iur. §. 55. Tum Praefecti Annonae in monumentis nominantur ex anno 201 p. Ch. apud Gruter. p. 32. nr. 6, idemque p. 315. nr. 6, ex quarto seculo p. 370. nr. 3, et p. 1086. nr. 6; ex incerta aet. p. 426. nr. 5, et p. 453. nr. 4. Sed iidem magistratus extra ordinem facti titulum quoque Praefecti Frumenti dandi praebent e primo sec. Gruter. p. 188. nr. 1, e tertio p. 1091. nr. 8; ex incerta aet. p. 344. nr. 8, et p. 440. nr. 2. Curtius tamen de senat. Rom. c. IV. §. 36 penitus a via directa aberrasse videtur, si in priore inscr. p. 188. nr. 1. Mimesinm Aedilitatem Pl. simul cum frumenti Praefectura administrasse contendit, quod ex innumeris exemplis apparet, in inscriptionibus omnes honores, semel modo ac deinceps comparatos, vulgariter esse perscriptos.

62) Dio Cass. LVI. c. 27: „καὶ μαθὼν ὅτι βίβλια ἄττα ὑφ' ὕβρει τινῶν συγγράφοιτο, ζήτησιν αὐτῶν ἐποιήσατο· καὶ ἐκεῖνά τε τὰ μὲν ἐν τῇ πόλει εὑρεθέντα πρὸς τῶν ἀγορανόμων, τὰ δὲ ἔξω πρὸς τῶν ἑκασταχόθι ἀρχόντων, κατέφλεξε, καὶ τῶν συνθέντων αὐτὰ ἐκόλασέ τινάς." Sueton. Aug. c. 55 documentum egregium de Augusti animo liberali contra maledicta in se ipsum facta tradit: „Nec ideo libertas, aut contumacia fraudi cuiquam fuit. Etiam sparsos de se libellos nec expavit, et magna cura redarguit. Ac ne requisitis quidem auctoribus, id modo cen-

imperatoribus sequentibus, statimque a Tiberio praecipue in scripta, quae acerbe novam rerum administrationem attingerent, extensum est [63]), donec sub Nerone Triumviris capitalibus, quum auctorum maledictis imperatoris maiestas ipsa laesa esse videretur [64]), huic igitur crimini obnoxii, tanquam in gravissimis rebus capitalibus capti, punirentur, ministerium delegaretur, „ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerent" [65]).

Sed paene sub quoque Imperatore sequenti primi seculi Aedilitas obscurior fiebat, quum suam praecipuam ludorum curam non diutius, uti muneris conditionem necessariam, Aediles exsequerentur, Tribuni Pl. insuper, Augustales celebrandos excipientes ad lu-

---

suit cognoscendum posthac de iis, qui libellos aut carmina ad infamiam cuiuspiam sub alieno nomine edant." Tacit. Annal. IV. c. 34: „Carmina Bibaculi et Catulli, referta contumeliis Caesarum, leguntur; sed ipse D. Julius Caesar, ipse D. Augustus et tulere ista et reliquere." Ibid. I. c. 72. Renesse de coërcitione accusatorum in Oelrichs thesaur. II. 561—632.

63) De Cremutii Cordi historiis Tacit. Annal. IV. c. 35: „libros per Aediles cremandos censuere Patres; sed manserunt, occultati et editi." Dio Cass. LVII. c. 24: „καὶ τὰ συγγράμματα αὐτοῦ, τότε μὲν ἐν τῇ πόλει εὑρεθέντα, πρὸς τῶν ἀγορανόμων, καὶ τὰ ἔξω πρὸς τῶν ἑκασταχόθι ἀρχόντων ἐκαύθη· ὕστερον δὲ ἐξεδόθη τε αὖθις, καὶ πολὺ ἀξιοσπουδαστότερα ὑπὸ τῆς τοῦ Κόρδου συμφορᾶς ἐγένετο." Senec. consolat. ad Marciam, huius viri filiam c. 1 et 22. Sueton. Tiber. c. 61 et 62. — De re universa Dio Cass. LVII. c. 19; 20, 22—23. Tacit. Annal. I. 72—75.

64) Sed de iis, quae cum his arcte coniuncta sunt, de calumniatoribus, de horrendis maiestatis criminis poenis, Brencmanni commentationem valde eruditam ac elaboratam iam habemus, quae sub tit. „fata calumniatorum sub imperatoribus" in Ottonis thesaur. iur. Roman. III. p. 1653—1696 exstat. De Tiberio Tacitus in Ann. II—VI plenus est exemplorum.

65) Tacit. vit. Agric. c. 2. Sueton. l. cit.

dorum curam accederent [66]), multi autem imperatores, Augusti exemplum neutiquam sequentes fisci parcerent sumtibus; omninoque Aedilibus pecunias ad ludos Romanorum nomine dignos faciundos largiri negligerent. Tiberius enim ipse nulla [67]) spectacula magnifica edebat, atque iis, quae ab aliquo ederentur, rarissime intererat; quia inhumanis libidinibus captus tenebris remotaeque vitae nimie favebat, ac Romanorum, vel nunc etiam suum imperium potius populi terrore, quam eius gratia conservare volebat, igiturque semper metuebat, ne quid ab eo invito publice deposceretur [68]). Quod autem nemini alii ob avaritiam principi inhonestissimam adtribuere vellet, id sibi ipsi suisque sociis nefariis vindicavit; sicque eum altera parte ultra modum cognoscimus luxuriantem [69]), altera rigorosum divitiarum profusionis legumque sumtuariarum vindicem [70]) apud cives exstantem, neque minus severum morum corrigendorum iudicem [71]). Cuius autem coër-

66) Quos tamen propriis sumtibus edere Tiberius non concessit, et paullo post eorum celebrationem annuam ad Praetorem Peregrinum transtulit, Tacit. Annal. I. c. 15.

67) Sueton. Tiber. c. 46 — 47 et 34: „Ludorum ac munerum impensas corripuit, mercedibus scenicorum rescissis, paribusque gladiatorum redactis." „Neque spectacula omnino edidit."

68) Sueton. Tiber. c. 47; Tacit. Annal. VI. c. 13; Dio Cass. LVII. c. 14.

69) Sueton. Tiber. c. 42 — 45; Tacit. Annal. VI. c. 1, 46 et 50. — Suetonius etiam narrat c. 42. Tiberium denique novum officium instituisse a voluptatibus, cui equitem Romanum T. Caesonium Priscum praeposuit.

70) Dio Cass. LVII. c. 15: „ὁ Τιβέριος ἀπεῖπε μὲν ἐσθῆτι σηρικῇ μηδένα ἄνδρα χρῆσθαι, ἀπεῖπε δὲ καὶ χρυσῷ σκεύει μηδένα, πλὴν πρὸς τὰ ἱερά, νομίζειν" e. q. s.

71) Tacit. Annal. II. c. 85, de quo loco iam supra in fine cap. V sermo erat; Sueton. Tiber. c. 35: „matronas pudicitiae prostratae, quibus accusator publicus deesset, ut propinqui

citionis edicta omnia nunc plane ad propriam Principis auctoritatem redundaverunt, atque hoc ex tempore Aedilibus ne concessum quidem est, ut illa stricte observanda curarent, quum mox Consules, mox Praetores peccata, in luxus interdicta commissa, ex speciali Imperatoris mandato animadverterent, Aedilibus tamen, eandem rem urgentibus, talem curam prorsus remittere demandaretur [72]). Quamobrem iam tunc omnino illud officium, quo civium vitae honestae securaeque consuleretur, nec non in cuius auctoritatem etiam puniendi ius ex Principis edictis transferretur, ex Aedilium manibus penitus subtractum, ad Praetorum adsignabatur dignitatem; quamquam summum eidem officio praefectum imperator ipse semper se gerebat. Quam autem institutionem Tacitus diserte nobis exponit [73]): „Ne domos Pantomimorum senator introiret, ne egredientes in publicum equites Romani cingerent; aut alibi, quam in theatro spectarentur, et spectantium immodestiam exsilio mulctandi potestas Praetoribus fieret." Deinde igitur rarissime apud senatum

---

more maiorum de communi sententia coërcerent, auctor fuit"; ibid. c. 59: „multa praeterea specie gravitatis ac morum corrigendorum, sed et magis naturae obtemperans, saeve et atrociter factitavit." Pari modo in histriones ac saltatores saevientem videmus Tiberium, quos quum urbe et ex tota Italia expelleret; Tacit. Annal. IV. c. 14, et Dio Cass. LVII. c. 21: „τοὺς δὲ ὀρχηστὰς τῆς τε Ῥώμης ἐξήλασε, καὶ μηδαμόθι τῇ τέχνῃ χρῆσθαι προσέταξεν, ὅτι τάς τε γυναῖκας ἤσχυνον, καὶ στάσεις ἤγειρον."

72) Tacit. Annal. III. c. 52: „Nam, incipiente C. Bibulo, ceteri quoque Aediles disseruerant, sperni sumtuariam legem, vetitaque utensilium pretia augeri in dies; nec mediocribus remediis sisti posse: at consulti patres, integrum id negotium ad Principem distulerant." Tum ibid. c. 55: „Auditis Caesaris litteris (quarum sententia c. 53—54 data est) remissa Aedilibus talis cura."

73) Tacit. Annal. I. c. 77.

accusandi officio utentes, Aediles occurrunt in probis testimoniis, atque etiam tunc, ut apparet, non magistratus iure gaudentes, sed solummodo conditione privati, ut ipsi accusatores aut Caesari blandirentur, aut celerius ad altiores se efferrent dignitates; quemadmodum exempli gratia de Aedili Brutidio Nigro manifestum esse censemus, qui honorum festinatione exstimulatus, simul cum Praetore Othone et Scauro, viro consulari, C. Silanum ob violatum Augusti nomen, spretamque Tiberii maiestatem apud senatum accusavit [74]). Neque aliter egit Tiberius de magorum astrologorumque artibus, quibus ipse eximie deditus erat [75]), tamenque munus Aedilitium, quod adhuc sub Augusto Agrippa in hoc magistratu exercuerat [76]), capessens eodemque durius utens, homines has artes profitentes, si peregrini essent, capite damnavit, si cives contra illam priorem interdictionem nihilominus has artes factitassent, urbe expulit [77]). Tum eandem severitatem in cultu patrio strictius observando ostendens, Tibe-

---

74) Tacit. Annal. III. c. 66.

75) Sueton. Tiber. c. 69: „circa Deos ac religiones negligentior; quippe addictus mathematicae, persuasionisque plenus, cuncta fato agi." Dio Cass. LVII. c. 15.

76) Vid. huius libr. cap. V. not. 103.

77) Dio Cass. LVII. c. 15: „καὶ πάντας τοὺς ἄλλους, τούς τε ἀστρολόγους καὶ τοὺς γόητας, εἴ τέ τινα ἕτερον καὶ ὁποιονοῦν τρόπον ἐμαντεύετό τις, τοὺς μὲν ξένους ἐθανάτωσε, τοὺς δὲ πολίτας, ὅσοι καὶ τότε ἔτι, μετὰ τὸ πρότερον δόγμα, δι᾽ οὗ ἀπηγόρευτο μηδὲν τοιοῦτον ἐν τῇ πόλει μεταχειρίζεσθαι, ἐξηγγέλθησαν τῇ τέχνῃ χρώμενοι, ὑπερώριος." Tacit. Annal. II. c. 32 et Sueton. Tib. c. 36. Sed et postea plus quam semel mathematici ex Italia pellebantur, Tacit. Ann. XII. c. 52, a Vitellio, Sueton. Vitell. c. 14; Xiphilin. e Dion. Cass. LXV. c. 1; a Vespasiano Tacit. histor. II. c. 62, et Xiphilin. e Dion. Cass. LXVI. c. 9; a Severo, ibid. LXXVII. c. 17, cuius vero filius, Caracalla, mathematicos magosque valde dilexit ibid. c. 18 et 19.

rius cives Romanos a ceremoniis externis, praesertim a cultu Aegyptiaco Iudaicoque removit [78]).

Ceteroquin ex Tiberii administratione, praeter Praefecturam urbis cives magis magisque aggravantem [79]), nec non Praefecti praetorio potestatem, nunc iam valde extensam ac elatam [80]), et uni viro iam commissam [81]) (qui tam Praefectus primo Imperatorum seculo magis adhuc tanquam eorum instrumentum familiarissimum, quam propriae auctoritatis vi egit) perpaucas commutationes in auctoritatis publicae forma animadvertimus [82]), si quidem eiusdem legitime constitutae memores sumus, necessariosque effectus

78) Tacit. Annal. II. c. 85, et Sneton. Tiber. c. 36.

79) Tacit. Annal. VI. c. 10.

80) Tacit. Annal. IV. 2; Dio Cass. LVII. c. 19, LVIII. c. 4 et 14. Praeterea de hoc magistratu conf. Io. D. Dan. Ritteri historia Praefecturae Praetorianae, Viteberg. 1745, et Curtius de senat. Rom. II. c. 8. §. 46—47.

81) De duobus Praefectis praetoriarum cohortium sub Augusto, Tacit. Annal. I. c. 7, Dio Cass. LV. c. 10.

82) Immo etiam in priore imperii parte dimidia Tiberius sedulo Senatui singulisque magistratibus pristinam potestatem et reddidisse et conservasse simulavit, quum de parvis magnisque negotiis publicis ad Patres conscriptos referri, resque ipsas via ordinaria per magistratus agi iuberet. Sueton. Tiber. c. 30, 31 et 32. Praeclare haec composuit Tacit. Annal. IV. c. 6: „Iam primum publica negotia et privatorum maxima apud patres tractabantur; dabaturque primoribus disserere, et in adulationem lapsos cohibebat ipse; mandabatque honores, nobilitatem maiorum, claritudinem militiae, inlustres domi artes spectando, ut satis constaret, non alios potiores fuisse. Sua Consulibus, sua Praetoribus species; minorum quoque magistratuum exercita potestas, legesque, si maiestatis quaestio eximeretur, bono in usu." Attamen cuncta ad nutum suum agebantur, quod eius mores notissimi cuique civi sufficientem vitae metum iniecerant, ut nemo etiam submissae quoque voluntati Imperatoris se opponere ausus esset.

tam multarum cohortium circa urbis muros semper versantium satis consideramus. Vix memoratu dignum videtur, quod alvei Tiberis Curatorum numerus usque ad Quinqueviros amplificaretur, qui tum e toto senatorum ordine, forsan ob eorum officium non magni momenti aestimatum, legerentur [83]), quod porro viarum publicarum ac aquaeductuum cura priori magistratui adhuc magis subtracta esset, ita ut querelae de aedibus mole viae publicae ductuque aquarum labefactis ad Senatum deferrentur [84]), imperatorisque auxilium appeteretur. Memorabilius autem est, quod tabularum publicarum cura, quae pari mode in civitate libera Aedilibus adscripta erat, nunc maxima earum parte in bellis civilibus vel perdita vel amissa, rursus eandem acciperet attentionem, ut Tiberius [85]) tribus Senatoribus (quibus mox postea quartus adiunctus esse videtur [86]), negotium daret, quo omnes tabulas publicas, quarum scriptura et antiquitate et alio casu infelici evanescere coepisset, rescriberent, amissas diligenter conquirerent, cunctasque in posterum asservarent.

In C. Caesaris Caligulae imperio non parvam similitudinem cum priore reperimus, quum in altero eiusdem spatio „magistratibus iurisdictionem liberam, et sine sui appellatione concederet [87]), comitiorum morem revocaret suffragiaque populo redderet [88]), in

83) Dio Cass. LVII. c. 14; Tacitus autem duos modo novit, Annal. I. c. 77 et 79.

84) Tacit. Annal. I. c. 75.

85) Dio Cass. LVII. c. 16.

86) Monumentum ex ann. 20 p. Chr., apud Gruter. C. Inscr. pag. 257. nr. 8, Quatuorviros Curatores Tabularum Publicarum praebet, C. Calpetanum Statium, Sex. Metrobium, M. Perpennam Lurconem, T. Satrium Decianum.

87) Sueton. Calig. c. 16; Dio Cass. LIX. c. 5, 6 et 20.

88) Sueton. Calig. c. 16.

spectaculis non semper ipse praesideret, sed interdum aut magistratibus, hoc honore olim ornatis, aut amicis praesidendi munus iniungeret" [89]); in altero autem mox monstri speciem, ut Suetonii verbis [90]) utar, indueret, truci violentia saevaque superbia quamque auctoritatem civilem subprimeret atque repudiaret [91]), et Aediles Praetoresque ex eorum amicitia erga crudeliter necatos magistratu se abdicare, poenasque capitales perpeti cogeret [92]), tamenque se ipsum hominum infimae plebis libertinorumque petulantiae ac arbitrio subiiceret [93]). Nam insania sua, si cetera vitae sceleratissimae crimina, ut meam quaestionem non interpretantia, hic prorsus transmitto, eo digressa erat, ut contra priorum Caesarum consilia non modo frumenti inopiae non opitularetur, sed etiam nonnunquam „horreis praeclusis, populo famem indiceret [94]), tum multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis, ad metalla aut ad viarum munitiones, aut ad bestias condemnaret, aut bestiarum more quadrupedum cavea

89) Sueton. Calig. c. 18.

90) Sueton. Calig. c. 22.

91) Dio Cass. LIX. c. 4: „καὶ πολλοὺς μὲν μεγάλα ἀδικήσαντας οὐκ ἐκόλασε, πολλοὺς δὲ καὶ μηδὲν ἀδικήσαντας ἀπέσφαξε· τῶν τε ἑταίρων τοὺς μὲν ὑπερεκολάκευε, τοὺς δὲ ὑπερύβριζεν. ὥςτε μηδένα μήθ᾽ ὅ, τι εἰπεῖν, μήθ᾽ ὅ, τι ποῆσαι χρὴ πρὸς αὐτόν, εἰδέναι, ἀλλ᾽ ὅσοι τι καὶ κατώρθωσαν, ἐκ συντυχίας μᾶλλον ἢ γνώμης τυχεῖν αὐτοῦ." Sueton. Calig. c. 26.

92) Dio Cass. LIX. c. 23: „οἱ δὲ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐταράττοντο, ὅτι δίκαι σφίσιν ἐπί τε τῇ πρὸς τὰς ἀδελφὰς αὐτοῦ, καὶ ἐπὶ τῇ πρὸς τοὺς πεφονευμένους φιλίᾳ πολλαὶ ἐπήγοντο, ὡς καὶ ἀγορανόμους στρατηγούς τέ τινας ἀναγκασθῆναι τὴν ἀρχὴν ἀπειπόντας κριθῆναι."

93) Dio Cass. LIX. c. 5: „Γάϊος δὲ ἤρχετο μὲν καὶ ὑπὸ τῶν ἁρματηλατούντων καὶ ὑπὸ τῶν ὁπλομαχούντων ἐδούλευε δὲ καὶ τοῖς ὀρχησταῖς καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς περὶ τὴν σκηνὴν ἔχουσι."

94) Sueton. Calig. c. 26.

coërceret, aut medios serra dissecari iuberet"[95]). At Aedilium munera in tali rerum statu Caligula reddidit fere vana, nisi quorundam novorum vectigalium, a se institutorum, receptione, Aedilitati quidem non accommodata, auxisse videretur, quum pro eduliis, quae tota urbe venirent, certum statutumque vectigal, et ex meretricibus ac lenonibus, iisque qui etiam antea his artibus obscoenis incubuissent, certam capturarum partem exigi demandaret[96]). Ludos aut ipse ultra modum splendentes atque sumtuosos edidit, aut non minoribus sumtibus propriis faciundos Consulibus Praetoribusque imperavit[97]). Sed Aedilium in hoc negotio procurando nulla fit mentio ex hoc imperio, quorum omnino nulla alia cura tunc diserte memoratur, praeterquam quod iidem viarum purgandarum ac verrendarum officio adhuc semper praefecte essent; unde T. Flavius Vespasianus, qui postea Imperator fuit, tum temporis Aedilis, idque dignitatis suae munus non sollerter exsequens, Caligulae poenam obscoenam obiit[98]).

Tum autem ex Claudii imperio Romae adhuc celerius Aedilium auctoritas evanescebat, quum eiusdem munera honorifica Imperatores vel sibi ipsis, vel suis

95) Sueton Calig. c. 27.

96) Sueton. Calig. c. 40, et Dio Cass. LIX. c. 28. Sed adeo insaniit Caligula, ut ipse (Sueton. c. 41) suis impensis in palatio constitueret lupanar, et pro loci ordinumque dignitate complures cellas instrueret ac distingueret, in quibus matronae ingenuique starent; deinde circum fora et basilicas nomenclatores ad iuvenes ac senes in libidinem invitandos misit.

97) Dio Cass. LIX. c. 5 et 14; tum ibid. c. 7, 9 et 15. Sueton. Caligul. c. 18—19.

98) Dio Cass. LIX. c. 12: „καὶ μετὰ τοῦτο πηλὸν πολὺν ἐν στενωπῷ τινι ἰδών, ἐκέλευσεν αὐτὸν ἐς τὸ τοῦ Οὐεσπασιανοῦ τοῦ Φλαβίου ἱμάτιον, ἀγορανομοῦντός τε τότε καὶ τῆς τῶν στενωπῶν καθαριότητος ἐπιμελουμένου, ἐμβληθῆναι." Sueton. Vespas. c. 5.

filiis, vel etiam superioribus magistratibus vindicarent, difficiliora autem ac graviora novis dignitatibus, militum ceterorumque vigilum auxilio fretis adsignarent. Sed in municipiis eodem tempore Aedilitas magis etiam quam antea effloruerat, quam vero rem equidem exemplorum copia illustare supersedeo, quia Everardus Otto, uti accuratior eiusdem libri cognitio mihi persuasit, de hoc magistratu laudabile diligentiae documentum sibi posuit, ac fere nihil plenius exponendum nobis reliquit.

Attamen Romae discrimen inter Aediles Curules et Plebeios certo duo per secula adhuc permansit, quare Ritterus [99]) vulgarem sententiam, Curulium potestatem desiisse sub Claudio et Nerone, merito refutavit. Nam Tacitus tantummodo de Aedilium potestatis coërcitione, nec autem eorum plana abolitione, sub Neronis imperio facta, loquitur [100]); sed diserte hac occasione Curulium et Plebeiorum discriminis mentionem facit, atque tum temporis nova lege statutum esse narrat, „quantum Curules, quantum Plebei pignoris caperent, vel poenae irrogarent."

Neque minus ex inscriptionibus antiquis cognoscitur, Aediles Curules certo per secundum Imperatorum seculum, et quod quidem magis suspicamur, quam auctoritate immutabili freti dicimus, usque ad tertium peractum, vel ad magnam permutationem exstitisse administrationis, a Diocletiano atque Constantino institutae. Sic enim post Claudii tempora P. Martius Philippus Aedilicius Curulis nominatur [101]), qui ipse Quaestor ab aerario fuerat, dignitate igitur ornatus erat, quam Claudius universae tabularum publicarum

---

99) Ad Heinecc. histor. iur. loc. cit.

100) Annal. XIII. c. 18.

101) Gruter. Corp. Inscr. pag. 437. nr. 2.

curae praefecit [102]). Aliae inscriptiones ex Neronis et Vespasiani eiusque filiorum imperio nos docent, Q. Litium Atilium Agricum Aedilitate Curuli tunc functum esse [103]), Numisium Iuniorem, Titi sodalem, Aedilem Curulem designatum fuisse [104]); tum Traiano imperante L. Betulium Aedilem Curulem [105]), ex Commodi aetate L. Ragonem Urinatem Aedilem Plebis [106]) reperimus, unde discrimen inter Aediles Curules et Plebeios tum temporis adhuc adsuetum certius factum est, denique ex tertio seculo post Chr. sine Imperatorum significatione accuratiore M. Gallum Primum [107]) et Sextum Tadium Paullinum [108]) Aediles Curules fuisse perlegimus.

Nihilominus non denegari potest, Aedilitatem prae omnibus magistratibus, ex republica libera origi-

---

102) Tacit. Annal. XIII. c. 28 et 29; Sueton. Claud. c. 24; Dio Cass. LX. c. 10. Fere ad eandem aetatem, aut potius ad Caligulae imperium vel ad primos Claudii annos adtrahere velim inscriptionem apud Gruter. pag. 560. nr. 5, qua P. Aquius Scaeva Aedilis Curulis nuncupatur, qui posthac aerarii Praeturam nactus et extra sortem ex C. Caesaris Caligulae auctoritate in Cyprum ad rerum statum componendum missus est: nam Tiberius primum ex numero Praetorum, qui aerario praeessent, sorte duci iussit, inde usque ad Claudium imperantem in hac administrationis parte nihil aliud mutatum esse Tacitus in loc. excitato et Sueton. Claud. c. 24 produnt, atque demum a Vespasiano Praetores rursus aerarii curam recipiebant, Tacit. histor. IV. c. 9.

103) Grüter. pag. 567. nr. 1, et pag. 416. nr. 6.

104) Gruter. pag. 505. nr. 1, et pag. 442. nr. 10. Eidem aetati quamvis non plane certae adnumerari possint L. Rufinus Aedilis Curulis ibid. pag. 75. nr. 11, et C. Aelius Gallus Aed. Curul. ibid. pag. 1090. nr. 12.

105) Gruter. pag. 1091. nr. 12.

106) Ibid. pag. 45. nr. 0.

107) Ibid. pag. 491. nr. 12.

108) Ibid. pag. 671. nr. 6.

nem suam ducentibus, quamvis ceteri etiam magis magisque Imperatorum arbitrio servitutem praeberent et in contemtum descenderent [109]), viliorem esse redditam, ita ut cursus in ascendendis dignitatibus ex Claudii imperio nobiles candidatos a Quaestura statim ad Praeturam adduceret [110]), quare etiam ex senatusconsulto a. 47. post Chr. constitutum est, ut spectaculum gladiatorum per omnes annos pecunia eorum celebraretur, qui Quaesturam adipiscerentur [111]). Quod vero non multo post a. 55. Nerone regnante ea conditione coërcitum est, ut necessitas ludi gladiatorii edendi Quaestoribus designatis tolleretur [112]), eaque liberalitas solummodo horum arbitrio committeretur, postea etiam ex Antonino Pio regnante pecunia publica adiuvaretur [113]). Sed ceterum Neronis licentia effrenatis-

109) Neque aliter fieri potuit, quum primum talem pactionem inter Imperatores atque senatum sancitam esse aspicimus, qualis exstat apud Gruter. pag. 242, et in plurimis Suetonii editionibus: „Utique quos magistratum, potestatem, imperium curationemve, cuius rei petentes Senatui populoque Rom. commendaverit (Imperator Vespasianus), quibusque suffragationem suam dederit, promiserit, eorum comitiis quibusque extra ordinem ratio habeatur."

110) Tacit. Annal. XI. c. 21. Rarissime hac aetate factum est, quod Aediles inter vulgares magistratus in ordine prius solito memorantur, ut Tacit. XII. c. 64 praebet. Porro exempla praebent Spartianus in Hadrian. edit. Boxhorn. pag. 5 et 6, immo etiam Praeturae omissae Capitolin. in Anton. Pio pag. 55 et 58, et in M. Aurelii vita pag. 68, et in Veri vit. pag. 100, et. pl. al. exempl.

111) Tacit. Annal. XI. c. 22. Sueton. Claud. pag. 24.

112) Tacit. Ann. XIII. c. 5. Postea tamen Domitianus pristinam severitatem in muneribus quaestoriis revocavit, Sueton. Domit. c. 4, quae vero post eius caedem rursus omissa est.

113) Capitolin. in Anton. Pio p. 55: „ita ut et magistratus adiuvaret, et Senatores urbis ad functiones suas", et p. 60: „sumtum muneribus gladiatoriis instituit."

sima fere quamque Aedilium curam fecit irritam, quum hic imperator ipse, veste servili indutus, cum magna comitantium caterva omnia itinera urbis et lupanaria et diverticula pererraret, sociosque suos crebro exhortaretur, ut ad venditionem exposita raperent, ac obviis vulnera inferrent, etiamsi ipse interdum exciperet ictus [113a]): unde mox nihil aliud evenire potuit, quam ut alii etiam scelerati Imperatoris exemplum sequentes sub Neronis nomine inulti iniurias gravissimas exercerent in securitatem publicam [114]). At nequaquam post Neronis caedem Aediles redierunt ad priorem auctoritatem, sed potius eorum munera aut negligebantur, aut aliis magistratibus demandabantur (quod certo adhuc crebrius libentiusque inibant Imperatores, quum Vespasianus malum morem curas honorificas sive ulla ratione gratas vendendi sanxisset [115]), aut plane omitte-

113a) Tacit. Annal. XIII. c. 25 et 47; Xiphilin e Dion. Cass. LXI. c. 8—9; LXII. c. 15.

114) Quae cuncta centum quinquaginta annis postea Heliogabalus non modo non repetivit, sed etiam more bestiali in talibus rebus primum locum sibi assignare studens supergressus est (vid. Xiphilin e Dion. Cass. LXXIX. c. 15, et Lamprid. in Heliogabali vit. pag. 512—525): quanquam iam Commodus insania horribili auctoritatem suam foedissime dehonestans vixque exstinctus, uti exemplum formidolosum quemque absterrere potuit. Conf. Lamprid. in Commod. vit. p. 151 et 145, ubi inter alia leguntur: „habuit praeterea morem, ut omnia, quae turpiter, quae impure, quae crudeliter, quae gladiatorie, quae lenonice faceret, actis urbis indi iuberet, ut Marii Maximi scripta testantur."

115) Xiphilin, e Dion. Cass. LXVI. c. 14: „*πάμπολλα γὰρ παρὰ πολλῶν ἐλάμβανε, τοῖς μὲν ἀρχάς, τοῖς δὲ ἐπιτροπείας, στρατείας, ἱερωσύνας, ἤδη δέ τισι καὶ ἀποφάσεις αὐτοῦ πιπράσκουσα·*" et quousque haec licentia quemque modum excedens sub Commodo aberraverit, vid. ibid. LXXII. c. 12: „*ὁ γοῦν Κλέανδρος... ἐπώλησε βουλείας, στρατείας, ἐπιτροπείας, ἡγεμονίας, πάντα πράγματα,*" e. q. s. Cf. Lamprid. in vit. Commod. p. 145.

bantur. Quemadmodum hoc praecipue in cunctis rebus ad magistratuum ludos sumtusque publicos pertinentibus observari potest, qui ex Nervae regno magis magisque coërcebantur, donec religio Christiana in toto imperio culta eos prorsus evanescere iuberet [116]); quod tamen de ludis extra ordinem ob victorias sive alias res laetas ab Imperatoribus ipsis editis nullo modo tam manifeste dicatur. Itaque Domitianus in primis imperii mensibus, semel etiam laudabilia antiquitatis exempla se imitari simulans, fere solus nominari potest, qui severiorem magistratuum urbicorum potestatem appropinquare ad antiquos fines in mente habuerit [117]): quod utinam in longius temporis spatium factum esset.

---

116) Xiphilin. e Dion. Cass. LXVIII. c. 2 de Nerva: „*καὶ πολλὰς μὲν θυσίας, πολλὰς δὲ ἱπποδρομίας, ἄλλας τέ τινας θέας κατέλυσε, συστέλλων ὡς οἷόν τε τὰ δαπανήματα·*" de M. Aurelio spectacula gladiatoria donationesque scenicas multifariam temperante, Capitolin. in eiusd. vita p. 75 et 94; ex Macrini aetate, Xiphilin. e Dion. Cass. LXXVIII. c. 22: „*καὶ μετὰ τοῦτο τό τε διαδίδοσθαί τινα ἐν ταῖς τῶν στρατηγούντων πάνυ θέαις, πλὴν τῶν τῇ Φλώρᾳ τελουμένων, δικαιονόμοι οἱ τὴν Ἰταλίαν διοικοῦντες ἐπαύσαντο*", quo ex loco praeterea cognoscitur, ludos etiam Florales, qui prae ceteris in munere proprio ab Aedilibus semper facti essent, iamdudum ad Praetores esse translatos. De Alexandro Severo magna parsimonia in ludos utenti conf. Lamprid. in Sever. vit. p. 359, 362 et 370.

117) Quod optime Suetonii verbis depictum legitur, in Domitiano c. 8: „Auctor et Tribunis pl. fuit, Aedilem sordidum repetundarum accusandi, indicesque in eum a senatu petendi: magistratibus quoque urbicis, provinciarumque praesidibus coërcendis tantum curae adhibuit, ut neque modestiores unquam, neque iustiores exstiterint" e. q. s. De Hadriano fere similia ac magis permanentia laudantur a Xiphilino e Dion. Cass. LXIX. c. 9, sicuti Alexander Severus hic non omittendus est, qui Senatui auctoritatem suam ita reddidit, ut Praefectum urbis ab eodem electum acciperet, sibique modo Praefectorum Praetorio institutionem reservaret.

In muneribus Aedilitiis, inter alios magistratus curatoresve divisis [118]), Aedilitate ipsa etiamnum reservata praecipue haec officia occupata reperimus, Praefecti rei frumentariae [119]), qui posterius Praefectus annonae rursus dicebatur [120]), eique officio incumbebat, ut satis frumenti, praecipue ex Aegypto apportandi, Romae semper adesset; tum Curatorum operum publicorum, viarum, aquarum ac formarum [121]), de quibus hoc capite iam disseruimus; tum Procuratoris ludi [122]), cui curae ius quoque spectacula publice edendi aequiparari potest, quod ex Claudii imperio iuvenibus Romanis, nullo magistratu nondum fungentibus, atque libertinis etiam interdum adtributum est [123]); tum Curatoris acto-

118) Quae curarum divisio inprimis ex Vespasiani aetate peracta est, Tacit. histor. II. c. 82: „multos praefecturis et procurationibus, plerosque senatorii ordinis honore percoluit."

119) Tacit. Annal. XI. c. 51: „Turranium rei frumentariae Praefectum"; tum ibid. XIII. c. 22, et XIV. c. 51: „Fenium Rufum, quia rem frumentariam sina quaestu tractabat"; per totum primum et secundum rationis vulgaris seculum tales Praefectos proprio officio fungentes saepe reperimus; tum ex Commodi regno Xiphilin. e Dion. Cass. LXXII. c. 15; ex Macrini imperio ibid. LXXVIII. c. 22.

120) Aureliani epistola ad Arrabianum apud Vopiscum in Aurel. vit. pag. 655; ex seculo quarto Ammian. Marcellin. XXVIII. c. 1. Sed hic magistratus usque ad seculum quintum ac sextum, Romamque ab Ostrogothis occupatam, sub nomine Comitis vel etiam Praefecti annonae permansit, cuius muneris gravitatem nobis describit. Cassiodor. Variar. lib. VI. ep. 18.

121) i. e. aquaeductuum, qui ex quinto et sexto seculo vulgariter ita nominantur, v. Brisson. de verbor. signific. s. voc. form.; Curatoris formarum mentio fit apud Cassiodor. Var. VII. ep. 6.

122) Tacit. Annal. XI. c. 35; XIII. c. 22, et Sueton. Caligul. c. 27.

123) Sueton. Claud. c. 28.

rum Senatus [124]), Praefecti vigilum [125]); denique Curatorum urbis, quos numero quatuordecim Alexander Severus instituit, „ut cum Praefecto urbis negotia urbana audirent, ut omnes aut magna pars adesset, cum acta fierent." [126])

Quare Aedilium auctoritate atque dignitate paullatim ita estincta, ut Aediles ne tum quidem inter magistratus antiquiores referantur, quum in mandatis sive epistolis Imperatorum aliisque scriptis publicis penes Senatum, Consules Praetoresque nec minus Tribuni pl. salutantur vel memorantur [127]), ut rarissime igitur ex medio seculo secundo p. Chr. Aedilium mentio fiat, quamvis nullam tamen legem relatam esse accipiamus, quae Aedilitatem Romae plane abrogasset; nihil mihi restat, quam ut ultima huius magistratus Romae exerciti vestigia exstantia nunc enumerem. Praeter ea, quae modo supra in discrimine inter Aediles Curules et Plebeios permanenti, et in capite de Aedilibus Cerealibus adnotavimus, ex M. Aurelii Philosophi imperio novimus, eundem multos ex amicis cum dignitatibus Aediliciis adlegisse in Senatum [128]); Didium Iulianum, qui

124) Ne antiquissimi Aedilium muneris in asservandis Senatusconsultis immemor sis: de hoc Curatore vid. Spartian. in vit. Hadrian. pag. 5. Hadrianus ipse post Quaesturam accepit hanc curam, et Xiphilin. e Dion. Cass. LXXVIII. c. 22.

125) Tacit. Annal. XI. c. 35, Plin. hist. n. XXII. c. 25, et Digest. I. tit. 15 de offic. praef. v.

126) Lamprid in vit. Alex. Sever. pag. 588. Postea tamen in temporibus magnae gentium migrationis, totam urbis administrationem valde percutientis ac permutantis, Vicarium urbis paene eadem Curatorum urbis negotia solum obeuntem invenimus, uti Cassiodorus Variar. VI. ep. 15 nos docet. Conf. Manso Gesch. d. Ostgoth. Reichs. pag. 368.

127) Xiphilin. e Dion. Cass. LXXII. c. 15. et LXXVIII. c. 38. Tribuni pl. etiam sub Macrino Consulibus Praetoribusque Roma absentibus Senatum convocaverunt, ibid. LXXVIII. c. 37.

128) Capitolin in vit. M. Aurel. pag. 74.

postea Imperator factus est, M. Aurelii suffragio Aedilitatem esse consequutum [129]); tum Clodium Albinum, qui post Didium Iulianum cum Severo de summo imperio dimicavit, eodem modo iniisse hunc magistratum, tamenque Aedilitatem non amplius quam decem dies tenuisse, quum ad exercitum festinanter mitteretur [130]). Deinde Commodo adhuc regnante [131]) certiores facti sumus de Gordiano Seniore, qui in Aedilitate sua postremum eximii splendoris documentum in duodecim muneribus [132]) populo Romano praebitis nobis reliquit; mox postea de Domitio Floro, Aedilitatem petituro, sed nanciscenti Tribunatum Pl. [133]): denique

---

129) Spartianus in vit. Did. Iulian. init.

130) Capitolin. in vit. Clod. Albin. pag. 229; ob temporis rationem conf. eund. peg. 254, quo loco idem iam ab Marco Aurelio consuletum accepit.

131) Meam annorum computationem optime cum tota huius Imperatoris vite consentire censeo ex primis libelli peginis, quem Iulius Capitolinus de tribus Gordianis conscripsit, quoniam ille simul cum Caracalle primum, atque cum Alexandro Severo secnndum consuletum gessisset, et octoginta annos iem ascendens demum Imperator appelletus esset, Cepitolin p. 454, 455 et 440.

13e) Cepitolin. l. cit. pag. 455 heec ita descripsit: „Aedilitatis suee tempore duodecim populo Romano munera, id est per singulos menses singnla de suo exhibuit; ita ut gladietorum nonnumquem quingena peria exhiberet, nunquam minus centenis quinquagenis. Feras Libycas una die centum exhibuit, ursos une die mille. Exstat silva eius memorabilis, quae picta est in domo rostrata Cnaei Pompeii, quae ipsius et patris eius et proavi fuit: qnem Philippi temporibus vester fiscue invasit: in que pictura etiam nnnc continentur cervi palmati ducenti mixtis Britannis, equi fere triginte, oves feri centum, alces decem, tauri Cypriaci centum, struthiones Mauri miniati trecenti, onegri triginta, apri centum qninquaginta, ibiees ducenti, damee ducentee. Haeo eutem omnia populo rapiende concessit die muneris quod sextum edebat."

133) Xiphilin. e Dion. Cess. LXXVIII. c. 22: „Δομίτιός τέ τις Φλῶρος περιδρομῇ θεραπείας πρὸς σπουδαρχίαν, καίτοι πρότε-

de Censorino, qui sub Caracallae imperio sive ei proximis annis Aedilitatem quater administravit [134]), et admodum senex locum inter triginta imperii tyrannos, ut dicuntur, usurpavit. Non multo post Alexander Severus propriam legem propemodum renovatam tulit, quae Quaesturae candidatos ex sua pecunia munera populo dare iussit eâ conditione, ut post Quaesturam peractam statim Praeturas acciperent, et inde provincias regerent [135]). Itaque veritati vix consentaneum videtur, si Capitolinus nobis tradit [136]), nuntio de duobus Gordianis in Africa a populo Imperatoribus factis Romam allato, Consulem post consultationem cum Praetoribus, Aedilibus Tribunisque Pl. domi statim habitam venisse in curiam, ut Senatum de his rebus laetis certiorem faceret. Quoniam autem perpauci modo anni post Alexandri constitutionem praeterlapsi essent, mihi potius persuasum est, ut auctor, si accuratioris descriptionis studio gavisus esset, Quaestores certo pro Aedilibus scripsisset, aut, quod mihi verisimillimum appareret, ut tantummodo ob maiorem comitatum Consulis, in hac difficillima occasione Senatus auxilium adeuntis, Capitolinus sine ulla cogitatione sive perscrutatione diligenti veteres magistratus notiores nominaret [137]).

ρόν ποτε τὰ τῆς βουλῆς ὑπομνήματα διὰ χειρὸς ἔχων, καὶ ἀγορανόμος ἐπ' αὐτοῖς ἀποδειχθῆναι ὀφείλων, εἶτα πρὶν ἄρξαι, τῆς ἐλπίδος διὰ Πλαυτιανὸν ἐκπεσών, κατεστήσατο, καὶ δήμαρχος ἀπεδείχθη."

134) Trebell. Poll. in Censorin. vit. pag. 584, quo ex loco iam Curtius de Senat. Rom. II. c. 4 in fine satis recte conclusit, tum temporis consuetudinem, a priscis moribus abhorrentem, omnino fuisse vulgarem, ut minores quoque magistratus plus vice simplici uni darentur.

135) Lamprid. in Alexandr. Sever. pag. 370.

136) Gordiani tres pag. 443.

137) Eodem modo Capitolinum in vit. Maxim. et Balbin. pag. 481 viros Consulares, Praetorios, Quaestorios, Aedili-

At deinde maximis bellis internis ac externis Imperii status quum paene continuo perturbaretur, Roma ipsa, olim orbis terrarum caput florentissimum Imperatorum sedem aliis urbibus, tam in Europa quam in Asia sitis, in breviora temporis spatia cederet, antequam Constantinopolis in perpetuum sedes principalis electa veteri formae administrationis paullatim dissolutae finem imponeret, novumque redderet regimen, quod usque ad hodiernum diem cuique Europae regno proponeret normam: tum Aedilitas ad solum honoris titulum Romae redigebatur, quod itidem pluries de Consulatu non obscure in fontibus dictum est [138]. Quamvis enim etiamtum, quod ad certam Candidatorum aetatem pertinet, Aedilitas in quarto quoque seculo vulgo peteretur, fere nullius tamen habebatur momenti [139], ita ut posterioribus temporibus omnia Romano-

---

cios, Tribunicios enumerasse existimo, quos Senatus in bello contra Maximinum Thracem per omnes imperii provincias, ut populus contra hunc crudelem tyrannum excitaretur, miserit. Quae sententia mea ut affirmetur et Herodianus, quem Capitolinus ipsa profitens. pag. 487 exscripsit VIII. c. 5 („ἄνδρας τε ὑπατευκότας ἐξέπεμψεν ἡ Σύγκλητος σὺν ἐπιλέκτοις καὶ λογάσιν ἀπ' Ἰταλίας πάσης ἀνδράσιν, ἵν' αἰγιαλοί τε πάντες καὶ λιμένες φρουρῶνται, καὶ μηδενὶ ἔκπλους συγχωρῆται") et alia loca in his scriptoribus historiae augustae ostendunt, quibus, ubi sermo de negotiis gravissimis, vel de magistratibus extra ordinem gestis habetur, semper Consulares, Quaestorii sive Praetorii, nusquam vero Aedilicii in medium proferuntur, ex. gr. Capitolin. in vit. Maxim. et Balbin. pag. 485.

138) Mamertini (qui ipse Consulatum acceperat) gratiarum actio Iuliano dict. c. 2: „nam in administrationibus labor honori adiungitur, in Consulatu honor sine labore suscipitur; quibus addas eiusd. cap. 16, 17, 21 et 51 nec non Ausonii gratiar. actio Gratiano dict. c. 7.

139) Quod Latini Pacatii Panegyricus Theodosio dictus nos docet in edit. duodec. Paneg. Cellar. c. 7: „An vero quidquam putamus in Imperii tui declaratione praeteritum, quum ductam esse rationem ipsorum etiam videamus annorum? cuius

rum Aedilium vestigia evanescerent. Valde igitur cavendum est, ne Aediles in inscriptionibus vel fontibus iuridicis sive ecclesiasticis, adhuc posterius in diversis muneribus administrandis non raro occurrentes, Romae his curis functos esse censeamus, sed, quod investigatio accuratior semper nobis demonstrabit, municipiis coloniisve vindicemus [140].

---

quidem rei tanta cura fuit maioribus, ut non solum in amplissimis magistratibus adipiscendis, sed in Praeturis quoque aut Aedilitatibus capessendis aetas spectata sit petitorum."

140) Quo in argumento Ottonis dissertat. de his, qui ab Aedilitate excusantur (de Aedil. Colon. cap. 6.) iam multum collegit ac composuit.

LIBER SECUNDUS.

AEDILES ROMANI, QUOTQUOT IN SCRIPTIS VETERIBUS ALIISQUE ANTIQUITATIS MONUMENTIS REPERIUNTUR, ENUMERANTUR.

CAP. I.

DE AEDILITATIS PETITIONE, AEDILIUM CREATIONE AC NUMERO, CIVIUMQUE ORNATORUM PROGRESSIBUS IN ROMANORUM REPUBLICA ADMINISTRANDA ANTE ET POST AEDILITATEM ACCEPTAM.

Quod caput num primo libro an secundo adsignarem diu haerens, hunc potius elegi, quia plurimae res, quas complectitur, cum virorum clariorum nominibus ita arcte coniuncta sunt, ut cum eorum enumeratione, secundo tertioque capite huius libri nominatim facta, in connexu non inoptato optime describantur.

Sane quidem in reipublicae Romanorum liberae temporibus, ut res est notissima, certae regulae tum in eligendis magistratibus, tum in cuiusque magistratus annorum ordine stricte accipiendo observabantur, quas quippe, nisi in casibus extraordinariis, Romani non facile negligebant. At de singulis magistratibus diversum modum eos petendi sive creandi relatum non novimus, sed in universum inter magistratus maiores ac minores quoddam discrimen semper exstitit. Cuius autem rei documentum gravissimum nobis asservatum est a Gellio [1]), nempe e C. Tuditani commentario de-

1) Noct. Att. XIII. c. 15, quocum Varronis verba e capite proxime antecedenti et Livii III. c. 55. conferas. De Aedilium Pl., tanquam magistratus plebeii, creatione in comitiis tributis

cimo tertio et M. Messalae auguris de auspiciis libro primo, qui uterque reipublicae administrationem ante Caesarem descripserunt, verba ipsa praebente: quos hic, etiamsi pauca alia loca auctorum posteriorum iis non prorsus respondeant, transcendere non possumus, quum iam in seculo secundo p. Ch. n. Romanarumque antiquitatum studiis florentissimis iisdem maxima adtribueretur auctoritas. Isti vero docent, magistratus maiores solummodo eos nominari, qui maioribus gaudent auspiciis, i. e. Consules, Praetores, Censores, quorum numero magistratus extraordinarii, Dictatores atque Magistri equitum certo adsociari debent; minores autem reliquos magistratus, quibus auspicia sunt minora. Neque dissimilem distinctionem in creandi modo interesse inter magistratus maiores ac minores eadem testimonia confirmant: nam quod ad comitia pertinet [2]), maiores in comitiis centuriatis eligebantur, minores in tributis fiebant. Attamen veritati omnino non absimile videtur, quod in ulterioribus temporibus, Suetonii puto aetatem, magistratuum inferiorum numero multifariam aucto, dignitatum maiorum titulus latiorem inierit ambitum, Aedilesque ac Quaestores complexus sit. Nihilominus id saltem contra omnem dubitationem constare censeo, Suetonium, in Caesaris vita [3]) Aediles a magistratibus discernentem minoribus, nullo modo e Caesaris seculo significationem authenticam voluisse pro-

semper instituenda, Tribuni Voleronis Publilii rogationem ex a. 470 a. Ch. n. factam consulas in Liv. II. c. 56.

2) Quamvis huic libro annotationes meas de Romanorum comitiis post Schulzii commentationem doctam (von den Volksversammlungen d. Römer, 1815. 8.) factas inserere mihi non displiceret, has tamen schedulas, ne crebrius fines propositos transgrediar, retineo.

3) c. 41: „Praetorum, Aedilium, Quaestorum, minorum etiam magistratuum numerum ampliavit."

ferre, sed secundum sui temporis distinctionem ea scripsisse. Quodsi autem Creuzerus [4]) Aedilium Curulium creationem nonnisi in comitiis centuriatis, Plebeiorum solam in tributis factam statuit, nulla argumenta nobis exstant, quibus opinionem suam firmare posset, ne alium Gellii locum adversus eum excitem [5]), quo plane contrarium reperitur, ac manifestis verbis e vetustis L. Pisonis annalibus Aedilis Curulis in comitiis tributis renuntiatus memoratur.

De magistratuum ordine annali post Paullum Manutium [6]), Pighium [7]), Bynkershoeckium [8]) et Heinec-

4) Röm. Antiquität. §. 121: in descriptione comitiorum tributorum „Wahl gewisser niederen (quod iam obscurius dictum est, nullaque ratione recte exponi potest) Magistrate, Erinnerung an die Aediles Plebeii, im Unterschied von den Curules", unde igitur eiusdem sententia ita apparet, ut Aediles Curules in comitiis centuriatis semper creatos esse existimet: quod, si factum esset, non parvum discrimen inter Aediles Curules ac Plebeios constituisset, simulque usque ad nostrum aevum reddidisset cuique manifestum.

5) Noct. Attic. VI. c. 9: „Cn. Flavius patre libertino natus scriptum faciebat; isque in eo tempore Aedili Curuli apparebat, quo tempore Aediles subrogantur: eumque pro tribu Aedilem Curulem renuntiaverunt. At Aedilis, qui comitia habebat, negat accipere, neque sibi placere, qui scriptum faceret, eum Aedilem fieri. Cn. Flavius Annii filius dicitur tabulas posuisse, scriptu sese abdicasse: isque Aedilis Curulis factus est". Nec minus plane Dionysius Hal. IX. c. 49. omnium Aedilium creationem usque ad suam aetatem factam esse in comitiis tributis ostendit, scribens „ἀπ' ἐκείνου τοῦ χρόνου τὰ τῶν δημάρχων καὶ ἀγορανόμων ἀρχαιρέσια μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου, δίχα οἰωνῶν τε καὶ τῆς ἄλλης ὀττείας ἁπάσης, αἱ φυλετικαὶ ψηφηφοροῦσιν ἐκκλησίαι".

6) De legib. Roman. c. 6. apd. Graev. thesaur. Ant. Roman. vol. II. pag. 1643.

7) Annal. ad ann. 575. u. c. vol. II. pag. 334, quocum ceteras Livii XL. c. 44. illustrationes a Sigonio, Dukero et Drakenborchio conscriptas (in edit. Drakenb. vol. V.) coniungas.

8) Observat. iur. Roman. VI. obs. 17.

cium [9]), ut alios taceam, veterum testimonia colligere, iisque perlustratis, constitutiones ipsas magistratuum petendorum, diversis temporibus sane diversas, magis enucleare atque dubitando reddere minus obnoxias, operae plane inutilis foret. Itaque hic nil nisi Aedilitatis rationem habens, iam sufficiet, opinionem meam, quam veri simillimam nullaque testimonia offendentem arbitror, proferre in medium. Quanquam enim cum Bynkershoeckio censeo, iam ante legem annalem Tribuni Pl. L. Villii Tappuli unam eandemque aetatem honoribus capessendis fuisse praescriptam, sive legibus, sive moribus, hanc tamen regulam, quemadmodum e Polybii narratione [10]) coniectare possumus, iam constitutam cognoscimus, quod vulgariter nulli Romanorum iuveni ante dena stipendia confecta magistratum capere liceret, ergo quisque candidatus, si annum decimum octavum accipimus eiusdem stipendiorum primum, demum post annum vicesimum septimum primos altiorum magistratuum gradus, nempe Quaesturam, Aedilitatem sive Tribunatum adire posset. Sed, ut mihi videtur, forsan non cautum fuit, ne proximum sive secundum tertiumve annum post Quaesturam administratam statim ad Aedilitatem, alteroque spatio eiusdem tenoris ad Praeturam, neque aliter ad Consulatum candidati accederent; itaque fortuna faventi iam in anno tricesimo primo aetatis sive annis proxime sequentibus ex more legitimo quisque Romanus, virtute vel nobilitate excellens, summus magistratus, Consulatum etiam adipiscens, fieri posset. Vix timendum est, ne quis Ciceronis locum notissimum [11]), quo veteris Romanorum legislatoris personam induit, meae

9) Ad leg. Iul. et Pap. Popp. lib. II. c. 6. pag. 203.

10) VI. c. 19: „πολιτικὴν δὲ λαβεῖν ἀρχὴν οὐκ ἔξεστιν οὐδενὶ πρότερον, ἐὰν μὴ δέκα στρατείας ἐνιαυσίους ᾖ τετελεκώς".

11) De legib. III. c. 5. § 9.

coniecturae obtrudat, ut his quidem verbis „Aevitatem annali lege magistratus servanto" creandi normae vetustissimae mentio facta sit. Nam accuratius hanc rem perscrutanti minime moneri debet, quonam modo Cicero in quaque huius loci periodo antiquitatem et suum aevum permiscuerit, certoque in petendis creandisque magistratibus tantummodo legem Villiam, inprimis annalem [12]) dictam, respexerit. Quod autem de Scipione Africano Maiore narratur, Tribunos plebis huic Aedilitatem petenti obstitisse, atque negavisse „rationem eius habendam esse, quod nondum ad petendum legitima aetas esset." [13]), non contra me facit, neque Aedilitatem iam hoc tempore annis certis circumclusam ostendit; sed nihil aliud demonstrat, quam quod Scipio, tum demum annum vicesimum tertium iniens [14]), omnino nulli muneri in republica administranda — cui Tribuni militaris dignitas, qua Scipio iam ornatus erat, non adscribi potest — capessendo maturus dici posset, quum nondum decem stipendia militaria annua praestitisset. Caeterum mea opinio, saltem quod ad singulos magistratus eorumque administrationem in duobus annis deinceps sequentibus coniunctam spectat, non paucis comprobatur exemplis, et ita quidem, ut in his quoddam singulare, quasi contra morem vulgarem id factum esset, nusquam adnotatum legatur. Sic a. 215 a. Chr. n. Q. Fabius, qui tum Aedilis Curulis erat, in proximum annum Praetor fit [15]); a. sequenti 214 P. Sempronius Tuditanus et Cn. Fulvius Centumalus eadem Aedilitate

12) Quare huius etiam rogationis auctor cognomen Annalis in perpetuum familiae suae inditum reliquit, vid. Liv. XL. c. 43.

13) Liv. XXV. c. 2.

14) Conf. Liv. XXI. c. 46 et XXVI. c. 18.

15) Liv. XXIV. c. 9.

Curuli fungentes creantur Praetores [16]), quorum alter iam post duos annos Consul factus est [17]). Ti. Sempronius Gracchus ex eodem munere, in quo iam simul Magister equitum fuerat, statim ad Consulatum ascendit a. 215 [18]). Deinde a. 209 P. Licinius Crassus ex Aedilitate Curuli gradum ad Censuram fecit, priusquam Consulatum aut Praeturam gesserat [19]); T. Quinctius Crispinus in Praetura a. 209 Consul designatus est [20]); tum Q. Mamilius Turinus ex Aedilitate Plebeia statim Praeturam accepit a. 207 [21]), sicuti in anno proxime sequenti Spurius Lucretius atque Cn. Octavius, ambo Aediles Pl. [22]), et P. Aelius Paetus ac P. Villius Tappulus a. 204 [23]), et M. Sextius Sabinus ac Cn. Tremellius Flaccus a. 203 [24]), itidem cuncti Aedilitate Plebeia ornati, eodem munere Praeturae accepto ac utriusque magistratus coniunctione non interrupta gavisi sunt. Praeterea si quis omnia exempla modo allata belli Punici secundi angustiis, quibus ob inopiam virorum magistratibus capessendis dignorum Romani a norma vulgari aberrare potuerint, exorta esse contendat, hac difficultate privabitur, simulac primum sequentium annorum usque ad legem Villii annalem latam magistratus percenseret, similemque magistratuum tali modo petitorum atque acceptorum copiam cognosceret. Reperiuntur enim a. 200 Praetor Q. Minucius Rufus, qui anno antecedenti Aedilitate Plebeia functus

16) Liv. XXIV. c. 43.
17) Liv. XXV. c. 41.
18) Liv. XXIII. c. 30.
19) Liv. XXVII. c. 6.
20) Liv. XXVII. c. 21.
21) Liv. XXVIII. c. 10.
22) Liv. XXVIII. c. 38.
23) Liv. XXIX. c. 38.
24) Liv. XXX. c. 26.

est [25]); a. 199 Praetores L. Quinctius Flamininus et L. Valerius Flaccus, qui ex Aedilitate Curuli [26]), Cn. Baebius Tamphilus, qui ex Plebeia [27]) ad Praetoris ascenderunt dignitatem; a. 198 Praetores M. Porcius Cato et C. Helvius, qui itidem Praeturam sine intervallo cum Aedilitate Plebeia [28]) coniunxerunt. Sed aliud exemplum ex eodem anno a me proferendum est, quod adhuc magis meam opinionem firmabit. Nam T. Quinctius Flamininus, alter consul huius anni, summum accepit munus, priusquam medios gradus Aedilitatis ac Praeturae transgressus erat. Sane quidem Tribuni Pl. M. Fulvius et M' Curius eundem impedire conati sunt, quo minus ex Quaestura Consulatum petere posset, quum illis inauditum ac reipublicae perniciosum videretur, quod nobiles mediorum honorum fastidio summa imis continuare studerent. Res ad Senatum venit, qui tamen nullius annorum ordinis rationem habens, ne postulandi quidem iure tum temporis usus est, ut omnes magistratus gradatim a quoque Romano peterentur, sed simpliciter censuit: „Qui honorem, quem sibi capere per leges liceret, peteret, in eo populo creandi, quem velit, potestatem fieri, aequum esse"; inde Quaestor Flamininus ante tricesimum aetatis suae annum a populo statim Consul creatus est [29]). Postremo, ne nimia testi-

25) Liv. XXXI. c. 4.

26) Liv. XXXI. c. 4 et 49.

27) Liv. XXXI. c. 50.

28) Liv. XXXII. c. 7.

29) Liv. XXXII. c. 7. et Plutarch. vit. Flaminin. c. 2, quo autem loco verba „ἄνδρα νέον εἰς τὴν μεγίστην ἀρχὴν εἰςβιάζεσθαι παρὰ τοὺς νόμους, οἷον ἀτέλεστον ἔτι τῶν πρώτων ἱερῶν καὶ μυστηρίων τῆς πολιτείας" sine dubitatione ex mente auctoris, forsan posteriore lege annali praeoccupati, profecta sunt, neque, nulla perscrutationis e veteribus fonti-

monia coacervare videar, duo tantummodo afferam; alterum ex a. 197, ubi Consul C. Cornelius Cethegus summum imperium tenuit, qui tamen uno anno vix praeterlapso demum Aedilis Curulis fuerat, ac nondum Praeturam gesserat [30]); alterum quodammodo fere contrarium ex a. 182, quo L. Aemilius Paullus, ex nobilissima Patriciorum gente ortus, triumpho postea de Perseo Macedonum rege accepto valde elatus, demum anno undecimo post insignem Aedilitatem Curulem gestam [31]), cui iam proximo anno 192 Praeturam adsociaverat [32]), ad summum Consulatus ascendit imperium [33]), quanquam M. Aemilius Lepidus, qui Paulli collega in Aedilitate et Praetura fuerat, praeterea in Consulatu petendo bis repulsam nactus erat, nihilominus tamen hanc dignitatem iam quinque annos antea acceperat.

Non multo post L. Aemilii Paulli Consulatum Tribunus Plebis L. Villius Tappulus a. 180 a. Ch. propria rogatione sancivit, quot annos nati quemque magistratum singulum et gradatim Candidati caperent peterentque [34]). Sane nescimus certum annum cuique ma-

bus haurientis vestigia prodentia, omnino contra nostram copiam exemplorum, ex Livii annalibus accuratioribus descriptorum, quandam auctoritatem prae se ferre possunt.

30) Liv. XXXII. c. 7 et c. 27. Sed in eodem quoque anno duo Praetores C. Sempronius Tuditanus et M. Helvius ex Aedilibus Plebeiis electi erant.

31) Liv. XXXV. c. 10.

32) Liv. XXXV. c. 24.

33) Liv. XXXIX. c. 56. Alia exempla inter hos annos 196 — 184 exstant de Praetura Aedilitati Curuli continuo adsociata, ex a. 196, Liv. XXXIII. c. 24, ex a. 188, Liv. XXXVIII. c. 35, ex a. 187, ibid., XXXIX. c. 7 et 23: de Praetura cum Aedilitate Plebeia in duobus annis sequentibus coniuncta, ex a. 187, Liv. XXXVIII. c. 55 et c. 42.

34) Liv. XL. c. 43. Quae lex annalis sive annaria dicebatur, vid. Fest. s. voc. Annaria „lex dicebatur ab antiquis

gistratui constitutum, tum Livio, tum ceteris historiarum auctoribus annorum numerum plane tacentibus: attamen annum consularem quum Cicero duobus exemplis indubium nobis traderet, nempe quadragesimum tertium [35]), atque pluribus aliis locis de se narraret, ipsum Aedilitatem ac Praeturam suo anno gessisse [36]),

ea, qua finiuntur anni magistratus capiendi". Praeterea e Cicerone (Orat. Philippic. V. c. 17) discimus, veteres Romanos usque ad Scipionis Africani superioris et T. Quinctii Flaminini tempora, i. e. ad Villii aetatem ipsam, non habuisse leges annales, quas demum attulerit ambitio, „ut gradus petitionis essent inter aequales". Quod etiam non obscurius affirmat Tacitus, Annal. XI. c. 22: „apud maiores virtutis id praemium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus; ac ne aetas quidem distinguebatur, quin prima iuventa Consulatum ac Dictaturas inirent". Dissertationem, quam Aug. Fr. Schott de lege Villia annali magistratuum Romanorum Lips. 1765. 4. conscripsit, in mea disquisitione adhibere non potui.

35) Orat. Philipp. V. c. 17: „Quid? Macedo Alexander, cum ab ineunte aetate res maximas gerere coepisset, nonne tertio et tricesimo anno mortem obiit? quae est aetas nostris legibus decem annis minor, quam consularis". Eiusd. Or. de leg. agrar. c. Rull. II. c. 2: „me esse unum ex omnibus novis hominibus, de quibus meminisse possimus, qui consulatum petierim, cum primum licitum sit; consul factus sim, cum primum petierim". Sed plane constat, Ciceronem in anno quadragesimo tertio aetatis accepisse consulatum, quod tamen nunquam antea in novorum hominum petitione concessum erat, ut ex loco excitato patet: „nam profecto si recordari volueritis de novis hominibus, reperietis, eos, qui sine repulsa Consules facti sint, diuturno labore atque aliqua occasione esse factos, cum multis annis post petissent, quam Praetores fuissent, aliquanto serius, quam per aetatem ac per leges liceret; qui antem anno suo petierint, sine repulsa non esse factos". Conf. Paullum Manutium in loc. supra laudato, quo autem Brut. c. 94 omissum est „et ego anno meo consul factus essem."

36) Conf. Cic. in Pison. c. 1, Act. in Verr. II, V. c. 14, et de Offic. II. c. 17: „nam pro amplitudine honorum,

i. e. anno, quo primum hos honores capere liceret; evidenter e nostra Ciceronis vitae politicae cognitione, quae de eiusdem Praeturae Aedilitatisque omnem dubitationem demit, legalem annorum ordinem pro his tribus magistratibus capessendis coniicere possumus. Praeterea autem veri simillimum est, omnes Romanos eminentiores, quos deinde ambitiosos et in honoribus comprobatos novimus, certo in eo anno, quem primum singulis honoribus lex annalis accipere pateretur, fuisse capturos: quod adhuc certius fit, si quidem Aedilitatem ac Praeturam in uno eodemque anno hos viros nactos esse comperimus, nempe illam post annum tricesimum sextum peractum in proxime sequenti, hanc duobus annis plenis praeterlapsis in quadragesimo, ita ut Consulatus pari annorum intervallo a Praetura, quam Praetura ab Aedilitate distaret [37]).

quos cunctis suffragiis adepti sumus, nostro quidem anno, quod contigit eorum nemini, quos modo nominavi, sane exiguus sumtus Aedilitatis fuit."

37) De Aedilitatis petitione legitima in anno tricesimo sexto, aut de eiusdem administratione in tricesimo septimo, tanquam primo anno concesso, gerenda, accipias Scipionis Africani Minoris vitam, qui Aedilitatem illo anno petens legibus solutus et extra ordinem Consul factus est, Livii Epitom. l. 50, Valer. Maxim. VIII. c. 15. §. 4., Appian. de reb. Punic. c. 112, et manifestissime eius aetas a Velleio Paterc. traditur I. c. 12, et II. c. 4 in fin. „decessit anno ferme LVI, de quo si quis ambigat, recurrat ad priorem Consulatum eius, in quem creatus est anno XXXVI, ita dubitare desinet". Tum respicias C. Iulii Caesaris exemplum ex Sueton. vit. C. cap. 7 et 10, L. Luculli Aedilitatem in Cic. Quaest. Academ. II, 1. §. 1, qui tamen ob legis Corneliae praemium ex Aedilitate continuo Praetor factus est; tum Ciceronis Aedilitatem, de qua in Bruto c. 92 (quocum conf. de Offic. II. c. 17) ipse dicit: „cum igitur essem in plurimis caussis et in principibus patronis quinquennium fere versatus, tum in patrocinio Siciliensi maxime in certamen veni designatus Aedilis cum designato consule Horten-

Nunc autem quaeritur, num utramque Aedilitatem in eodem anno petitam esse putemus, an Plebeiae minorem annorum numerum adscribamus. Sane quidem plurimi, quorum primus est Paullus Manutius [38]), huic opinioni favent, et solummodo magistratus Curules ante praescriptum annum capere non licuisse, sed de Aedilitate Plebeia nihil statutum esse, si modo intra annum vicesimum sextum et tricesimum sextum peteretur, censent. Quod equidem non concedendum esse arbitror, quamvis pro mea opinione argumenta non firmissima, tamenque contrariis paria, adhibeantur.

---

sio", et duobus capitibus postea (c. 94) tradit, anno sexto post Hortensii Consulatum se ipsum cepisse hunc magistratum, unde cognoscitur, nobis eiusdem annum consularem non ignorantibus, Ciceronem in anno tricesimo septimo functum esse Aedilitate. Sed ex amborum huius libri capitum comparatione pro Hortensii magistratibus facta, idem annorum ordo accurate servatus apparet. Atque ne abundantius exemplorum collectioni, quam ex illustrandis clarorum virorum huius aetatis vitis multo uberiorem nos praebere posse quisque gnarus intelliget, operam adtribuisse videamur, ad intervallum inter Aedilitatem et Praeturam, sicuti inter Praeturam et Consulatum accuratius comprobandum, eadem Ciceronis Caesarisque exempla adhibere volumus, quibus ostenditur, tertio anno post Aedilitatem suam eosdem iniisse maiorem Praetoris dignitatem, parique annorum distantia accessisse ad Consulatum, de altero in Brut. cap. 95 et 94 (conf. nostr. annotat. 35), de altero in Sueton. c. 14, annum post Catilinae coniurationem detectam adscribenti eiusdem Praeturae adscribenti, et c. 18 et 19 de Consulatu (conf. Dio Cass. XXXVII. c. 44 et XXXVIII. c. 1—4). Quemadmodum etiam planis verbis Cicero in epistol. ad Furnium, ad Divers. X. ep. 25 hoc intervallum inter Praeturam ac Aedilitatem commemoravit; Furnium enim urbane reprehendens ob praeproperam Praeturae festinationem scripsit „ut si Aedilis fuisses, post biennium tuus annus esset", nempe ut petere posset Praeturam, neque autem, quod quidam putaverunt, hunc magistratum iam administraret.

38) De legib. Roman. c. 6.

Nam, si Aedilitatem Plebeiam atque Curulem ex lege annali Villia sine ullo aetatis discrimine, ergo tricesimo sexto anno, a candidatis petitam esse accipimus, omnem dubitationem evanescere videmus, cur paucis annis ante hanc legem Aediles Plebeii aeque ac Curules statim ex suo magistratu nacti sint Praeturam [39]), cur etiam postea idem pluries factum sit, aut Tribunitii antiquo Aedilium Pl. officio erga Tribunos Pl. plane neglecto post Tribunatum Plebis iam gestum quaesiverint Aedilitatem Plebeiam, e qua iusto intervallo transgresso, omnino Curulem non ambientes, creati sint Praetores [40]): unde quoque elucet iam tum temporis ac maiori quidem gradu etiam posterius opinionem publicam non multum distinxisse inter Aedilitatem Plebeiam ac Curulem, quum illa haud dubie tunc graviori gauderet auctoritate quam antea.

Quod autem ad Quaesturam et Tribunatum Pl. spectat, in quibus vulgariter curriculi publici tirocinia exercebantur, quae vero nihilominus, ac inprimis quidem Tribunatus, aetati provectiori persaepe demandabantur, sive ex proposito publici commodi incommodive caussa [41]), sive forsan fortuna non prius Candidato faventi, conari non possumus aliquid affirmare de anno, quo primum eos capessere liceret. At iam

39) Livii XXVIII. c. 10; XXX. c. 26; XXXI. c. 50; XXXII. c. 7 et al. exempl.

40) De Laelio tertio anno post Tribunatum Pl., aetatis autem quadragesimo primo vel secundo, Aedili Pl. facto videas, quae Ellendt. in prolegomenis ad Ciceron. Brut. pag. 26 — 27 collegit, ubi Aedilitatis tamen annus in 605 corrigi debet: ac plura alia exempla Aedilitatis secundo, tertio, quarto vel adhuc posteriore anno post Tribunatum acceptae congessit Pighius in Annalibus sexti et septimi seculi urb. condit.

41) Nec minus de hac re Pighii Annalium libri excitati largam exemplorum copiam praebent, quorum notissima etiam vulgaria compendia historiarum susceperunt.

dudum ab aliis monitum est, Caesaris, Ciceronis ceterorumque virorum clarissimorum exempla, quorum vitas ex grandiore fontium ubertate accuratius cognoscere permissum est, de hac quaestione plane nos reliquisse in ambiguo; quia ante perdita reipublicae tempora Patricii Tribunatum ambire semper prohibebantur, nec minus quisque eques aut gentibus Plebeiis exortus, ad altiora tendens, ullo pacto ad Tribunatum ascendere obligatus erat, sed per Quaesturam solam, legum conditionibus expletis, statim comitiis Aedilitiis obviam se ferre poterat; denique quia tum Quaestura, tum Tribunatus Pl. prae ceteris magistratibus, quemadmodum etiam fungentium numerus rem reddebat necessariam, magna ex parte pluries ab uno eodemque viro administrabantur, et solummodo iam secundo seculo ante Chr. in plures annos continuabantur [42]). Quibus caussis nunc igitur multo difficilius factum est, ut e singulorum Quaesturis ac Tribunatibus, qui aetatis annos competentium tam diversos significant, **primus horum magistratuum annus legitimus** coniiciatur. Attamen id mihi constare videtur, Quaesturam illico post annum vicesimum sextum [43]), ante

42) Plutarch., C. Gracch. vit. c. 2.

43) Manutius de leg. Rom. c. 6 init. non validis armis contra hanc opinionem his verbis dimicat: „quod si quis dixerit, liberam fuisse, quo quis anno vallet, Quaesturae petitionem, modo peteretur post annum XXVI, qui esset ad petendum legitimus; ideo mirum videri non debere, si Cicero, Caesar at Cato, non eodem omnes anno, petierint, quandoquidem satis duxerint leges observare, quae petendae Quaesturae annum definiebant XXVI, gerendae XXVII, hoc si quis obiecerit, ad coniecturam, id est ad rationem ipsam, confugiam. Quid enim? Simile ne veri est, C. Caesarem (omitto Ciceronem, cui tamen, cum homo novus esset, laborandum maxime fuit de dignitate, nec, quae prima daretur, occasio negligenda) sed C. Caesarem, quo nemo magis honores appetivit, nemo potestatis et imperii fuit avidior, eum ne verisimile est petitio-

quem vero antiquissimae legi annali de denis stipendiis confectis nunquam satisfieri posset, accipi esse concessum, quum ex his temporibus usque ad Syllam Quaesturae, in minore aetate secundum legum ordinem susceptae, nullum nobis exstat documentum, de Gracchis autem diserte memoratur, eosdem in anno vicesimo septimo functos esse Quaestura [44]), ac nullo modo id extra ordinem factum esse adnotatur. Sed Tribunatus Plebis omnino intra eosdem annorum fines coercitum esse censeri debet, eo modo discrimine, ut nisi ex lege,

---

nem Quaesturae ab auno XXVI, si is legitimus esset, in annum XXXII distulisse? Gestam enim ab eo Quaesturam anno XXXIII Suetonius Caes. c. 7 demonstrat." At Manutius plane oblitus est, Quaesturae administrationem nihil efficere potuisse in ceteris magistratibus celerius capiendis, ita ut, si in anno XXVII ea teneretur, plenum novem annorum intervallum usque ad Aedilitatis petitionem superesset necesse esset, facile igitur tempus opportunius quiete exspectari posset, quum nulla occasio maiorem adipiscendi dignitatem perderetur, impensae autem huius magistratus nentiquam parvae (Cic. pro Planc. c. 26) fructuum spem praeberent tam remotam. Praeterea accedit, quod Quaesturae honos hac aetate non magni aestimaretur, ob minorem tamen repulsae metum plerumque a Candidatorum turba premeretur, etsi multi quidem Quaesturam sive Tribunatum transgredi nunquam conari vellent. Quod autem ad ista exempla allata attinet, tota Ciceronis, Caesaris ac Catonis vita sufficienter demonstrat, cur Cicero gloria militari prorsus destitutus, non maturius ambitioni suae cadere posset, nisi repulsae periculum inira vereretur, Caesaris vero et Catonis voluntas de tempore ipso dependens, tam diu eos ratineret a honoris nil valentis petitione. Quibus ex argumentis Pighii quoque conieoturam de Quaestura in Annal. II. pag. 554 propositam, emendandam esse arbitror.

44) Plutarch. Tib. Gracch. c. 5; sed is occisus est 133 a. Ch. mox annum tricesimum iniens, unde ex eiusdem vitae descriptione annus vicesimus septimus cadit in Tiberii Quaesturam: Caius Gracchus fratre novem annis minor fuit (Plutarch. C. Gracch. c. 1) et adeptus est Quaesturam a. 126, statim igitur post annum vicesimum sextum perfectum.

tamen ex usu plerumque post Quaesturam gestam hac periodo demum quaereretur a Plebeiis, quem morem solennem cuiusque anni commentarii satis testantur [45]).

Sed de his magistratibus universae Romanorum administrationis ordinariis solummodo hoc capite sermo esse potest, quia potestas Censoria neque aetatis annorum, neque maioris petentium numeri rationem habere, vix igitur eminentissimos viros coronare poterat, ceterae autem dignitates aut extraordinariae, aut ad religionis ritus perficiendos celebrandosque pertinentes, aut militares sunt. Quarum quidem ulteriorum Tribunatus militum a quibusdam quasi primus civium honorum gradus, Quaesturam etiam antecedens, dictus est, quum hoc munus a nobilibus iuvenibus iam post quina stipendia militaria confecta, anno igitur vicesimo secundo, suscipi permissum esset, atque vulgariter in comitiis Consularibus post Consulum creationem minor sive interdum dimidia Tribunorum pars ex talibus iuvenibus eligeretur [46]), reliqui autem ad ne-

45) Praeter utriusque Gracchi exempla adnumerentur Catonis Maioris et Minoris Tribunatus, Plutarch. vit Cat. Mai. c. 5, et v. Cat. Min. c. 16 et 20, tum M. Livii Drusi Aurel. Vict. de vir. ill. c. 66, Cn. Plancii Tribunatus Cic. or. pr. Planc. c. 11 et 25; denique Qninti Sertorii Tribunatus repulsa post Qnaesturam gestam Plutarch. vit. Sertor. c. 4 et M. Iunii Laterensis Tribunatus petitio post Quaesturam Cyrenaicam Cic. pr. Planc. cap. 5: at C. Marium Qnaestura penitus praetermissa Tribunum Pl. factum esse axistimo Plutarch. Mar. c. 4.

46) Polyb. VI. c. 19: „ἐπειδὰν ἀποδείξωσι τοὺς ὑπάτους, μετὰ ταῦτα χιλιάρχους καθιστᾶσι, τεσσαρεσκαίδεκα μέν, ἐκ τῶν πέντε ἐνιαυσίους ἐχόντων ἤδη στρατείας, δέκα δ' ἄλλους σὺν τούτοις, ἐκ τῶν δέκα (ἐνιαυσ. στρατ.)· τῶν λοιπῶν τοὺς μὲν ἱππεῖς δέκα" a. q. s. Conf. Livii VII. c. 5; IX. c. 30; XLIV. c. 21. Cuius usus in pariodo dicta semper adhibiti documento sunt Liv. XXII. c. 55, cunctae Plutarchi Romanorum vitae praeter Ciceronis Pompeiique, tum Aurelius Victor de

cessarium militiae commodum peritioribus ac provectioribus reservaretur militibus, quibus tamen saepissime non alios petere honores in mente fuit: unde ergo patet, hunc honorem in sensu strictiore non ad ceteros totius reipublicae administrandae magistratus esse adtrahendum, etiamsi ne considerare quidem volumus, interdum viros excellentiores sine Tribunatu militum gesto ad summum accessisse imperium [47]), aut post munera maiora honorifice iam gesta demum Tribunatum obiisse militarem, aut iterum repetisse [48]).

Quae lex Villia annalis per quinquaginta annos sine ulla permutatione permansisse videtur usque ad Tribunum Plebis Q. Pinarium Ruscam, cuius Tribunatui Pighius [49]) non contra fontium auctoritatem annum 181 a. Ch. n. assignat. Is autem legem Villiam minime renovare, quod vix necesse fuisset, sed plane novam annalem in medium proferre studuit, quemadmodum Cicero nos suspicari iubet [50]), verbis tamen adeo ob-

vir. illustr. huius temporis, tum Cicero pr. Planc. c. 11 pluribusque aliis loc., et Cornel. Nep. v. Caton. c. 1.

47) Quod notissimum est e Ciceronis vita, nisi Pompeii quoque curriculò, ubique leges transgredienti uti velim. L. Marcius Philippus in petendo Tribunatu militum etiam repulsam patiens, summos tamen honores postea adeptus est. Cicer. pro Planc. c. 21.

48) Sicuti in angustiis bellicis fieri solebat Liv. XLIV. c. 21. „Senatus decrevit, ut in octo legiones parem numerum Tribunorum Consules et populus crearent: creari autem neminem eo anno placere, nisi qui honorem gessisset." Liv. XLIII., c. 5. „eodem tempore de C. Cassio, qui Consul priore anno fuerat, tum Tribunus militum in Macedonia cum A. Hostilio erat, querelae ad Senatum delatae sunt."

49) Annal. III. pag. 16.

50) Cic. de Orator. II. c. 65: „ut olim Rusca, cum legem ferret annalem, dissuasor M. Servilius, Dic mihi, inquit, M. Pinari, num, si contra te dixero, mihi male dicturus es, ut ceteris fecisti?" „„Ut sementem feceris, ita metes"" inquit."

scuris, ut ne confirmare quidem audeamus, num contra legem Villiam annorum exspectationis sublevandae rogationem ferre, an illam legem ipsam in singulis conditionibus reddere adhuc severiorem Rusca voluerit. Mihi quidem, verbis excitatis accurate perpensis, magis illa sententia quam haec veritatis speciem arridere videtur, eoque magis, quum certo Ruscae rogatio a populo non probaretur, igiturque nonnisi isto Ciceronis loco eiusdem mentio fieret: nam in hac aetate, Candidatorum copia magistratuum petitionem magis magisque prementi, Patriciis autem cum Plebeiis sempiternam contentionem adhuc acrius prodentibus, quaeque rogatio fere unicum iuvenum nobilium festinationis superbiaeque remedium tollere minitans, apud viros bonos necessario repudiationis periculum subire atque interrogationem commoveré debuit, qualis a M. Servilio facta legitur. Sed magis etiam ex exemplis posterioris aetatis usque ad Syllae reditum cognoscitur, legem Villiam prorsus integram esse relictam in observandis annis. Quod autem ad has bellorum civilium turbas adtinet, quae fere ubique rerum ordinem constitutionesque sanctas aut impediverunt coërcueruntque, aut plane disiecerunt, omnino non cunctorum civium commodo lex annalis sublata est a Dictatore Sylla, sed solummodo eorum, qui inprimis eiusdem partibus faverant [51]): unde etiam haec

51) Quam gratiam L. Lucullus expertus est, Cic. Acad. Quaest. II. c. 1. „L. Lucullus in Asiam Quaestor profectus ibi permultos annos admirabili quadam laude provinciae praefuit; deinde absens factus Aedilis, continuo Praetor (licebat enim celerius legis praemio); post in Africam, inde ad Consulatum". At Ernestii opinionem in clavi Ciceroniana propositam, quae hanc constitutionem quandam partem fuisse legis Corneliae de proscriptis prodit, omnino non probare possum, sed cum Anton. Augustino (de legibus libr. 5. voc. l. Cornel. de ordin. magistr. in Graevii thes. II. pag. 1195) legem peculiarem censeo.

legis exceptio non diu supra Syllae mortem in auctoritate permansit. Quod optime Cn. Pompeii M. exemplum ostendit; is enim huius legis Corneliae beneficio quasdam provincias imperiaque proconsularia in aetate admodum iuvenili adeptus est [52]), sed octo annis postea quum non paucae constitutiones Cornelianae, atque maxime quae ad generalem reipublicae administrationem spectant, ad irritum redactae essent, Pompeius insigni etiam triumpho iamdiu gloriatus proprio Senatusconsulto, neque sine magna amicorum contentione, legibus solvi debuit, ut Consul ante creari posset, quam per legem annalem licuisset [53]). Tum in temporibus utriusque Triumviratus non raro similia praemia sive singularibus meritis civium ardenter illis addictorum, sive gratis vinculis propinquitatis concessa sunt, ita ut tum venia aetatis, tum praetermissio quarundam dignitatum Candidatis tribueretur, de quibus tamen ex Imperatorum aevo iam sufficienter in capite antecedenti disseruimus, paucaque modo arctius cum his cohaerentia reponentes nunc inserere volumus.

Vix dubitandum videtur, quin Caesar, Octavianus (cuius autem consulatum iam vicesimo anno militum vi comparatum, sine ullo exemplo priori apud Romanos exstantem prorsus excipimus) successoresque in magistratuum electione, quam cum populo quasi ad

---

52) Cic. pro leg. Manil. c. 21. „Quid tam praeter consuetudinem, quam homini peradolescenti, cuius a senatorio gradu aetas longe abesset, imperium atque exercitum dari? Siciliam permitti atque Africam, bellumque in ea administrandum? fuit in his provinciis singulari innocentia, gravitate, virtute; bellum in Africa maximum confecit. Quid vero tam inauditum, quam equitem Romanum triumphare?"

53) Ibid., quo loc. autem verba „quam ullum alium magistratum", nonnisi de magistratibus Curulibus intelligenda esse quisque agnoscet, qui memor est Pompeii anno tricesimo sexto aetatis Consulatum petituri.

dimidiam partem dividerant [54]), inter suarum partium Candidatos prorsus ab arbitrio lubito dependentes, debitam rationem et annorum et magistratuum gradatim petendorum saepissime neglexissent, quum Senatus ipse mox servitute deditissima eos legum imperio non audientes esse debere docuisset. Attamen Imperatores non vulgariter contra leges creavisse magistratus, sed potius novis edictis partim annos, partim honorum gradus diminuendo pro singulis annis certisque hominibus adiuvandi copiam dedisse vidimus [55]); quemadmodum iam ab Augusto atque Tiberio adolescentibus, quibuscum cognatione propinqua iuncti erant, permissum est, Quaesturam quinquennio [56]), maiores autem

---

54) Sueton. Caes. c. 41. „Comitia cum populo partitus est; ut exceptis Consulatus competitoribus, de caetero numero Candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur; pro parte altera, quos ipse edidisset."

55) Exempla iam attuli in capite ultimo libri primi; sed ex Maecenatis oratione, certo ad constitutionem posterioris aetatis composita, apud Dion. Cass. LII. c. 20 colligi potest, Aedilitatem Tribunatumque Pl., sicuti iam antea Quaesturam solam, creberrime ante annum tricesimum cepisse iuvenes, Praeturam tamen multoque magis Consulatum reservatum esse aetati provectiori „ταμιεύσαντές τε καὶ ἀγορανομήσαντες, ἢ δημαρχήσαντες, στρατηγείτωσαν, τριακοντοῦται γενόμενοι." Confer. Plin. Epist. X. ep. 85 ad Traianum scripta: „Cautum est Pompeia lege, quae Bithynis data est, ne quis capiat magistratum, neve sit in Senatu minor annorum triginta; eadem lege comprehensum est, ut qui ceperint magistratum, sint in Senatu. Sequutum est dein edictum divi Augusti" (quod haud dubie in universum omnibus Romanorum civitatibus provinciisque datum esse censeo) „quo permisit minores magistratus ab annis duobus et viginti capere."

56) Tacit. Annal. I. c. 3 et III. c. 29; Vellei. Paterc. II. c. 94; Dio Cass. LIII. c. 28; LX. c. 5; Sueton. Tiber. c. 9, Caligul. c. 1. De Aedilitate et Praetura in duobus annis sequentibus coniuncta ex Augusti tempore Vell. Paterc. II. c. 94.

magistratus decennio maturius [57]) appetere, quam per leges liceret. Sed postea quoque similes veniae aetatis concessiones e Flaviorum, Antoninorum posteriorumque Augustorum imperio usque ad seculum quartum memorantur [58]), quae simul demonstrant, legem annalem quibusdam formulis permutatis utentem tam diu exstitisse apud Romanos, quamdiu forma veteris reipublicae administrationis antiquorumque magistratuum nomina sub monarchiae perstiterint imperio.

Quod pari modo de Aedilium numero dici potest, qui postquam ex duobus, sicuti supra in muneris historia exposui, sub Iulii Caesaris regimine usque ad sex creverat, eandem magnitudinem, Cerealium, Curulium Plebeiorumque distinctionibus iamdiu exoletis, retinebat [59]), donec Aedilitas ipsa nomen peculiare

---

57) Dio. Cass. LIII. c. 28: τῷ τε Μαρκέλλῳ βουλεύειν τε ἐν τοῖς ἐστρατηγηκόσι, καὶ τὴν ὑπατείαν δέκα θᾶττον ἔτεσιν ἤπερ ἐνενόμιστο, αἰτῆσαι". Tiberius vero minora Augusti favore gaudens quinquennii modo remissionem in maioribus nactus est magistratibus, ibid. „καὶ τῷ Τιβερίῳ, πέντε πρὸ ἑκάστης ἀρχῆς ἔτεσι τὸ αὐτὸ τοῦτο ποιῆσαι ἐδόθη".

58) Plin. Epist. VII. ep. 16; Iul. Capitolin. in Antonin. Pii v. init. pag. 52 et 58; Spartian. in Did. Iulian. v. init. pag. 169.

59) Sueton. Vespasian. c. 2. „Aedilitatis ac mox Praeturae Candidatus, illam non sine repulsa, sextoque loco vix adeptus est". Pompon. de orig. iur. §. 34, at ex tertio seculo p. Ch. n. Dio. Cass. XLIII. c. 51 testimonium affert, suo quoque tempore eundem Aedilium numerum, quem Caesar instituit, eandemque denominationem adhuc salvum fuisse: „καὶ ἀγορανόμοι, τότε πρῶτον, δύο μὲν καὶ ἐξ εὐπατριδῶν, τέσσαρες δὲ ἐκ τοῦ πλήθους· ὧν οἱ δύο τὴν ἀπὸ τῆς Δήμητρος ἐπίκλησιν φέρουσιν· ὅπερ που καὶ ἐς τόδε ἐξ ἐκείνου καταδειχθὲν ἐμμεμένηκε". Sane quidem ex Livii loci XXIV. c. 43 lectione perversa iam in belli Punici secundi aevo quinque Aediles prodeunt, quorum tres Curulis dignitatem habuisse dicuntur, P. Sempronius Tuditanus, Cn. Fulvius Centumalus et M. Aemilius Lepidus: sed magnam si discrepantiam lectionis h. loc. in codicibus respici-

amitteret, etsi eiusdem munera necessaria rerum civilium conjunctione expostulata, nunquam in civitate quodammodo apte ordinata deesse possent.

Nunc ad usus conditionesque in petenda Aedilitate adhibitos pergentes, in iis, qui cuique magistratui communes reperiuntur, non morari volumus, neque in parentum votis ac circuitione per templa pro bono filiorum eventu facta [60]), nec in Candidatorum ambiendi, prensandi, nomenclatores divisoresque adhibendi modis [61]), nec in ambitus criminis descriptione

---

mus, quamvis nullus eorum veram lectionem praebet, tum si nominum M. Atilii et M. Aemilii similitudinis non parvae, quae ignaros librarios facile ad scribendi errorem seducere, nomenque Aemilii unum sive duos versus postponere potuit, rationem babemus; coniecturam valde probabilem me facere existimo, locum sic legendum esse censentem: „Praetores fiunt M. Atilius et M. Aemilius Lepidus" (qui ambo secundo anno antea Aediles, alter Plebeius, alter Curulis, ex aequa Pighii computatione fuerant) „et qui tum Aediles Curules erant, P. Sempronius Tuditanus et Cn. Fulvius Centumalus". Quo facto iustus numerus quatnor Aedilium servatur.

60) Polyb. X. c. 4 de Scipionis matre, occasione filii natu maioris Aedilitatem petentis, narrat: „θεορῶν γὰρ τὴν μητέρα περιπορευομένην τοὺς νέως καὶ θύουσαν τοῖς θεοῖς ὑπὲρ τ' ἀδελφοῦ, καὶ καθόλου μεγάλην προςδοκίαν ἔχουσαν ὑπὲρ τοῦ μέλλοντος, ἧς μόνης ἔμελεν αὐτῷ."

61) Cic. de Orat. I. cap. 1, 24 et 56, pro Planc. c. 4 et c. 19 da tribuum divisoribus, pro Muren. c. 36; Epist. ad Attic. IV, 1 ad Quint. Cic. II, 2; tum Q. Cicer. de pet. Cons. c. 8—11 et Valer. Maxim. IV. c. 5. §. 3 et 4. Sed duo exempla vividis coloribus Aedilitatis petitionem ipsam pingentia fontium verbis describo. Alterum e reipublicae florentis aetate narratur a Valer. Maxim. VII. c. 5. §. 22: „P. autem Scipio Nasica, togatae potentiae clarissimum lumen, is qui Consul Iugurthae bellum indixit, qui matrem Idaeam Phrygicis sedibus ad nostras aras focosque migrantem sanctissimis manibus excepit, ... cum Aedilitatem Curulem adolescens peteret, manumque cniusdam rustico opere duratam, more Candidato-

ac coërcitione [62]), nec in togae candidissimae consuetudine, Candidatis in comitiorum diebus usitata [63]), nec denique in auspiciis, quae iam anno vicesimo secundo post primam Aedilium creationem e comitiis tributis sublata sunt, aliisque ritibus, religione morumque antiquitate praescriptis [64]). Minus etiam exem-

---

rum tenacius prehendisset, ioci gratia interrogavit eum, num manibus solitus esset ambulare. Quod dictum a circumstantibus exceptum, ad populum manavit, caussamque repulsae Scipioni attulit: omnes namque rusticae tribus paupertatem sibi ab eo exprobratam iudicantes, iram suam adversus contumeliosam eius urbanitatem distrinxerunt." Alterum idemque studium easdemque artes in Aedilitate sub Traiani imperio petenda traditur a Plinio, Epistol. VIII, 28, qua obitum Aviti, Aedilis designati dolet: „Qua industria, qua modestia Quaestor consulibus suis (et plures habuit) non minus iucundus et gratus, quam usui fuit? Quo discursu, qua vigilantia, hanc ipsam Aedilitatem, cui praereptus est, petiit? Quod vel maxime dolorem meum exulcerat: observantur oculis cassi labores et infructuosae preces, et honor quem meruit tantum. Redit animo illa latus clavus, in penatibus meis sumtus; redeunt illa prima, illa postrema suffragia mea, illi sermones, illae consultationes" (in init. epist. autem scripsit „Avitus latum clavum in domo mea induerat, suffragio meo adiutus in petendis honoribus fuerat").

62) Cic. pr. Planc. c. 19 et 20.

63) Polyb. X. c. 4, Valer. Maxim. IV. c. 5. §. 5.

64) Liv. VI. c. 41 prae ceteris de his rebus nos docet, simulque ostendit, antiquitus magistratus plebeios, ergo quoque Aediles Pl. sine auspiciis esse creatos. Conf. Dionys. Halic. IX. c 49; quem locum iam in annot. 5. huius capit. adscripsi, de auspiciis in comitiis tributis sublatis. De diversa interpretatione auspiciorum optime audiendus est Cicero de Divinat. II. c. 35 et sequent., atque de comitiis habendis c. 35: „Fulmen sinistrum auspicium optimum habemus ad omnes res, praeterquam ad comitia: quod quidem institutum reipublicae caussa est, ut comitiorum vel in iudiciis populi, vel in iura legum, vel in creandis magistratibus, principes civitatis essent interpretes. At Ti. Gracchi litteris Scipio et Figulus, quod augures iudi-

pla hic proferri et copiosius exponi possunt, quibus plures Romani aut militari gloria aut fallacibus demagogorum artibus aut integriore populi favore freti, tum urbis quietem perturbantes, tum sanctas leges offendentes, dignitates potius per vim abstulerunt, quam per lubentia plurium suffragia acquisiverunt, inter quos praeter Gracchos C. Marius primum locum tenet, qui iam eodem tempore et Arpini et Romae plus quam semel repulsis laesus, tandem Quaestor factus secundum Valerii Maximi testimonium [65]) magis in curiam irrupit quam venit, in Tribunatus tamen ac Aedilitatis petitione consimilem campi notam expertus et Praeturam demum ultimo loco neque sine illiciti ambitus accusatione nactus est. Quid memorem eiusdem viri Consulatum ultimum, Cinnae Mariique iunioris honores, quid Catilinam et P. Clodium [66]); quid Caesarem, Pompeium et Crassum, quid denique tempora post Caesaris mortem, quae nullam reipublicae institutionem inprimisque in magistratibus accipiendis sive concedendis intactam ac illaesam reliquerunt [67]).

Comitiis autem, quae ordinariorum magistratuum creandorum caussa haberentur, semper is magistratus praeerat, in cuius locum successor anni sequentis de-

---

cassent, eos vitio creatos esse, magistratu se abdicaverunt." Denique consulas, quae Manutius, Ernestius Heineccius que de lege Aelia commentati sunt.

65) Lib. VI. c. 9 §. 14 et Plutarch. Mar. c. 4 et 5. De Marii repulsis conf. Cic. pr. Plancio c. 21.

66) De cuius viri remediis dolosis facillima edocemur Ciceron. Orat. pr. Milone c. 2, 5, 15 et de Offic. II. c. 17.

67) Sane quidam illi tredecim anni usque ad pugnam Actiacam significantur, quorum priores praeter violentes secundi Triumviratus impetus in totam administrationem, Fulviae M. Antonii uxoris et fratris C. Antonii artes versutae, praecipue in magistratibus suarum partium sectatoribus destinandis, non parum reddiderunt odiosos.

signaretur, itaque comitiis Aedilitiis praeerant in reipublicae temporibus diversis diebus Aediles aut Plebeii aut Curules [68]), quotiescunque Aediles Plebeii Curulesve eligerentur; sub Imperatoribus vero, donec creandi ius comitiis adhuc reservaretur, omnes sex Aediles uno eodemque die in iisdem comitiis fiebant [69]): unde etiam non omnes sed duos modo Aediles (fortasse quibus honor Curulis fuerit) praesedisse verisimile est. Sed Aedilium praesidentium ante Caesarum regimen officium erat, tribuum creantium voluntates ita moderari, ut omnibus solennibus rite perpetratis, legibusque annalibus accurate observatis, nullus civis inhonesto loco natus, aut cuius pater humili quaestui incubuisset [70]), aut ipse sive bello a hostibus ca-

68) Gell. noct. Attic. VI. c. 9. „Cn. Flavius in eo tempore Aedili Curuli apparebat, quo tempore Aediles subrogantur: eumque pro tribu Aedilem Curulem renuntiaverunt"; conf. not. 70 seq. et Liv. X. c. 9. Plancii exemplum contrarium (Cic. pro Plancio c. 20), quia is in comitiis Consularibus Aedilis creatus est, a Cicerone ipso mirum habetur, et tantummodo in illis temporum angustiis excosatum esse potest. — Praeterea de variis comitiorum creandi causa institutorum generibus, utpote Consularibus, Praetoriis, Aediliciis, Quaestoriis hic aliquid addere, sana rem supervacaneam existimo.

69) Sueton. in Vespas. c. 2. „Aedilitatis ac mox Praeturae Candidatus, illam non sine repulsa, sextoque loco vix adeptus est."

70) Liv. IX. c. 46: „Eodem anno (504 a. C. n) Cn. Flavius Cn. filius scriba" (Appii Caeci ex Plinio) „patre libertino, humili fortuna ortus, ceterum callidus vir et facundus, Aedilis Curulis fuit. Invenio in quibusdam Annalibus, quum adpareret Aedilibus, fierique se pro tribu Aedilem videret, neque accipi nomen, quia scriptum faceret; tabulam posuisse et iurasse, se scriptum non facturum, quem aliquanto ante desiisse scriptum facere, arguit Macer Licinius, Tribunatu ante gesto Triumviratibusque, nocturno altero, altero coloniae deducendae". Gell. Noct. Att. VI. c. 9 eadem repetit ex optimo fonte:

ptus [71]), sive alio modo custodiae sortem patiens, in tempore filii designandi propriae libertatis arbitrio non gavisus esset, Aedilis Curulis Plebeiusve crearetur. Porro quod ad Aediles Pl. tantummodo adtinet, praesides cavere debebant, ne quis contra legum sanctionem ad hoc munus designari posset, cuius pater sella Curuli sedisset creationisque tempore etsi Roma remotus adhuc viveret [72]).

„Quod res videbatur memoratu digna, quam fecisse Cn. Flavium Annii filium Aedilem Curulem L. Piso in tertio Annali scripsit, eaque res perquam pure et venuste narrata a Pisone: locum istum totum huc ex Pisonis Annali transposuimus. Cn., inquit, Flavius patre libertino natus scriptum faciebat. At Aedilis, qui comitia habebat, negat accipere, neque sibi placere, qui scriptum faceret, eum Aedilem fieri. Cn. Flavius Annii filius dicitur tabulas posuisse, scriptu sese abdicasse; isque Aedilis Curulis factus est." Conf. Plin. hist. nat. XVIII. c. 1; Cic. ad Attic. VI, 1; Valer. Maxim. II. c. 5. §. 2. Pompon. de origin. iur. §. 6—7.

71) Liv. XXVII. c. 21: „Servilium negabant iure aut Tribunum Pl. fuisse, aut Aedilem esse; quod patrem eius, quem Triumvirum agrarium occisum a Boiis circa Mutinam esse opinio per decem annos fuerat, vivere atque in hostium potestate esse, satis constabat."

72) Liv. XXX. c. 19: „Latum ad populum est, ne C. Servilio" (ipso tum Consule) „fraudi esset, quod patre, qui sella Curuli sedisset, vivo, quum id ignoraret, Tribunus Plebis atque Aedilis Pl. fuisset, contra quam sanctum legibus erat." Vid. Dukeri adnotationem ad h. loc., varias interpretationes maximeque inanes colligentem in edit. Drakenborch., ubi nihilominus autem vir doctissimus difficultatem sibi ipsi excitatam enucleare nescit. Nam captivitatem Servilii patris ex loc. in nota antecedenti laudato argumentum solum assumit, quamobrem C. Servilius contra leges ad magistratus minores maioresque accessisset, itaque ignorare fatetur, cur Servilius non eadem ratione illicite Praetor et Consul factus esset. Sed plane neglexit Dukerus, hoc capite tantummodo sermonem esse de laesione legum, quae vivi patris, dignitate Curuli ornati, filium tum temporis omnino magistratus Plebeios petere

Quodsi quid aut consulto, aut praesidum negligentia aut ulla alia caussa fortuita, quae penitus non considerari posset, contra hunc creandi modum in comitiis perficeretur, tota creatio fiebat vitiosa, et magistratus tali vitio creati munere se abdicare coacti erant [73]): quod etiam in republica prorsus adhuc libera non raro de Aedilibus commissum est, ut M. Catonis Censorini oratio de Aedilibus vitio creatis habita ostendit, cuius paucula quaedam fragmenta nobis reservavit Gellius [74]). Mensis, quo comitia haberi solebant, non accurate significari potest, sed diversis temporibus diversum ipsum fuisse apparet e comitiorum Consularium analogia: Ciceronis quidem aetate in mense Ianuario habita esse eiusdem epistola ad Quintum fratrem scripta testatur [75]). At Aedilitatis Candidati iam in antiquioribus temporibus a creandi comitiis interdum abesse poterant, si quidem belli perficiendi necessitas eosdem retineret, quemadmodum e Livii nar-

---

prohiberant: unde ergo elucat, in C. Servilii magistratibus duplex vitium esse commissum, quo utroque ipse solveretur necesse erat, alterum quod in universum civis captivi filius magistratuum honores nactus esset, alterum, quod dum pater, Curuli dignitate, nempe Praetoria e Pighii Annalibus, ornatus viveret, munerum Plebeiorum petitionem subire ausus esset. Sed Consul Servilius ipse hanc vitiosae creationis culpam non sustinuit, quia patris vitam ignoravit.

75) Liv. IV. c. 7. Tribuni militum Consulari potestate vitio creati sunt, „quod C. Curtius, qui eorum comitiis praefuerat, parum recte tabernaculum cepisset; ibid. X. c. 47 de Tribunis Pl. et XXX. c. 59 de Aedilibus Pl. vitio creatis. Cf. Gruchii de comit. apud Romanos II. o. 4 in Graev. thes. A. R. tom. I.

74) Noct. Attic. XIII. c. 17.

75) Ad Quint. fratr. II. c. 2. „Sed omnia sunt tardiora (e. g. aedificatio quoque) propter furiosae Aedilitatis exspectationem. Nam comitia sine mora future videntur; edicta sunt a. d. XI. Cal. Febr."

ratione certiores facti sumus de C. Cornelio Cethego[76], qui anno post secundum bellum Punicum finitum provinciam Hispaniam imperio proconsulari obtinens Aedilis Curulis creatus est, et tum demum peculiari plebiscito Romam ad magistratum gerendum venire iussus est. Deinde vero in ultimo reipublicae liberae seculo talem concessionem saepius permissam esse existimo, quum ex. c. L. Lucullus absens Aedilis factus [77]) hac gratia non legis Corneliae praemio frueretur, sed potius ob eam consuetum annorum intervallum omittere, statimque Aedilitati Praeturam adiungere posset. Num absentis etiam creatio in muneribus superioribus iam tum temporis eodem modo licita fuerit, valde dubito secundum C. Marii Maioris exemplum, cuius prima Consulatus petitio eum necessario Romam revocavit, posteriores vero Consulatus, etsi legis solutionem huius magistratus toties iterati considerare nolumus, absenti quidem oblati omnem consuetudinem priorem ex disertis testium verbis [78]) laeserunt.

Sed cuiusque magistratus Candidati, priusquam muneris administrationem inirent, aut saltem quinque primos muneris gerendi dies non transcenderent, in leges iurare debebant, se eas stricte observaturos ac ne minimam quidem earum formulam violaturos

76) Lib. XXXI. c. 49 et 50.

77) Cic. Quaest. Academ. II. c. 1.

78) Plutarch. Mar. c. 12. „καὶ τὸ δεύτερον ὕπατος ἀπεδείχθη, τοῦ μὲν νόμου κωλύοντος ἀπόντα, καὶ μὴ διαλιπόντα χρόνον ὡρισμένον, αὖθις αἱρεῖσθαι, τοῦ δὲ δήμου τοὺς ἀντιλέγοντας ἐκβαλόντος. Ἡγοῦντο γὰρ οὔτε νῦν πρῶτον εἴξειν τῷ συμφέροντι τὸν νόμον, οὔτ᾽ ἀλογωτέραν εἶναι τὴν παροῦσαν αἰτίαν ἐκείνης, δι᾽ ἣν τὸν Σκηπίωνα παρὰ τοὺς νόμους ὕπατον ἀπέδειξαν, οὐ φοβούμενοι τὴν ἑαυτῶν ἀποβαλεῖν, ἀλλὰ τὴν Καρχηδονίων ἐπιθυμοῦντες ἀνελεῖν· ταῦτ᾽ ἔδοξε." Conf. Livii libr. deperdit. epitom. LXVII et LXVIII, Vell. Paterc. II. c. 12, et Eutrop. V. c. 1. Scipionis exemplum copiose praebet Appianus VIII. c. 112.

esse [79]): nam nulli Romano, qui in leges non iurasset, plus quinque diebus magistratum obtinere licuit. Qui igitur alio munere non quotannis permutando ornatus, sive sacra dignitate in vitam attributa, ex. gr. quidem Flaminis Dialis, cui iusiurandum dare vetitum erat [80]), impediebatur, quo minus ipse in leges iurare posset, non aliter officium demandatum obire potuit, quam ut proprio Senatusconsulto et Plebiscito illa lege solveretur, et cuidam agnato proximo eiusdem vice hanc obligationem iureiurando firmare permitteretur [81]): tum autem creatus utrumque et priorem dignitatem et magistratum oblatum simul tenere potuit [82]). Sed nunc huic capiti finem impono, quia quae adhuc memoratu necessaria videantur, de posteriore creandi conditione in comitiis sub Imperatoribus habitis, tum in libero suffragio restrictis, tum plane sublatis, tum etiam Vespasiani ac Traiani moderatione rursus redditis, ut mox iisdem obiicerentur impedimentis, partim a me iam supra relata sunt, partim in angustissima coniunctione cum generali Romanorum imperii historia co-

79) Liv. XXXI. c. 50.

80) Ex Fabii Pictoris annalibus apud Gell. Noct. A. X. c. 15 „item iurare Flaminem Dialem fas nunquam est, et ibid. ex Praetorum edicto perpetuo" Sacerdotem Vestalem et Flaminem Dialem in omni mea iurisdictione iurare non cogam. Conf. Liv. I. c. 20 et Plutarch. Quaest. Roman. in libr. fin.

81) Tale exemplum nobis reliquit Liv. XXXI. c. 50. „C. Valerius Flaccus, quem praesentem creaverant, quia Flamen Dialis erat, iurare in leges non poterat. Petente Flacco, ut legibus solveretur, Senatus decrevit, ut si Aedilis, qui pro se iuraret, arbitratu Consulum daret, Consules, si eis videretur, cum Tribunis Pl. agerent, uti ad Plebem ferrent. Datus, qui iuraret pro fratre, L. Valerius Flaccus, Praetor designatus: Tribuni ad Plebem tulerunt, Plebesque scivit, ut perinde esset, ac si ipse Aedilis iurasset."

82) Liv. XXXII. c. 7.

haerent, qua eorum mentio, quasi rei iam explosae, hic omnino non apta foret. Itaque nihil nobis restat, nisi admonitio, ut semel adhuc accuratiore respectu et antiquorum magistratuum auctoritatis sub Imperatoribus penitus permutatae ac diminutae, et legum annalium in muneribus petendis, tum singulis Candidatis speciali gratia sublevatarum, tum plenae earum exstinctionis paullatim factae exempla supra excitata recordemur, quibus nunc solummodo ad Aedilitatem spectantes, praeterea addere volumus: quod etiam in florenti reipublicae statu apud viros tam gente quam ingenio virtutibusque eminentissimos repulsae in utraque Aedilitate petenda non rarae fuerint, quemadmodum Cicero ex sua aetate permulta exempla cumulavit [83]), adeoque professus est, repulsas Aedilicias tam saepe habitas esse in viris optimis, „ut iis, qui praeteriti essent, benigne a populo factum videretur." Interdum igitur Aedilitatem praetermittere quidam conati sunt, quod tamen iisdem in superiorum magistratuum petitione non bene evenit [84]), sed tum etiam partim in Praetura, partim in Consulatu repulsam, quam simul

---

83) Pro Planc. c. 21: „Vidit enim pater tuus, Appium Claudium, nobilissimum hominem, vivo patre suo, potentissimo et clarissimo cive, C. Claudio, Aedilem non esse factum, et eundem sine repulsa factum esse Consulem: vidit hominem sibi maxime coniunctum, egregium virum L. Volcatium, vidit M. Pisonem in ista Aedilitate, offeosiuncula accepta, summos a' populo Romano esse honores adeptos. Avus vero tuus et P. Nasicae tibi praedicaret Aediliciam repulsam, quo cive neminem ego statuo in hac republica fortiorem: et C. Marii, qui duabus Aedilitatis acceptis repulsis, septies Consul est factus: et L. Caesaris, Cn. Octavii, M. Tullii: quos omnes scimus Aedilitate praeteritos, Consules esse factos."

84) Cicer. de offic. II. c. 17. §. 58: „vitanda tamen est suspicio avaritiae; Mamerco, homini divitissimo, praetermissio Aedilitatis Consulatus repulsam attulit": Or. pro Cluentio c. 25. §. 59.

ludorum faciendorum impensas metuentes effugere voluerant, attulit. Nihilominus etiamnum ante Syllae Dictaturam periculum factum est [85]), ex Aedilitate statim Consulatum petere, et mox iterum ante secundum Triumviratum repetitum invenimus [86]); sed a Cicerone, integram reipublicae constitutionem semper defendenti, utrumque vehementer reprehenditur, etsi petentes quoque ex eiusdem testimonio inter multos praestiterant. Viginti annis postea (a. 23. a. Ch. n.) aliam curriculi publici consuetudinem, qua nullus Aedilitatem bis petere, aut Curuli iam praeditus ad Plebeiam descendere solitus erat [87]), C. Calpurnii administratione duplici laesam esse vidimus [88]). Deinde autem, quo-

85) Cicer. Brut. c. 63 et 89 cum Ellendtii annot. ad h. l. et eiusdem prolegomen. ad Brut. pag. 80 — 82 de C. Iulii Caesaris Strabonis petitione „extraordinaria".

86) Cicer. or. Philipp. XI. c. 5. §. 11 de C. Iulio Caesare Vopisco. Quod autem ille clarissimus Drusus Germanicus, Tiberii filius adoptivus ex Quaestore statim Consul factus est, Sueton. in Calig. c. 7, ob istam adoptionem, sicuti reliqua exempla posteriora de Imperatorum propinquis accepta, nihil in universum ostendere potest.

87) Quod iam elucet ex Aedilitiorum (qui Aedilitate functi erant) numero multo maiore, quam qui Praetoriorum Consulariumque coniunctim enumeratorum adhuc ante bella civilia gesta exstitit — hi enim fere dimidiam modo illorum partem continebant —; etsi quotannis sex Praetores duoque Consules, et quatuor modo Aediles tum temporis creabantur. Nam Praetorii vulgariter summum imperium Consulare nacti, neque raro bis terve hac dignitate gavisi sunt. Itaque non mirum est, si Eutropius V. c. 6 meminit, bellum sociale et civile Marianarum partium consumsisse XXIV viros Consulares, VII Praetorios, LX Aedilitios, Senatores fere CC.

88) Dio Cass. LIII. c. 33: „κἀν τῷ αὐτῷ τούτῳ ἔτει Ἀγορανόμον τέ τινα τῶν καταδεεστέρων ἀποθανόντα Γάϊος Καλπούρνιος, καίτοι προηγορανομηκὼς ἐν τοῖς ἀμείνοσι, διεδέξατο· ὅπερ ἐπ' οὐδενὸς ἄλλου μνημονεύεται γενόμενον."

tiescunque Imperatorum arbitrium singulis competitoribus faveret, mox Quaesturam et Tribunatum Pl., mox Aedilitatem [89]) sive Praeturam praetermissas esse cognoscimus: attamen quo magis ab Augusti aetate removemur, eo saepius Aedilitas rite gesta inter honores desideratur, quippe quum eiusdem locum sive Praefecti aerarii Saturni vel militaris, sive Curatoris alvei Tiberis riparumque, sive alia eiusmodi cura tenerent [90]).

---

89) Plinius minor Epp. I. 14 Minucii Aciliani exemplum praebet, qui praeter Aedilitatem omnes antiquorum magistratuum gradus percurrerat, et eundem honorum cursum ipse de se testatur Epp. VII, 16 et Panegyric. c. 95 et m. al. loc. Tum Tacitus in Agricola c. 6 et 9 memoravit, Agricolam more iusto post Quaesturam excepisse Tribunatum Pl., ac deinde intervallo accommodato ad Praeturam ascendisse et Consulatum. Aliorum honorum praetermissionem Scriptores historiae Aug. permultis documentis affirmant.

90) Plin. Epist. V, 15; VII, 14; X, 20 et Panegyric. c. 92. Conf. praeterea m. libri I. cap. VII in fin.

CAP. II.

AEDILES PLEBIS IN FONTIBUS NOMINATI.

Non possumus, quin huic capiti praefantes fateamur, Pighium [1]) tam sedulo in hac re elaborasse, ut plerumque materiem iam collectam ex eiusdem Annalibus accipere, monumentisque antiquis ex hoc tempore parum auctis vix maiore nominum copia iterum in publicum proferre deberemus. Nihilominus tamen non facilem operam huic rei navavimus, quod Pighium, etsi vere diligentem, saepe quoque necessaria colligendi ac perscrutandi cura levius, quam unquam in talibus rebus permitti possit, usum esse videmus: unde factum est, ut creberrime, etiamsi ne negligentiam quidem in locis excitandis urgere velimus, emendandi occasio nobis offerretur. Praeterea in annis, quorum Aediles fontium documenta non reliquerunt, Pighius veluti operarius laboriosus conquirendive cupidissimus, qui usquam in scriniis locum vacuum aspicere anxie veretur, ex Romanorum gentibus nobilissimis nomina, quae posterius in magistratibus superioribus occupata reperit, collegit, ut iisdem apto quodam annorum intervallo retro computato, Aedilitatem sive Plebeiam sive

1) Annalium Romanorum editionem meliorem Antwerp. ex offic. Plantin. 615. fol. 5 vol. citabimus, e qua Magistratuum Annales Graevii thesauro in vol. XI adiuncti sunt.

Curulem adtribueret, (in quo discrimine tamen arbitrio suo nunquam pepercit, Patricios solummodo inter Aediles Plebeios enumerare cavens) quibus mox dubitationis signa adhaereret, mox sine ulla auctoritate certum quendam adiungeret annum. Quodsi quidem negare neque volumus neque possumus, hos viros unquam fuisse Aediles, sed potius veri simillimum est, perpaucos modo vel fere nullum eorum sine Aedilitatis administratione ad hos accessisse magistratus, temere tamen usurpatum existimamus, aliquid certi praebere voluisse in anno constituendo. Itaque nomina in Aedilium non notatorum loco a Pighio iam collata his quoque duobus capitibus inserentes, semper accuratam eadem uncis includendi diligentiam, nisi omnis dubitationis species de addito anno evanuisset, observavimus, simulque largam documentorum copiam reddidimus.

Aeram vulgarem Varronianam, quae Romam conditam in ann. 753 a. Chr. nat. numerari iubet, sequor.

a. u. c.	a. Ch. n.	
260.	493.	[C. Mucius Cordus Scaevola], [Q. Mucius Cordus Scaevola], quos Pighius [2]) huic loco proposuit.
261.	492.	C. Sicinius Bellutus [3]), L. Iunius Brutus, qui secessionis Plebeiae auctores et Tribuni Pl. anno superiore fuerant, hoc autem munere ab Icilio,

2) I. pag. 94. Audias levissimum Pighii argumentum pro his Aedilibus: „non invenio quenquam veterum primos Aediles Pl. nominasse. Cogit nos igitur instituti ratio vacua loca magistratuum qualicunque modo supplere et fingere primos Aediles C. Mucii Cordi primi Scaevolae duos filios, cuius familiae posteritas multis seculis Romae continua serie floruit."

3) Cognomen B. e Dionys. Halic. VI. c. 89 et VII. c. 14 recepi. Praenomen Lucii omnino falsum apud Pighium exstat, de quo insuper Dionys. VII. c. 55 consuli potest.

a. u. c. a. Ch. n.

Tribuno Pl. h. a. in concionem producti acerbissime in Patricios invecti sunt [4].

262. 491. T. [5] Iunius Brutus,

[Sp.] [6] Icilius Ruga, Tribunorum Pl. iussu Cn. Marcium Coriolanum indicta caussa comprehendere tentantes, a Patriciis iuvenibus [7] pulsati sunt.

263. 490. [C. Sicinius Bellutus,]

[C. (P.) [8] Licinius Calvus], a Pighio inter Aediles enumerati, quod plurimis exemplis constat iam eodem tempore ex Tribunis vulgariter Aediles Pl. factos esse, et Dionysius Liviusque [9] hos quidem ex primis Tribunis fuisse tradunt. Praeterea autem idem C. Sicinius iam semel duobus annis ante Aedilitate functus est, quod per se ista aetate perpaucorumque Aedilitatis Candidatorum copia contra secundam Sicinii Aedilitatem nihil faceret.

264. 489. [C. Icilius Ruga,]

[C. Iunius Bubulcus] [10].

265. 488. [L. Sicinius Bellutus,]

[C. Licinius Calvus.]

---

4) Dionys. VII. c. 14 et Plutarch. Coriol. c. 7.

5) Apud Pighium falso L. legitur, vid. Dionys. VII. c. 26.

6) Praenomen Spurii Pighius non accurate mutuatus est a Tribuno prior. anni Icilio, quos tamen Dionysius VII. c. 14. c. 17. c. 26 et 27 accurate distinxit.

7) Plutarch. Coriol. c. 18 et Dionys. VII. c. 26. 27 et 55.

8) Apud Pigh. rursus praenomen L. reperitur; conf. not. 5.

9) Ille in libr. VI et VII pl. loc., hic libr. II. c. 55 et 58 et Dukeri larga annotat. ad h. loc.

10) De proximorum Aedilium nominum auctoritate nonnisi hoc unum argumentum valet, quod ad ann. 490 a. Chr. adscripsimus.

a. u. c.	a. Ch. n.	
266.	487.	[L. Icilius Ruga,]
		[C. Icilius Ruga II.]
267.	486.	[C. Iunius Bubulcus II,]
		[M. Plaetorius.]
268.	485.	[C. Licinius Calvus II,]
		[C. Rabuleius.]
269.	484.	[L. Albinius,]
		[M. Silius.]
270.	483.	[C. Licinius Calvus III,]
		[M. Tarquitius Laurentinus.]
271.	482.	[C. Rabuleius II,]
		[C. Maenius.]
272.	481.	[M. Titinius,]
		[P. Decius Mus.]
273.	480.	[Sp. Sicinius] [11]),
		[P. Tarquitius Laurentinus.]
274.	479.	[Sp. Icilius Ruga II,]
		[M. Decius Mus.]
275.	478.	[Ti. Pontificius] [12]),
		[L. Genucius Aventinensis.]
276.	477.	[M. Flavuleius] [13]),
		[C. Icilius Ruga III.]
277.	476.	[M. Decius Mus II,]
		[P. Mucius Scaevola.]
278.	475.	[L. Flavuleius,]
		[Q. Mucius Scaevola.]

---

11) Quem in L. Albinii locum apud Pigh. nominati transmitto, quia apud Liv. II. c. 41 anni antecedentis Tribunus Pl. exstat, sed in quibusdam codicibus Licinius legitur; Dionys. Halic. IX. c. 1 — 2 hunc falso nominat Sicilium.

12) Tribunus Pl. a. 479 apud Liv. II. c. 44 et Dionys. Halic. IX. c. 5.

13) De quo conf. Dionys. Halic. IX. c. 10 et 15; Liv. II. c. 45.

a. u. c.	a. Ch. n.	
279.	474.	T. Genucius Aventinensis [14]),
		Q. Considius.
280.	473.	L. Caedicius,
		T. Statius [15]).
281.	472.	Quo in anno neque Aedilium neque Tribuniciorum nomina annotare possum [16]).
282.	471.	[P. Mucius Scaevola II,]
		[K. Atinius Longus.]
283.	470.	[L. Caedicius II,]
		[T. Statius II.]
284.	469.	Volero Publilius Philo [17]),
		C. Laetorius.
285.	468.	[C. Sicinius Bellutus,]
		[M. Duilius.]
286.	467.	[L. Numitorius,]
		[Sp. Icilius Ruga.]
287.	466.	L. Maecilius [18]),
		[Cn. Apronius.]

14) Cuius ex loco T. Pontificium apud Pighium sine ulla auctoritate adscriptum removi, et ex anno sequenti Genucium adsumsi, quod Genucius cum Q. Considio in a. 475 Tribunatum Pl. coniunctim gerentes, a Livio II. c. 52 auctores novae legis agrariae dicuntur, et a Dionysio quoque IX. c. 27 huc referuntur, eo tamen discrimine, ut Considius nominetur Quintilius.

15) Eadem permutatione T. Statium, a Pighio i. a. 472 enumeratum transposui, quod itidem in Tribunatu a. prioris Caedicius cum T. Statio reperiuntur, Liv. II. c. 52; Dionys. Hal. IX. c. 28.

16) Quae nomina in h. a. Pighius attulit, in annotationibus prioribus locum aptiorem obtinuerunt.

17) Volero per duos annos Tribunus Pl. a. 471 — 70, Liv. II. c. 55 et 56, et in altero anno Laetorium iam Tribunatus collegam habuit, Dionys. IX. c. 41 et 48 — 49.

18) Qui simul cum quatuor antecedentibus Aedilibus annor. 469 — 68 Tribunatum primum in comitiis tributis acceptum,

a. u. c.	a. Ch. n.	
288.	465.	[C. Pontificius,]
		[L. Titinius.]
289.	464.	[M. Pompilius,]
		[C. Duilius.]
290.	463.	[M. Metilius,]
		[M. Pontificius][19]. Consulibus ac maiore parte Tribunorum Pl. peste mortuis, „circuitio atque urbis custodia Aedilium Pl. fuerat, ad eos summa rerum et maiestas Consularis imperii in ea solitudine venerat."
291.	462.	[L. Maenius,]
		[Cn. Genucius Aventinensis.]
292.	461.	C. Terentillus Arsa [20],
		[M. Sellius.]
293.	460.	Sex. Titius [21],
		[M. Decius.]
294.	459.	[M. Considius,]
		[C. Fescennius.]
295.	458.	[C. Volscius,)
		[P. Publilius Philo.]
296.	457.	[Sex. Titius II,]
		[C. Iunius Brutus Bubulcus.]
297.	456.	[M. Claudius Cicero,]
		[M' Marcius Rutilus.]
298.	455.	[M. Silius,]
		[C. Pompilius.]

triumque novorum membrorum numero auctum gessit a. 470; Liv. II. c. 58—61.

19) Liv. III. c. 6; Dionys. Halic. IX. c. 67.

20) Tribunus Pl. a. 462 apud Liv. III. c. 9; a Dionys. Hal. X. c. 1 Terentius nominatur.

21) Tribunus Pl. a. 461, Dionys. Hal. IX. c. 69.

a. u. c.	a. Ch. n.	
299.	454.	L. Allienius [22]),
		A. Virginius [23]).
300.	453.	L. Icilius Ruga [24]),
		[Q. Poetelius Libo Visulus.]
301.	452.	M. Duilius [25]),
		[Sp. Oppius Cornicen.]
302.	451	His annis Decemviri legum ferendarum
303.	450	sine provocatione constituti erant, quibus imperantibus nullus alius magistratus curam gereret [26]); quamobrem etiam necessaria rerum civilium procuratio, Aedilitas nulli demandata erat.

22) Proximo anno antea Tribunus Pl. fuerat, ut ait Dionys. Hal. X. c. 48. „*Λούκιος δὲ τότ' ἀγορανομῶν, δήμαρχος δὲ τῷ παρελθόντι ἔτει γεγονώς*": qui in Aedilitate C. Veturium Consulatu abeuntem violatae potestatis Tribunitiae reum egit, et quindecim millibus aeris populi iudicio damnatum multavit, Liv. III. c. 31.

23) Cuius Tribunatum ex a. 461 valde gravem referunt Liv. III. c. 11—14 et Dionys. Hal. X. c. 2.

24) Tribunatum Pl. gessit a. 456, Dionys. Hal. X. c. 31, quem sequenti anno continuavit ibid. c. 33. Quum eidem sex annis posthac Virginia, L. Virginii filia, desponderetur, maxime impiam Appii Claudii saevitiam aggrederetur necesse fiebat, Liv. III. c. 44—54, Dionys. Halic. XI. c. 28—44; tertium Tribunatum Pl. a. 449 obtinuit, Liv. III. c. 54; Dionys. Hal. XI. c. 46.

25) Tribunus Pl. a. 455, Liv. III. c. 52; secundum Tribunatum statim post Decemviros remotos a. 449 accepit, Liv. III. c. 54; Dionys. Halic. XI. c. 46, in quo (Liv. III. c. 55) gravem rogationem tulit, quam Plebs scito firmavit, „qui plebem sine Tribunis reliquisset, quique magistratus sine provocatione creasset, tergo ac capite puniretur". Praeterea autem fere semper laudabilem morum moderationem ostendit, ibid. c. 59 et 64.

26) Liv. III. c. 32; Dionys. Halic. X. c. 55: „*τάς τ' ἄλλας ἀρχὰς πάσας καταλελῦσθαι, ἕως ἂν οἱ δέκα τύχωσι τῆς ἀρχῆς.*"

a. u. c.	a. Ch. n.	
304.	449.	Sed tertio Decemvirorum anno statim post eorum abdicationem Aediles creabantur, C. Claudius Cicero et [M. Titinius], qui „tabulas decemvirales, ut quidam scribunt, iussu Tribunorum Pl. in aes incisas in publico proposuerunt" [27]), et in aede Cereris conservandas locarunt.
305.	448.	[L. Volumnius Flamma,] [P. Tarquitius Laurentinus.]
306.	447.	[M. Titinius,] [M. Pomponius.]
307.	446.	[C. Sicinius Bellutus,] [C. Apronius.]
308.	445.	[P. Villius,] [C. Oppius.]
309.	444.	L. Trebonius Asper [28]), [M. Icilius Ruga.]
310.	443.	C. Canuleius [29]), [L. Sextius Sextinus.]
311.	442.	[C. Furius,] [L. Furius.]
312.	441.	[L. Caedicius,] [C. Laetorius.]
313.	440.	[Cn. Genucius,] [Q. Decius Mus.]
314.	439.	(C.) Petillius sive Poetelius [30]), [K. Atinius Longus.]
315.	438.	[Volero Publilius Philo,] [L. Romuleius.]

27) Liv. III. c. 57.

28) Tribunus Pl. fuit a. 447, Liv. III. c. 65.

29) De eius Tribunatu a. 444 Liv. IV. c. 1—6.

30) Tribunus Pl. a. 440, Liv. IV. c. 12.

a. u. c.	a. Ch. n.	
316.	437.	Q. Caecilius Metellus [31], [P. Mucius Scaevula.]
317.	436.	Q. (C.) Iunius Brutus Bubulcus, Sex. Titinius [32].
318.	435.	[P. Decius Mus,] [C. Pontificius.]
319.	434.	[M. Albinius,] [A. Allienius.]
320.	433.	Sp. Maelius [33], [M. Furius.]
321.	432.	[M. Trebonius,] [T. Statius.]
322.	431.	[L. Iunius Brutus Bubulcus,] [C. Volscius.]
323.	430.	[L. Volscius,] [M. Decius Mus.]
324.	429.	M' Marcius, „qui primus Aedilis Pl. frumentum populo in modios assibus donavit" (Plin. h. n. XVIII. c. 3), [L. Aelius Paetus.]
325.	428.	[P. Plautius Proculus,] [T. Metilius.]
326.	427.	[C. Terentius Arsa,] [M. Sellius.]
327.	426.	[C. Numitorius,] [M. Volscius Fictor.] Maxima pestis saevitia, huius anni siccitate exorta, quum Romam valde premeret, maximaque pars populi adeo terreretur, ut etiam ad novos ritus externamque religionem confugeret,

31) Tribunus Pl. a. 438, Liv. IV. c. 16.

32) Ambo erant Tribuni Pl. a. 438, Liv. IV. c. 16.

33) De cuius Tribunatu valde inquieto a. 435 refert Liv. IV. c. 21.

a. u. c. a. Ch. n.

quibus in hac necessitate auxilium ferretur: his Aedilibus negotium datum est, „ut animadverterent [34]), ne qui, nisi Romani Dii, neu quo alio more quam patrio colerentur."

328. 425. [Cn. Sicinius Bellutus,]
[L. Manilius Vitulus.]

329. 424. [Sex. Manilius,]
[M. Manilius.]

330. 423. [L. Icilius Ruga,]
[K. Duilius.]

331. 422. [C. Popillius,]
[Q. Poetelius Libo Visulus.]

332. 421. C. Iunius [35]) (Bubulcus),
L. Hortensius.

333. 420. Sex. Tempanius [36]),
A. Sellius. Hoc anno magistratus plebeii, quum Quaestorum numerus duplo maior fieret, annua eorum parte concessa augebantur; nam usque ad id tempus duo modo Quaestores e Patriciis creati erant [37]).

334. 419. [Sex. (L.) Antistius,]
Sp. Icilius Ruga [38]).

---

34) Liv. IV. c. 50.

35) Tribunus Pl. a. 422 apud Liv. IV. c. 40, ubi nunc vulgariter nomen C. Iulii legitur, sed antiquissimae editiones ante Aldinam Iunium praebent, quae lectio sola comprobanda est, quod tum temporis nusquam Iuliorum gentis Plebeiae mentio facta est. Hortensius iam Tribunatum simul cum Iunio gessit, ib. c. 42.

36) De cuius vita et Tribunatu a. 421, in quo Sellium habuit collegam, conf. Liv. IV. c. 58.

37) Liv. IV. c. 43.

38) Ambo Tribuni Pl. a. 421 erant, Liv. IV. c. 42.

a. u. c.	a. Ch. n.	
335.	418.	(M.) Antistius [39]),
		Sex. Pompilius.
336.	417.	[C. Oppius,]
		[M' Pomponius.]
337.	416.	[C. Marcius Rutilus,]
		[Q. Considius.]
338.	415.	[C. Apronius,]
		[(M.) Antistius.]
339.	414.	Spurius Maecilius,
		Spurius Metilius [40]).
340.	413.	L. Sextius [41]),
		[L. Oppius.]
341.	412.	[Sp. Tempanius,]
		[Q. Petilius.]
342.	411.	[L. Caedicius,]
		[L. Oppius.]

---

39) Antistius atque Pompilius simul Tribunatum obtinuerunt a. 419, Liv. IV. c. 44.

40) Quos Spurios Tribunos Pl. a. 415, alterum iam quartum, alterum iam tertium hunc magistratum gerentes, adscripsi pro Pighianis C. Plautio Proculo et M. Allienio, nominibus ex arbitrio e familiis Plebeiis fictis, quia illi Tribuni gratissima rogatione, ut ager ex hostibus captus viritim divideretur, certo maximum eiusdem favorem sibi comparaverint, quo novi magistratus demandatio iis deficere non posset, praesertim quum eandem contra collegarum intercessionem tueri deberent, L. IV. c. 48.

41) Tribunus Pl. a. 414, quem ex simili argumento, ut in annotatione superiore a me prolatum est, Aedilem a Plebe creatum censeo, quia magno eiusdem commodo, ut Bolas Lavicosque coloni mitterentur, rogavit, neque minus insuper intercessionem collegarum, qui nullum plebiscitum, nisi ex auctoritate Senatus passuros se perferri ostenderunt, expertus est: Liv. IV. c. 49. Pighius hoc loco L. Fulcinium praebet.

a. u. c.	a. Ch. n.	
343.	410.	L. Icilius Ruga [42]), Trebius [43]), qui populo assibus frumentum per modios praestitit, ideoque statuas in Capitolio et Palatio meruit, populique humeris demum mortuus est elatus.
344.	409.	Volero Publilius Philo [44]), [M. Duilius.]
345.	408.	M. Maenius [45]), C. Duilius [46]).
346.	407.	[Sp. Icilius Ruga,] Q. Silius [47]).
347.	406.	[C. Icilius Ruga,] [Q. Decius Mus.]
348.	405.	[L. Icilius Ruga,] [M. Genucius Aventinensis.]
349.	404.	P. Aelius Paetus [48]), Cn. Genucius Aventinensis [49]).
350.	403.	P. Pupius [50]), [Cn. Pupius.]

42) Tribunus Pl. a. 411, qui nominis familiaeque suae memor leges agrarias denuo promulgare studuit, Liv. IV. c. 52.

43) Plin. hist. nat. XVIII. c. 3, ubi eius praenomen periit.

44) Tribunus militum Consulari potestate creatur a. 398, Liv. V. c. 15.

45) Tribunus Pl. a. 409, legis agrariae lator, Liv. IV. c. 53.

46) Duilius Tribunus militum Consul. pot. dictus est a. 398, Liv. V. c. 13.

47) Primus Quaestor e Plebeiis creatus a. 408, Liv. IV. c. 54.

48) Cum Silio et Pupio inter primos Quaestores Plebeios a. 403 enumeratur a Livio III. c. 54.

49) Tribunus militum Consulari potest. creatus est a. 398, Liv. 13; iterum factus a. 395, ibid. c. 18.

50) Inter primos Quaestores e Plebe creatos apud Livium III. c. 54 reperitur a. 408.

a. u. c.	a. Ch. n.	
351.	402.	L. Titinius [51],
		[C. Popilius.]
352.	401.	P. Licinius Calvus [52],
		[P. Silius.]
353.	400.	[L. Maenius,]
		[K. Atinius Longus.]
354.	399.	C. Trebonius Asper [53],
		[Sp. Antius.]
355.	398.	C. Lucerius sive Lacerius [54],
		[L. Icilius Ruga II.]
356.	397.	M. Acutius [55],
		[C. Numitorius.]
357.	396.	[M. Plaetorius,]
		[M. Considius.]
358.	395.	C. Poetelius Libo Visolus,
		[Q. Poetelius Libo Visolus.]
359.	394.	M. Minucius Augurinus [56],
		[C. Trebonius Asper II.]

---

51) Tribunus militum Consul. pot. factus est a. 595, Liv. V, c. 18.

52) Qui a. 599 **primus** e Plebe Tribunus militum Consulari potestate creatus Liv. V. c. 12 et VI. c. 37; tam insignis moderationis famam adeptus est, ut anno sequenti omnes Patricii excepto uno in hoc magistratu petendo (quem Patricii semper soli tenere studerent, prorsusque, si hos annos excludamus, per quadraginta quatuor annorum spatium victoria non turbata fruerentur, Liv. VI. c. 37) repulsam paterentur, et quinque viri Plebeii iis anteponerentur. Iterum Licinius, ne ipse quidem petens, Tribunus militum factus est a. 595, ibid. c. 18, sed dignitatem ob senectutem denegavit, precibusque eandem pro filio suo eiusdem praenominis nactus est.

53) Tribunus Pl. a. 400, Liv. V. c. 10—11; vid. ann. 594.

54) Tribunus Pl. a. 400, Liv. V. c. 10.

55) Tribunus Pl. a. 400, Liv. V. c. 10.

56) Tribunus Pl. a. 400, Liv. V. c. 11.

a. u. c.	a. Ch. n.	
360.	393.	[M. Decius Mus,]
		[T. Metilius.]
361.	392.	L. Fulvius Curvus,
		[P. Laetorius.]
362.	391.	T. Sicinius Dentatus [57]),
		[L. Mamilius Vitulus,]
363.	390.	C. Licinius Calvus [58]),
		[M. Titinius.]
364.	389.	[L. Appuleius,]
		[L. Virginius.]
365.	388.	L. Marcius Rutilus,
		M. Albinius [59]).
366.	387.	[L. Hortensius,]
		[C. Oppius.]
367.	386.	C. Marcius Rutilus [60]),
		[Sp. Oppius Cornicen.]
368.	385.	C. Sextilius [61]),
		L. Antistius [62]).
369.	384.	M. Trebonius Flavus [63]),
		[L. Numitorius.]

57) Tribunus Pl. a. 594, Liv. V. c. 24.

58) Tribunus militum Consulari potestate a. 577, Liv. VI. c. 31, decem annis postea primus Magister equitum de Plebe a. 567 a Dictatore P. Manlio dictus est, ibid. c. 39.

59) Tribunus militum Consulari potestate a. 578, Liv. VI. c. 30.

60) Tribunus Pl. a. 588, Liv. VI. c. 1.

61) Tribunus militum Consulari potest. factus est a. 578, Liv. VI. c. 30.

62) Quem pro C. Appuleio, a Pighio hic memorato, mihi autem in fontibus non oblato, e Tribuniciis apposui, quod Sextilii collega in Tribunatu militum a. 578 fuit, Liv. VI. c. 30.

63) Qui post longiorem Plebeiorum exclusionem ex Tribunatu militum Cons. pot., hanc dignitatem demum suo quoque ordini recepit a. 382, iam quatuor annis ante Albinium atque Sextilium, Liv. VI. c. 21.

a. u. c.	a. Ch. n.	
370.	383.	[L. Sicinius Dentatus,]
		[L. Albinius.]
371.	382.	[C. Apronius,]
		[C. Manilius Vitulus.]
372.	381.	M. Maenius 64),
		[L. Sextius.]
373.	380.	Q. Publilius Philo 65),
		[Q. Hortensius.]
374.	379.	[M. Duilius,]
		[C. Icilius Ruga.]
375.	378.	[P. Maenius,]
		[L. Canuleius.]
376.	377.	[A. Tempanius,]
		[C. Sellius.]
377.	376.	Q. Decius Mus,
		[C. Titius.]
378.	375.	Q. Caecilius Metellus,
		Q. Canuleius. Hoc anno comitia praeter Aedilium Tribunorumque Pl. nulla sunt habita, ac C. Licinius Calvus Stolo et L. Sextius Sextinius Tribuni Pl. primum refecti „nullos Curules magistratus creari passi sunt 66): eaque solitudo magistra-

64) Tribunus Pl. a. 383, Liv. VI. c. 19, qui adversarii vehementissimi seditionis Manlianae gloria gavisus est.

65) Tribunus Pl. a. 383, Liv. VI. c. 19.

66) Liv. VI. c. 35—36; Plin. h. nat. XVI. c. 44. Licinius ac Sextius magistratu continuato decimum Tribuni Pl. refecti sunt a. 375—66, Liv. VI. c. 36, 38—39, 40—42; tum Sextius primus Consul de Plebe creatus est a. 365, Liv. VI. c. 45 et Plutarch. Camill. c. 42: C. Licinius autem tertius Consul Plebeius factus est a. 365, Liv. VII. c. 2, secundumque Consulatum a. 360 gessit, Liv. VII. c. 9. Deinde tamen post decimum Tribunatum egregiaque de Plebe merita eiusdem favorem amittens, sub vitae finem ingenti mulcta a populo damnatus est, Dionys. Halic. fragm. L. XIV. c. 22.

a. u. c.	a. Ch. n.	
		tuum, et Plebe reficiente duos Tribunos, et his comitia Tribunorum militum tollentibus, per quinquennium urbem tenuit."
379.	374.	[P. Mucius Scaevola,] [L. Domitius Ahenobarbus.]
380.	373.	[M. Fulcinius,] [A. Trebius.]
381.	372.	[C. Metilius,] [A. Acutius.]
382.	371.	[M. Atilius Regulus,] [L. Villius.]
383.	370.	C. Poetelius Libo Visolus [67], [Q. Poetelius Libo Visolus.]
384.	369.	C. Plautius Proculus [68], [K. Atinius Longus.]
385.	368.	Cn. Genucius Aventinensis [69], [Volero Publilius Philo.]
386.	367.	C. Sempronius Longus, L. Genucius Aventinensis [70].
387.	366.	C. Plautius Proculus II [71], [C. Trebonius Asper.]

67) Qui Consulatum a. 559 accepit, et in Livio Balbi cognomine praeditus est, VII. c. 11, quod vero Sigonius e libris Capitolinis bene correxit.

68) Consul a. 557 factus, Liv. VII. c. 12, ac Magister equitum a Dictatore C. Marcio Rutilo dictus est a. 555, Liv. VII. c. 17.

69) Consul Plebeius quartus factus est a. 562, Liv. VII. c. 5.

70) Secundus Consul ex ordine Plebeio electus est a. 564, Liv. VII. c. 1; iterum Consul factus a. 561, ibid. c. 4.

71) Vid. not. 68.

a.u.c. a.Ch.n.

388. 365. M. Popillius Laenas [72]),
C. Marcius Rutilus [73]), postea Censorinus.
Primi Aediles Curules instituti sunt [74]), de quorum origine libri primi capite quinto iam disseruimus, quorumque seriem caput proximum praebet.

389. 364. [L. Fulcinius,]
[L. Volscius Fictor.]

390. 363. L. Statius,
C. Antius. Ex quo anno Pighius alternatim in Aedilium Curulium nominibus prodendis quemque alterum annum transgressus est, prorsusque hoc magistratu vacantem reliquit: sed eorum loco quatuor Plebeiorum (Tribuniciorum) nomina inter Aediles Plebeios retulit, quia, ubi non diserte Aedilium dignitas, Curulisve seu Plebeia, in fontibus significatur, aut, quemadmodum praeterea ex hac aetate fieri debet, e Consulatu Tribunatuve in Annalibus annotato, Aedilitas quoque ab eodem administrata accipitur, Curulem ac Plebeium magistratum inter viros Plebeiae originis distinguere non suscepit.

---

72) Qui primum Consulatum gessit a. 358, Liv. VII. c. 12; secundum a. 356, ibid. c. 17; tertium Consulatum a. 349, ibid. c. 25; quartum denique a. 347, ibid. c. 26.

73) Consul factus est a. 556, Liv. VII. c. 16; tum anno sequenti 555 **primus Dictator** de Plebe dictus est, ibid. c. 17. Secundum Consulatum gessit a. 549; tertium a. 545, ibid. c. 21 et 28; quartum a. 541, ibid. c. 38. Sed etiam **Censuram primus** e Plebeiis nactus est Marcius a. 550, Liv. VII. c. 22, et X. c. 8.

74) Liv. VI. c. 43.

a. u. c. a. Ch. n.

Sane quidem ei concedendum est; ex superioribus muneribus, nempe Consulis, Dictatoris aut Censoris tum temporis omnino non concludi posse, num Plebeius per Aedilitatem Plebeiam, an per Curulem ad hos accessisset honores. Nam utrumque fieri potuit, et factum est, quum nullum exemplum certum nobis offerretur, ex quo ullus Plebeius utramque petiisset Aedilitatem. Attamen periculum adire equidem conatus sum, quantum partim ex familiarum Patriciarum Plebeiarumve cognitione, partim e Praetoriorum indice, — Praetura enim tantummodo post Aedilitatem Curulem gestam petenda erat — partim ex ulla alia re memorabili coniici liceat, ex illis quatuor Aedilium nominibus secernere Curules, argumentisque, quantavis exstent, muneris adscripti iisdem affirmare veritatem. Quamobrem ex a. 363 usque ad bellum Punicum secundum, quum iam diu per quemque annum Plebeii Aedilitatem Curulem adipiscerentur, alternationis autem discrimen plane desineret, nec minus Patricii in omnibus comitiis Aedilitiis Curulis dignitatis Candidatos habere possent, meae Aedilium tabulae valde differunt a Pighianis.

391. 362. [L. Lucerius,]
[C. Volscius.]

392. 361. [M. Considius,]
[L. Allienius.]

393. 360. [Q. Aulius Cerretanus,]
[C. Carvilius Maximus.]

a. u. c.	a. Ch. n.	
394.	359.	[L. Rabuleius,] C. Terentius Arsa.
395.	358.	K. Duilius [75]), [L. Virginius.]
396.	357.	[C. Curatius,] [C. Titius.]
397.	356.	C. Plautius Hypsaeus [76]), [C. Sextius.]
398.	355.	[M. Maenius,] [P. Furius.]
399.	354.	[C. Livius Denter,] [Q. Hortensius.]
400.	353.	[M. Marcius,] [L. Antistius.]
401.	352.	[Cn. Appuleius Pansa,] [L. Albinius.]
402.	351.	[C. Appuleius,] [L. Villius.]
403.	350.	[L. Sextilius,] [C. Mamilius Vitulus.]
404.	349.	[L. Caedicius,] [C. Furius.]
405.	348.	[M. Poetelius Libo,] [P. Maelius Capitolinus.]
406.	347.	[C. Licinius Calvus Stolo,] [T. Iuventius.]
407.	346.	[C. Icilius Ruga,] [P. Mucius Scaevola.]

75) Consulatum gessit a. 355, Liv. VIII. c. 16.

76) Primum Consulatum a. 546 gessit, Liv. VII. c. 27, ubi annotationes Sigonii aliorumque ad h. loc. in edit. Drakenborch. conferantur; secundum a. 540, Liv. VIII. c. 1, unde elucet Genucii Tribuni Pl. legem ex a. 541, de qua infra dictum est sub a. 340, ne unum quidem annum integram esse habitam.

a. u. c.	a Ch. n.	
408.	345.	[Q. Maecilius,]
		[A. Trebius.]
409.	344.	[Cn. Lucerius,]
		[L. Atinius Longus.]
410.	343.	[Q. Caedicius,]
		[P. Licinius Stolo.]
411.	342.	[M. Titinius,]
		[Cn. Sicinius Bellutus.]
412.	341.	[C. Pompilius,]
		[L. Villius.]
413.	340.	M. Antonius [77]),
		L. Genucius Aventinensis [78]).
414.	339.	[P. Curatius,]
		[L. Furius Luscus.]
415.	338.	M. Claudius Marcellus [79]),
		[C. Atinius Longus.]
416.	337.	C. Petillius sive Poetelius Libo [80]),
		[L. Allienius.]

77) Magister equitum a Dictatore P. Cornelio Rufino a. 535 dictus est, sed vitio creatus magistratu mox se abdicavit.

78) Patriciis gravissimum Tribunatum Pl. gessit a. 541, quo plures eiusdem rogationes populus plebiscitis firmavit, „ne cui foenerari liceret, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet, neu duos magistratus uno anno gereret, utique liceret Consules ambos Plebeios creari", Liv. VII. c. 42.

79) Consulatum gessit a. 530, Liv. VIII. c. 18; Dictator comitiorum caussa dictus est a. 526, Liv. VIII. c. 25, cuius vero creationem Patricii contra quamque Tribunorum Pl. defensionem vitiosam atque irritam fecerunt, ita ut res usque ad quartum decimum Interregem redigeretur.

80) Consulatu functus est a. 525, Liv. VIII. c. 23; Dictator ad bellum contra Samnites gerendum dictus est a. 512, Liv. IX. c. 28.

a. u. c.	a. Ch. n.	
417.	336.	P. Salonius Sarra [81]),
		Iunius Brutus Scaeva [82]).
418.	335.	[M. Iuventius Thalna,]
		[Q. Canuleius.]
419.	334.	Cn. Fulvius Centumalus,
		M. Fulvius Flaccus.
420.	333.	L. Plautius Venno sive Venox [83]),
		C. Plautius Decianus [84]).
421.	332.	[C. Plaetorius,]
		[L. Fulcinius.]
422.	331.	[L. Racilius,]
		[M. Mamilius Vitulus.]
423.	330.	[C. Popillius Laenas,]
		[C. Laetorius.]
424.	329.	[M' Curius Dentatus,]
		[Q. Decius Mus.]
425.	328.	Q. Aulius Cerretanus [85]),
		[C. Fulvius Curvus.]

---

81) Tribunus militum a. 541 in quodam exercitus Romanorum tumultu optime de republica meruit.

82) Consul factus est a. 524, Liv. VIII. c. 29.

83) Consulatum primum a. 529 gessit, Liv. VIII. c. 19; Praeturam a. 521, Liv. VIII. c. 40; secundum Consulatum a. 517, Liv. IX. c. 20.

84) Consul factus est a. 528, Calendisque Quinctilibus hunc magistratnm iniit, Liv. VIII. c. 20 et Sigonii annotat. ad h. loo.

85) In codicibus nomen Aulii cum Aemilio variat, sed inprimis in ulterioribus Livii libr. IX locis Aulius invenitur. Primum Consulatum gessit a. 522, Liv. VIII. c. 37; secundum a. 518, Liv. IX. c. 15; Magister equitum a Dictatore Q. Fabio Maximo dictus a. 514, Liv. IX. c. 22, in pugna apud Saticulam eod. anno cecidit, ib. c. 22—25.

a. u. c.	a. Ch. n.	
426.	327.	L. Fulvius Curvus 86),
		M. Livius Denter.
427.	326.	[Sex. Manilius,]
		[Sex. Pompilius.]
428.	325.	M. Flavius 87),
		[A. Virginius.]
429.	324.	[C. Caecilius Metellus,]
		[L. Hortensius.]
430.	323.	[L. Marcius Rutilus,]
		[Ti. Sempronius Blaesus.]
431.	322.	[A. Lucerius,]
		[L. Albinius.]
432.	321.	[Sp. Metilius,]
		[Sex. Tempanius.]
433.	320.	C. Iunius Bubulcus Brutus 88),
		[C. Canuleius.]
434.	319.	[C. Volumnius Flamma,]
		[M. Trebonius Flavus.]

86) Consul factus est a. 521, Liv. VIII. c. 58; Magister equitum a Dictatore L. Aemilio a. 515 dictus est, Liv. IX. c. 21.

87) Tribunus Pl. post Aedilitatem rursus factus a. 522 ad populum tulit, ut in Tusculanos animadverteretur, quorum ope ac consilio Veliterni Privernatesque populo Romano bellum fecissent, Liv. VIII. c. 37.

88) Primum Consulatum a. 516 gessit, Liv. IX. c. 20; secundum a. 512, ibid. c. 28: primam Dictaturam adversus Samnites accepit anno sequenti 511, ib. c. 29, post quam statim tertium Consul a. 510 factus est, Liv. IX. c. 30. Magister equitum a Dictatore L. Papirio Cursore a. 509 dictus, Liv. IX. c. 38, Censuramque adeptus est a. 506, quo aedem Salutis in bello Samnitico votam locavit, Liv. IX. c. 43; deinde autem secundam Dictaturam adversus Aequos a. 502, Liv. X. c. 1, qua dignitate ornatus simul aedem Salutis dedicavit.

a. u. c.	a. Ch. n.	
435.	318.	P. Decius Mus [89]),
		[T. Roscius.]
436.	317.	[T. Numicius,]
		[M. Antistius.]
437.	316.	[L. Apronius Limo,]
		[L. Sextilius.]
438.	315.	L. Cominius [90]),
		[Q. Publilius Philo.]
439.	314.	[C. Appuleius Pansa,]
		[A. Trebius.]
440.	313.	[M. Titinius,]
		[Sex. Titius.]
441.	312.	M. Fulvius Curvus Paetinus [91]),
		L. Volumnius Flamma Violens [92]).
442.	311.	[C. Fabricius Luscinus,]
		[P. Mucius Scaevola.]
443.	310.	[C. Lutatius Catulus,]
		[Q. Petillius.]
444.	309.	Q. Marcius Tremulus [93]),
		[Q. Manilius.]

89) **Primum Consulatum gessit a. 511, Liv. IX. c. 28, secundum a. 509, ibid. c. 41. Magister equitum a Dictatore P. Cornelio Scipione a. 506 dictus est, ibid. c. 44. Censuram accepit a. 503, Liv. IX. c. 46. Primus Pontifex de Plebe creatus est a. 500, Liv. X. c. 9, tum tertium Consulatum adeptus est a. 297, Liv. X. c. 15, quartum a. 295, Liv. X. c. 22, quo munere ipse tertium collega Q. Fabii Maximi Rulliani, tandem supremum diem in pugna adversus Samnites Gallosque obiit, ibid. c. 28.**

90) **In bello Samnitico Tribunatu militum functus egregiam gloriam nactus est a. 324, Liv. VIII. c. 30.**

91) **Consul suffectus est in mortui Ti. Minucii locum a. 505, Liv. IX. c. 44.**

92) **Primum Consulatum a. 507 gessit, Liv. IX. c. 42, secundum a. 296, Liv. X. c. 15.**

93) **Primum Consulatum adeptus est a. 506, Liv. IX. c. 42 — 45, et de Hernicis triumphavit, secundum Consulatum a. 287;**

a. u. c.	a. Ch. n.	
445.	308.	M. Decius Mus [94],
		[M. Antonius.]
446.	307.	C. Marcius Rutilus [95],
		[Q. Pomponius.]
447.	306.	P. Sempronius Sophus [96],
		L. Genucius Aventinensis [97].
448.	305.	M. Livius Denter [98],
		Q. Appuleius Pansa [99].
449.	304.	Cn. Fulvius Centumalus [100],
		L. Furius [101].
450.	303.	C. Genucius Aventinensis [102],
		[P. Furius.]

Fasti Consulares, quorum citatio semper intelligenda est, nisi subsidiorum auxilium copiosius nobis adesset, ut testimonio advocari posset.

94) Tribunus Pl. a. 310 rogationem Plebi gratissimam tulit, ut Duumviri navales classis ornandae reficiendaeque caussa a populo in posterum crearentur, qui antea solummodo Consulum Dictatorumve arbitrio subieoti erant, Liv. IX. c. 30.

95) Tribunus Pl. a. 310, Liv. IX. c. 30, vid. Aedil. Curul. a. 309; idem inter primos Augures Plebeios nominatus est a. 300, Liv. X. c. 9.

96) Consulatum gessit a. 304, Liv. IX. c. 45; inter primos Pontifices de Plebe creatus est a. 300, Liv. X. c. 9; Censuram accepit a. 299, Liv. X. c. 9, Praeturam a. 296, Liv. X. c. 21.

97) Consul factus est a. 303, Liv. X. c. 1.

98) Consulatum accepit a. 302, Liv. X. c. 1, tum a. 300 inter primos Pontifices Plebeios locum suum nactus est, ibid. c. 9.

99) Consulatu functus est a. 300, Liv. X. c. 5.

100) Consulatum accepit a. 298, Liv. X. c. 11, imperium pro Praetore a. 295, ibid. c. 26 et 30.

101) Tribunus Pl. a. 308, Liv. IX. c. 45.

102) Primus augur de Plebe creatus est a. 300, Liv. X. c. 9.

a. u. c.	a. Ch. n.	
451.	302.	M. Fulvius Paetinus [103],
		[C. Minucius Augurinus.]
452.	301.	[D. Iunius Pera,]
		[C. Plautius Proculus.]
453.	300.	[Q. Papirius Turdus,]
		[Q. Fulvius Flaccus.]
454.	299.	[L. Antonius,]
		[C. Metilius.]
455.	298.	[M. Laetorius Plancianus,]
		[C. Laetorius.]
456.	297.	D. Iunius Brutus Scaeva [104],
		[P. Silius.]
457.	296.	L. Aelius Paetus, } [105]
		C. Fulvius Curvus. }
458.	295.	Q. Hortensius [106],
		[L. Plautius Venno sive Venox.]
459.	294.	M' Curius Dentatus [107],
		M. Claudius Marcellus [108].
460.	293.	[P. Numitorius Pullus,]
		[Sp. Antius Restio.]

103) Consulatum gessit a. 299, Liv. X. c. 9.

104) Legatus a. 295, Liv. X. c. 45, Consul factus est a. 292, ibid. c. 47.

105) Ambo in Aedilitate ex pecunia multaticia, quam exegerunt pecuariis damnatis, ludos fecerunt, paterasque aureas ad Cereris posuerunt, Liv. X. c. 25.

106) Consulatum gessit a. 290, Dictaturam a. 288, qua usus Plebem propter aes alienum post graves et longas seditiones in Ianiculum secessam deduxit, sed in eodem magistratu mortem obiit, Liv. Epit. l. XI.

107) Primum Consul factus est a. 289, Fast. Cons., et uno eodemque anno bis de Samnitibus Sabinisque triumphavit, Liv. Epit. libr. XI; iterum Consul a. 274; tertium a. 275, Liv. Epit. l. XIV.

108) Consulatum gessit a. 286.

a. u. c.	a. Ch. n.	
461.	292.	M. Scantius [109]),
		[Cn. Apronius.]
462.	291.	[M. Livius Denter,]
		C. Trebonius Asper [110]).
463.	290.	L. Caecilius Metellus [111]),
		[C. Aurelius Cotta.]
464.	289.	Cn. Domitius Calvinus [112]),
		C. Fabricius Luscinus [113]).
465.	288.	Q. Marcius Philippus [114]),
		[M. Trebonius Flavus.]
466.	287.	Ti. Coruncanius Nepos [115]),
		P. Decius Mus [116]).
467.	286.	[L. Papirius Turdus,]
		[C. Furius Aculeo.]
468.	285.	[M. Oppius Cornicen,]
		[Q. Caecilius Metellus.]
469.	284.	C. Genucius Clepsina [117]),
		[L. Aurelius Cotta.]

109) Tribunus Pl. a. 293, Liv. X. c. 46.

110) Legatus a. 293, Liv. X. c. 40—41.

111) Praeturam accepit a. 285, Liv. Epit. l. XII, Consul factus est a. 283.

112) Consulatum gessit a. 282, Censuram a. 277, Liv. Epit. l. XIII.

113) Vir qui maxima animi sinceritate, in Pyrrhi exemplo notissimo pro omni aevo adeo comprobata, sibi suoque populo eximiam gloriam comparavit, primum Consulatum nactus est a. 281, secundum a. 277, tertium a. 272. Conf. Liv. Epit. l. XIII; Censuram a. 270, Liv. Epit. l. XIV.

114) Consulatu functus est a. 260.

115) Consul creatus est a. 279; tum multis annis postea primus ex Plebe Pontifex maximus nominatus est c. a. 245, Liv. Epit. l. XVIII.

116) Consulatum obtinuit a. 278.

117) Primum Consulatum adeptus est a. 275, secundum a. 269.

a. u. c.	a. Ch. n.	
470.	283.	[M. Albinius,]
		[M. Plaetorius.]
471.	282.	[C. Fundanius Fundulus,]
		[L. Genucius Aventinensis.]
472.	281.	[Ti. Minucius Augurinus,]
		[M. Claudius Marcellus.]
473.	280.	[M. Fulvius Curvus,]
		[Q. Fulvius Flaccus.]
474.	279.	[M. Trebius,]
		[Q. Silius Nerva.]
475.	278.	[L. Titius,]
		[T. Popillius.]
476.	277.	[Q. Appuleius Pansa,]
		[C. Plautius Decianus.]
477.	276.	L. Genucius Clepsina [118]),
		[P. Sallonius Sarra.]
478.	275.	[M. Titius Rufus,]
		[C. Sextius Lateranus.]
479.	274.	Q. Ogulnius Gallus [119]),
		P. Sempronius Sophus [120]).
480.	273.	[M. Fulvius Paetinus,]
		[Q. Lutatius Catulus.]
481.	272.	D. Iunius Pera [121]),
		[Q. Considius.]
482.	271.	[Q. Mamilius Turinus,]
		[M. Minucius Fessus.]
483.	270.	L. Mamilius Vitulus [122]),
		[M. Aquillius Florus.]

118) Consulatum nactus est a. 270.

119) Consulatum gessit a. 268.

120) Consul factus est a. 267, Censor a. 253, Liv. Epit. l. XVIII.

121) Consulatum accepit a. 265.

122) Consul creatus est a. 264.

a. u. c.	a. Ch. n.	
484.	269.	[M. Duilius,]
		[Ti. Sempronius Grachus.]
485.	268.	[C. Apustius Fullo,]
		[C. Volscius Fictor.]
486.	267.	M. Otacilius Crassus [123]),
		[C. Sallonius Sarra.]
487.	266.	Q. Mamilius Vitulus [124]),
		Cn. Apronius Limo [125]).
488.	265.	T. Otacilius Crassus [126]),
		[C. Atilius Calatinus.]
489.	264.	C. Duilius, M. F. [127]),
		[Cn. Minucius Fessus.]
490.	263.	C. Aquillius Florus [128]),
		[Cn. Ogulnius Gallus.]
491.	262.	[C. Oppius Cornicen,]
		[Cn. Domitius Calvinus.]
492.	261.	C. Atilius Regulus Serranus [129]),
		[M. Popillius Laenas.]

123) Primum Consulatum gessit a. 262, Polyb. I. c. 16; secundum a. 246.

124) Consul factus est a. 261.

125) Hic coactus Aedilitate se abdicavit ex S. C., ob Apolloniatium legatos ab eodem et Aedile Cur. Q. Fabio offensos, Valer. Max. VI, 6. §. 5. Zonar. VIII. c. 7 (Vol. I. p. 380). Cf. Liv. epit. l. XV et Pigh. I. p. 459.

126) Consulatum adeptus est a. 260.

127) In cuius Aedilitate denarius cusus esse videtur cum inscriptione „C. Duili. M. F. Roma", et Romae galeatae Castorisque ac Pollucis decurrentium signis apd. Pigh. II. p. 14. — Consul factus est a. 259, primusque omnium Romanorum ducum navalis victoriae duxit triumphum, Liv. Epit. l. XVII, Polyb. I. c. 22.

128) Consulatum gessit a. 258.

129) Primum Consul factus est a. 256, Polyb. I. c. 25; secundum a. 249.

a. u. c.	a. Ch. n.	
493.	260.	[Q. Caedicius,]
		[L. Apustius Fullo.]
494.	259.	Ser. Fulvius Paetinus Nobilior [130]),
		[T. Aebutius Carus.]
495.	258.	C. Sempronius Blaesus [131]),
		[L. Laetorius Mergus.]
496.	257.	C. Aurelius Cotta [132]),
		[C. Claudius Camna.]
497.	256.	[C. Marcius Censorinus,]
		[M. Claudius Marcellus.]
498.	255.	L. Iunius Pullus [133]),
		L. Caecilius Metellus [134]).
499.	254.	[L. Papirius Turdus,]
		[C. Maenius.]
500.	253.	[C. Fabricius Luscinus,]
		[L. Minucius Thermus.]
501.	252.	[Cn. Baebius Tamphilus,]
		[P. Popilius Laenas.]
502.	251.	M. Atilius Bulbus [135]),
		[M. Tullius.]
503.	250.	C. Atilius Bulbus [136]),
		[L. Genucius Aventinensis.]
504.	249.	[P. Furius Aculeo,]
		[L. Maecilius Tullus.]

130) Consulatum obtinuit a. 254, Polyb. I. c. 36.

131) Primum Consulatum nactus est a. 252, Polyb. I. c. 59; secundum a. 245.

132) Consulatum adeptus est a. 247.

133) Consulatum gessit a. 248.

134) Praetor a. 253, primum Consul factus est a. 250, Polyb. I. c. 39; iterum a. 245, Liv. Epit. lib. XIX; Pontifex maximus ibid.

135) Consulatu functus est a. 244.

136) Consulatum obtinuit a. 234.

a. u. c.	a. Ch. n.	
505.	248.	[Q. Fundanius Fundulus,]
		[Q. Silius Nerva.]
506.	247.	[P. Mucius Scaevola,]
		[C. Licinius Stolo.]
507.	246.	C. Fundanius Fundulus [137]),
		Ti. Sempronius Grachus [138]).
508.	245.	Q. Lutatius Cerco [139]),
		[P. Publilius Philo.]
509.	244.	[C. Coruncanius,]
		[L. Coruncanius.]
510.	243.	C. (M.) Mamilius Turrinus [140]),
		[M. Fulvius Flaccus.]

137) Consul creatus est a. 242.

138) Is cum collega Fundanio Claudiae, Appii Claudi Caeci, qui Consul contra auspicia male pugnaverat, sorori maiestatis diem ad populum dixit, damnatamque aeris gravis XXV millibus mulctavit, quod a ludis cum rediret et turba premeretur, dixisset: „Utinam frater reviviscat, iterumque classem ducat, et istam multitudinem perditum eat, quae me male nunc miseram oonvexavit." Quod accuratius refert Gellius X. c. 6 ex Ateii Capitonis commentario de iudiciis publicis, rem contigisse dicens bello Punico primo, Fabio Licino, Otacilio Crasso Cons. Meminere etiam facti Liv. epit. l. XIX, Sueton. i. Tiber. c. 2, Valer. Max. VIII, 1. Damnat. §. 4. — Idem in Aedilitate Libertatis aedem ex multaticia pecunia in Aventino fecit et dedicavit, in qua filius Ti. Grachus Proconsul picturam epulantium volonum, post victoriam ad Beneventum de Poenis et Annone partam libertate donatorum, dedicavit postea, Liv. XXIV. c. 16. — Consulatum adeptus est Ti. Sempronius a. 237.

139) Consulatum gessit a. 240.

140) Consul factus est a. 238.

a. n. c.	a. Ch. n.	
511.	242.	Q. Fulvius Flaccus [141]),
		C. Licinius Verus [142]).
512.	241.	[P. Sempronius Sophus,]
		[Q. Ogulnius Gallus.]
513.	240.	Sp. Carvilius Maximus Ruga [143]),
		[Q. Aulius Cerretanus.]
514.	239.	L. Publicius (Poblicius) Malleolus [144]),
		M. Publicius Malleolus [145]).
515.	238.	M' Pomponius Matho [146]),
		[C. Atilius Regulus.]

141) Primum Consulatum obtinuit a. 256, sesundum a. 223, Polyb. II. c. 51; tum Censuram, Pontificatum a. 216, Liv. XXIII. c. 21; deinde rursus Praeturam urbanam a. 215, ibid. c. 24 et 30, in quo munere etiam a. 214 reficitur, ibid. XXIV. c. 9. Denique ille Magister equitum a. 213 a Dictatore C. Claudio Centhone dictus est, ex quo munere statim ad tertium Consulatum a. 212 ascendit, Liv. XXV. c. 2.

142) Consul creatus est a. 235.

143) Primum Consulatum gessit a. 254, secundum a. 227.

144) Qui Aediles plurimos locupletes, quod agrum populi Romani publicum occupaverant usurpaverantque, ad populum reos adduxerunt peculatusque damnarunt, et ex pecunia multaticia deae Florae faciundos instituerunt. Hanc aedem iuxta Circum maximum exstruendam, clivumque, qui ab eorum nomine Publicius appellatus est, sternendum curaverunt: Tacit. Annal. II. c. 49 praeterea aedem Florae in hoc loco ab Lucio et Marcio Publiciis Aedilibus constitutam diserte profert. Varro de L. L. IV. edit. Bipont. pag. 44 et Ovid. Fast. V. v. 287 Publicios Aediles Plebis dicunt, et Festus s. voc. Publ. Malleolorum cognomen adiungit: etsi is quidem hos Aediles Curules falso putat. Denique Velleius Paterc. I. c. 14 narrat, Floralium initium Consulibus C. Claudio Centhone et M. Sempronio Tuditano, qui a. 239 hoc imperium obtinuerunt, esse factum.

145) Consul factus est a. 231.

146) Primum Consul creatus est a. 232, secundum a. 250; Magister equitum a Dictatore L. Veturio a. 217 dictus est, Liv. XXII. c. 33.

a. u. c.	a. Ch. n.	
516.	237.	[D. Iunius Pera,]
		[Cn. Pomponius Rufus.]
517.	236.	[Ti. Veturius Calvinus,]
		[Cn. Apronius Limo.]
518.	235.	Cn. Fulvius Centumalus [147]),
		M' Pomponius Matho II (vid. not. 146).
519.	234.	[M' Iuventius Thalna,]
		[M' Otacilius Crassus.]
520.	233.	[C. Aquillius Florus,]
		[Q. Ogulnius Gallus.]
521.	232.	L. Apustius Fullo [148]),
		[Q. Caedicius Noctua.]
522.	231.	C. Atilius Regulus [149]),
		[Cn. Ogulnius Gallus.]
523.	230.	[C. Servilius,]
		[Q. Cassius Longinus.]
524.	229.	C. Flaminius [150]),
		[T. Aebutius Carus.]
525.	228.	[C. Apustius Fullo,]
		[M. Iunius Brutus.]
526.	227.	[A. Atilius Bulbus,]
		[P. Plautius Hypsaeus.]
527.	226.	C. Scantinius Capitolinus [151]),
		[L. Laetorius Mergus.]

147) Consulatum accepit a. 228, Polyb. II. c. 11.

148) Consul factus est a. 225.

149) Consulatum obtinuit a. 224, Polyb. II. c. 25.

150) Primum Consul creatus est a. 222, Polyb. II. c. 32, Liv. XXI. c. 63; Censor a. 220, Liv. Epit. l. XX et XXIII c 22; iterum Consul a. 217, Liv. XXI. c. 57; in pugna ad lacum Trasimenum cecidit, ibid. XXII. c. 6.

151) In hoc munere Scantinius a M. Claudio Marcello Aed. Curul. accusatus, quod eiusdem filium de stupro appellaverat, et damnatus est, Plutarch. vit. Marcell. c. 2; Valer. Maxim. VI, 1. §. 7 falso eum Tribunum Pl. nominat.

a. u. c.	a. Ch. n.	
528.	225.	Q. (C.) Lutatius Catulus [152],
		Q. Baebius Tamphilus [153].
529.	224.	M. Livius Salinator [154],
		Ti. Sempronius Longus [155].
530.	223.	C. Terentius Varro [156],
		[T. Annius Luscus.]
531.	222.	[Q. Terentius Culeo,]
		[L. Aelius Tubero.]
532.	221.	C. Atilius Serranus [157],
		Cn. Pupius.
533.	220.	T. Otacilius Crassus [158],
		C. Fundanius Fundulus.
534.	219.	M. Iunius Silanus [159],
		C. Centenius Penula [160].

152) Consulatum accepit a. 219.

153) Legatus Saguntum ac Carthaginem missus est a. 218, Liv. XXI. c. 6.

154) Primum Consulatum obtinuit a. 219, Liv. XXII. c. 55, post quem Legatus Carthaginem profectus est a. 218, ib. XXI. c. 18. Tum per octo annos populi iudicio damnatus Romaque absens, secundum Consulatum adeptus est a. 207, Liv. XXVII. c. 34, in quo a collega suo Dictator comitiis habendis dictus est, Liv. XXVIII. c. 10. Censuram administravit a. 204, Liv. XXIX. c. 37, quo munere genti suae Salinatoris cognomen odiosum ob commentum vectigal salarium comparavit.

155) Consul creatus est a. 218, Liv. XXI. c. 6.

156) Aedilitatem Curulem nactus est a. 220, vid. de ceteris huius viri magistratibus Aed. Cur. s. a. 220.

157) Praetura functus est a. 218, Liv. XXI. c. 26; Pontificatum accepit a. 216, Liv. XXII. c. 55.

158) Primam Praeturam habuit a. 217, Liv. XXII. c. 31, secundam a. 214, ibid. XXIV. c. 9, a. 211 mortuus est, ibid. XXVI. c. 23.

159) Praetor creatus est a. 212, Liv. XXV. c. 2.

160) Imperium pro Praetore habuit a. 217, Liv. XXII. c. 8.

a. u. c.	a. Ch. n.	
535.	218.	T. Metilius Croto [161]),
		L. Apustius Fullo [162]).
536.	217.	C. Claudius Nero [163]),
		Cn. Fulvius Flaccus [164]).
537.	216.	M. Aurelius Cotta [165]),
		M. Claudius Marcellus (Otacilianus) [166]).
538.	215.	Q. Claudius Flamen, } [167])
		M. Atilius Regulus. }
539.	214.	C. Calpurnius Piso [168]),
		M. Metilius [169]).

161) Legatus ad exercitum in Siciliam deducendum missus est a. 215, Liv. XXIII. c. 31.

162) Legatus a. 215 reperitur apd. Liv. XXIII. c. 38.

163) Praeturam adeptus est a. 212, Liv. XXV. c. 2, Consulatum a. 207, Liv. XXVII. c. 34.

164) Praeturam accepit a. 212, Liv. XXV. c. 2, sed ob male gestam perduellionis accusatus a. 211 poenae vitandae caussa Tarquinios exsulatum abiit, Liv. XXVI. c. 13.

165) Cum M. Clandio in Aedilitate lndos Plebeios ter instauravit, Liv. XXIII. c. 30.

166) Hunc clarissimi Marcelli, qui eodem anno Praetor iterum res cum Hannibale feliciter gessit, fratrem adoptivum censet Pighius, eumque tironem ab hostibus circumventum in Sicilia, trucidatis iis, qui in eum gravi impetu ferebantur, medio mortis periculo ereptum a Marcello narrat Plutarch. in Marcell.

167) Uterque in Aedilitate frumentum a civitatibus subiugatae Sardiniae exactum a T. Manlio Praetore accepit, Liv. XXIII. c. 41. Praeterea Q. Claudius Tribunus Pl. a. 218 adiuvante Plebeio Consule Flaminio contra Senatum legem tulit, ne quis Senator Senatoriive ordinis navem, quae plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet, Liv. XXI. c. 63; tum a. 208 Praeturam nactus est, ibid. XXVII. c. 21.

168) Praeturam gessit a. 211, Liv. XXV. c. 41, Consulatum a. 180, ibid. XL. c. 35, sed eodem anno mortem obiit, ibid. c. 37.

169) Tribunus Pl. a. 217, Liv. XXII. c. 25.

a. u. c.	a. Ch. n.	
540.	213.	L. Villius Tappulus [170]), M. Fundanius Fundulus [171]).
541.	212.	L. Cincius Alimentus [172]), T. Popillius Sabellus [173]).
542.	211.	C. Aurunculeius Cotta, C. Mamilius Vitulus. } [174])
543.	210.	Q. Catius, L. Porcius Licinus. } [175])
544.	209.	C. Servilius Pulex Geminus, Q. Caecilius Metellus. } [176])

---

170) Ex hoc quidam librarii in Livii codicibus duos fecerunt, L. Iulium et T. Appulum; vid. not. seq.

171) Fundanius cum L. Villio in Aedilitate aliquot matronas apud populum probri accusarunt; quasdam ex eis damnatas in exilium egerunt. Ludos Plebeios per triduum instaurarunt, et Iovis epulum ludorum caussa fecerunt, Liv. XXV. c. 2.

172) Praetor creatus est a. 210, Liv. XXVI. c. 23.

173) Legatus a. 211, Liv. XXVI. c. 6.

174) Qui Aediles, Hannibale urbi imminente commeatus et annonae copiam castris Romanis, extra urbem intra Esquilinam Collinamque portam positis, invehere iussi sunt. C. Aurunculeius Praeturam gessit a. 209, Liv. XXVII. c. 6, et Consulatum a. 200, ibid. XXXI. c. 4. C. Mamilius primus ex Plebe Curio maximus, Patriciis valde renitentibus, creatus est a. 209, Liv. XXVII. c. 8; Praeturam gessit a. 207, ibid. c. 35; pestilentia periit a. 174, Liv. XLI. c. 21.

175) In Aedilitate ambo ex argento multaticio signa aenea ad Cereris dedere et ludos Plebeios pro temporis eius copia magnifici apparatus fecerunt, Liv. XXVII. c. 6. — Pro Catio in quibusdam codicibus Livii male Cantius legitur; L. Porcius autem Legatus a. 211, Liv. XXVI. c. 6, Praetor factus est a. 207, ibid. XXVII. c. 35; Consul demum a. 184, Liv. XXXIX. c. 32.

176) Qui Aediles ludos Plebeios diem unum instaurarunt,

a. u. c.	a. Ch. n.	
545.	208.	Q. Mamilius Vitulus, M. Caecilius Metellus. } 177)
546.	207.	Q. Mamilius Turinus 178), M. Pomponius Matho 179).
547.	206.	Sp. Lucretius Gallus, Cn. Octavius. } 180)
548.	205.	Ti. Claudius Asellus, M. Iunius Pennus. } 181)

Liv. XXVII. c 2, statimque anno sequenti ad Aedilitatem Curulem ascenderunt, ibid. XXVII. c. 55: conf. Aedil. Cur. s. a. 208. Praeterea vid. de C. Servilio, quae in primo capite huius libri in describenda potestate Aedilis, Comitiorum Aedilitiorum praesidis, disseruimus. Sed Q. Caecilius a Dictatore M. Livio Magister equitum creatus est a. 207, in quo munere Consulatum nactus est a. 206, Liv. XXVIII. c. 10, inde anno sequenti ad Dictaturam ipsam comitiorum caussa ascendit, ib. XXIX. c. 11.

177) In Aedilitate ludos Plebeios cum Iovis epulo biduum instauraverunt, triaque signa ad Cereris aedem dederunt, Liv. XXVII. c. 36. — M. Caecilius Praeturam adiit a. 206, Liv. XXVIII. c. 10.

178) Ex Aedilitate, qua cum M. Pomponio ludos Plebeios semel totos instituit, statim Praeturam adeptus est a. 206, Liv. XXVIII. c. 10.

179) Praetor factus est a. 204, Liv. XXIX. c. 11.

180) In Aedilitate iam Praetores ann. seq. 205 designati sunt, Liv. XXVIII. c. 38, sed Lucretius iterum Praetor factus est a. 172, Liv. XLII. c. 9.

181) Ti. Claudius iam anno ante Aedilitatem, qua ludos Plebeios septies cum M. Iunio instauravit, accepit, Liv. XXVIII. c. 10 et XXIX. c. 11. M. Iunius Praeturam urbanam nactus est a. 201, Liv. XXX. c. 40 et XXXI. c. 4.

a. u. c.	a. Ch. n.	
549.	204.	P. Aelius Paetus [182]),
		P. Villius Tappulus [183]).
550.	203.	M. Sextius Sabinus, } [184])
		C. Tremellius Flaccus. }
551.	202.	P. Aelius Tubero [185]),
		L. Laetorius Plaucianus [186]).
552.	201.	L. Apustius Fullo [187]),
		Q. Minucius Rufus [188]).

182) Qui Praetori M. Pomponio et decem legatis ad P. Cornelium Scipionem additus est, ut ex Aedilitatis auctoritate Tribunis Pl. iubentibus Scipionem, si is aut in Sicilia Praetori dicto audiens non esset, aut iam in Africam traiecisset, prendere posset, Tribunisque sacrosanctae potestatis iure ad reducendum redderet, Liv. XXIX. c. 20. Deinde cum collega Villio ludos Plebeios per biduum et Iovis epulum ludorum caussa fecit, ibid. XXIX. c. 38, Praeturam a. 204 accepit, ibid. eod. cap., Magister equitum a Dictatore C. Servilio dictus est a. 202, Liv. XXX. c. 39, Consul factus a. 201, ibid. c. 40; denique Censor a. 199, Liv. XXXII. c. 7.

183) Praetor factus est a. 205, Liv. XXIX. c. 38, Consul a. 199, Liv. XXXI. c. 49.

184) Ambo, qui ludos Plebeios ter totos instauraverunt, Praetores ann. sequentis 202 designati sunt, Liv. XXX. c. 26.

185) Primum Praetor creatus est a. 201, Liv. XXX. c. 40, iterum a. 177, ib. XLI. c. 8.

186) Qui cum collega P. Aelio Aedilis vitio factus, uterque magistratu se abdicaverunt, sed serius vitio deprehenso, cum prius ludos Plebeios ludorumque caussa epulum Iovi fecissent, signaque tria ex argento multaticio facta in Capitolio posuissent, Liv. XXX. c. 39.

187) Apustius cum collega ludos Plebeios ter totos cum Iovis epulo instauravit, Liv. XXXI. c. 4, Praeturamque adeptus est a. 196, ibid. XXXIII. c. 24.

188) Minucius ex Aedilitate statim ad Praeturam a. seq. ascendere potuit, ac Consulatum a. 197 obtinuit, Liv. XXXI. c. 4 et XXXII. c. 27.

a. u. c.	a. Ch. n.	
553.	200.	L. Terentius Massiliota [189]), Cn. Baebius Tamphilus [190]).
554.	199.	M. Porcius Cato [191]), C. Helvius Blasio [192]).
555.	198.	C. Sempronius Tuditanus, M. Helvius Blasio. [193])
556.	197.	M' Acilius Glabrio [194]), C. Laelius [195]).

189) Qui cum Cn. Baebio in Aedilitate ludos Plebeios ter totos instauravit, Liv. XXXI. c. 50; tum primum Praetor factus est a. 197, secundum autem a. 187, ibid. XXXVIII. c. 42.

190) Tribunus Pl. a. 204, Liv. XXIX. c. 57, in Aedilitate ipsa Praetor a. 199 designatus est, ibid. XXXI. c. 49, tum multo post Consulatum accepit a. 182, Liv. XXXIX. c. 56. Praeterea cognomen Tamphili Pamphilo praetuli, de quo conf. Drakenborch. not. ad Liv. XL. c. 18.

191) M. Porcius Quaestura functus est a. 204, Liv. XXIX. c. 25, cum C. Helvio, a Cornelio Nepote vit. Caton. c. 7 Catonis collega in Aedilitate vocato, ludos Plebeios et Iovis epulum fecit, in quo magistratu adhuc Praetor a. 198 creatus est, Liv. XXXII. c. 7. Consulatum accepit a. 195, ibid. XXXIII. c. 42, et Censuram maxime renitentibus Patriciis a. 184, ibid. XXXIX. c. 41.

192) C. Helvii dignitatum iidem loci in not. anteced. laudati mentionem faciunt.

193) Praetores ambo in hac Aedilitate in annum sequentem designati sunt, Liv. XXXII. c. 27.

194) Tribunus Pl. a. 201, Liv. XXX. c. 40, Decemvir sacrorum factus est a. 199, ibid. XXXI. c. 50. In Aedilitate ludos Plebeios cum collega Laelio septies instauravit, et ex argento multaticio tria signa aenea Cereri Liberoque et Liberae posuit, ibid. XXXIII. c. 25. Iidem uterque simul in munere Aedilitio Praeturam anni sequentis adepti sunt, ibid. c. 24, tum M' Acilius anno ante, quam Laelius (a. 191), Consulatum accepit, ibid. XXXV. c. 24.

195) Praefectus classis a. 210, Liv. XXVI. c. 48, eodemque officio functus est usque ad 204, ibid. XXIX. c. 25; Praetura a. 196, vid. not. 194; Consulatu a. 190, ibid. XXXVI. c. 45.

a. u. c.	a. Ch. n.	
557.	196.	Cn. Domitius Ahenobarbus [196]), C. Scribonius Curio Maximus [197]).
558.	195.	T. Iuventius Thalna, Sex. Digitius. } [198])
559.	194.	M. Iunius Brutus [199]), Q. Oppius Salinator [200]).
560.	193.	L. Oppius Salinator [201]), P. Iunius Brutus [202]).

196) Cn. Domitius eiusque collega Scribonius in Aedilitate multos pecuarios ad populi iudicium adduxerunt, e quibus tres condemnaverunt, et ex eorum pecunia multaticia Fauni aedem, quam Domitius biennio post Praetoris urbani munere dedicavit (Liv. XXXIV, 53), in insula Tiberina fecerunt: ludos Plebeios per biduum epulumque Iovis ludorum caussa instituerunt, Liv. XXXIII. c. 42. Deinde Domitius Praeturam obtinuit a. 194, ibid. XXXIV. c. 42, Consulatum a. 192, ibid. XXXV. c. 10.

197) Scribonius Praetor creatus est a. 193, Liv. XXXIV. c. 54.

198) Qui simul in annum sequentem 195 Praetores facti sunt, Liv. XXXIV. c. 42.

199) Tribunatum Pl. gessit Brutus a. 195, Oppii legem sumtuariam acriter defendens, Liv. XXXIV. c. 1, Praeturam obtinuit a. 191, ib. XXXV. c. 24, Consulatum a. 178, ib. XL. c. 59.

200) Quinti Oppii Aedilitatem solam novimus, quam memorat simul cum collegae munere Festus s. voc. Aediles Pl., qui locus ex Iosephi Scaligeri emendatione felici ita legitur: „Ii fecerunt tabernas, quas novas vocant, nos autem quinque dicimus eas et septem feruntur: et plebeias vocamus a genere magistratus; eas enim faciendas curaverunt M. Iunius Brutus, Q. Oppius Aediles Pl." Conf. Liv. XXVI. c. 27.

201) L. Oppius Tribunus Pl. factus est a. 197, Liv. XXXII. c. 28, Aedilis Pl. a. 195, ib. XXXV. c. 25, sequenti anno classi praefectus est, ibid., Praeturam obtinuit a. 191, ibid. c. 24.

202) P. Iunius sequenti anno post Aedilitatem Plebeiam adeptus est Curulem, Liv. XXXV. c. 41; vid. de hoc viro Aed. Curul. s. a. 192 a. Ch.

a. u. c.	a. Ch. n.	
561.	192.	C. Livius Salinator [203]),
		L. Aurunculeius Cotta [204]).
562.	191.	L. Plautius Hypsaeus [205]),
		M. Sempronius Tuditanus [206]).
563.	190.	M. Claudius Marcellus [207]),
		Q. Marcius Philippus Rex [208]).
564.	189.	Q. Fulvius Flaccus, } [209])
		A. (M.) Caecilius Metellus. }

---

203) C. Livius Praetor creatus est a. 191, Liv. XXXV. c. 24, Consul a. 189, ibid. XXXVIII. c. 35.

204) Aurunculeius Praeturam accepit a. 190, Liv. XXXVI. c. 45.

205) Plautius Praetor factus est a. 189, Liv. XXXVII. c. 47.

206) M. Sempronius Tribunatum Pl. gravissimum habuit a. 193, „quo ex auctoritate Patrum Plebem rogavit, Plebesque scivit, ut cum sociis ac nomine Latino pecuniae creditae ius idem, quod cum civibus Romanis, esset". Praeturam gessit a. 189, Liv. XXXVII. c. 47, Appian. VI. c. 39, Consulatum a. 185, ib. XXXIX. c. 23, Pontificatum maximum a. 183, ib. XXXIX. c. 46, et a. 174 pestilentia mortuus est, ib. XLI. c. 21.

207) M. Claudius Praeturam accepit a. 188, Liv. XXXVIII. c. 35, Consulatum a. 183, ibid. XXXIX. c. 45.

208) Q. Marcius Tribunus Pl. fuit a. 196, Liv. XXXIII. c. 25, Praetor a. 188, ib. XXXVIII. c. 35, primum Consul a. 186, ib. XXXIX. c. 6, iterum Consul a. 169, ib. XLIII. c. 11, Cic. in Brut. c. 20.

209) „Uterque in Aedilitate ludos Plebeios quinquies totos instauraverunt: Flaccus, uno reo damnato, signa aurata duo in Capitolio posuit, collega eius A. Caecilius neminem condemnavit", Liv. XXXVIII. c. 35. Praeterea Flaccus Praeturam accepit a. 187, ibid. XXXVIII. c. 42.

a. u. c.	a. Ch. n.	
565.	188.	M. Licinius Lucullus [210]),
		T. Maenius [211]).
566.	187.	C. Sempronius Blaesus, } [212]).
		M. Furius Luscus.
567.	186.	Q. Naevius Matho [213]),
		C. Decimius Flavus [214]).
568.	185.	Cn. Sicinius [215]),
		L. Pupius [216]).
569.	184.	C. (L.) Mummius [217]),
		L. Caecilius Denter [218]).
570.	183.	L. Duronius [219]),
		M. Pinarius Posca [220]).

210) M. Licinius Praetor fuit a. 186, Liv. XXXIX. c. 6.

211) T. Maenius eandem dignitatem eodem anno quam Maenius adeptus est, Liv. loc. cit.

212) In munere Aedilicio ambo communiter ludos Plebeios diem unum instaurarunt, Liv. XXXIX. c. 7, C. Sempronius autem Praeturam nactus est a. 184, ib. c. 32.

213) Q. Naevius eiusque collega Consulum edicto in Aedilitate videre iussi sunt, ne qua sacra in operto fierent, Liv. XXXIX. c. 14; tum ille ad Praeturam ascendit a. 184, ibid. c. 32.

214) C. Decimius Praeturam accepit a. 184, Liv. XXXIX. c. 38, sed eodem anno mortuus est, ibid. c. 39.

215) Cn. Sicinium cum L. Pupio in suo munere Aedilicio Praeturam C. Decimii morte vacantem summa contentione petiisse, repulsamque passos esse narrat Livius XXXIX. c. 39; sed secundo anno posthac Sicinius Praetor factus est, ibid. c. 45.

216) Pupius identidem a. 185 Praeturam adeptus est, Liv. loc. cit.

217) Mummius Praetor fuit a. 177, Liv. XLI. c. 8.

218) L. Caecilius Denter anno secundo post Aedilitatem adiit Praeturam, Liv. XXXIX. c. 56.

219) Duronius Praetor factus est a. 181, Liv. XL. c. 18.

220) M. Pinarius eodem anno cum Duronio Praetor creatus est, ibid.

a. u. c.	a. Ch. n.	
571.	182.	Ti. Minucius Augurinus Molliculus [221]), C. Maenius [222]).
572.	181.	Q. Mucius Scaevola [223]), P. Mucius Scaevola [224]).
573.	180.	M. Titinius Curvus [225]), P. Aelius Ligur [226]).
574.	179.	C. Numisius [227]), M. Popillius Laenas [228]).
575.	178.	C. Popillius Laenas [229]), L. Aquilius Gallus [230]).
576.	177.	T. Annius Luscus [231]), C. Memmius Gallus [232]).

221) Praeturam secundo anno post Aedilitatem ad Praeturam accessit, Liv. XL. c. 55, sed in hoc munere ipso a. 180 pestilentia h. a. absumtus est, ib. c. 57.

222) Praetura functus est Maenius a. 180, Liv. XL. c. 55.

223) Praetor factus est Scaevola iam a. 179, Liv. XL. c. 44, Consul demum a. 174, ib. XLI. c. 26.

224) P. Mucius in Praetura quoque fratris Quinti collega fuit, Liv. XL. c. 44, sed Consulatum iam anno antea accepit a. 175, ibid. XLI. c. 19.

225) M. Titinius Praetor fuit a. 178, Liv. XL. c. 56.

226) P. Aelius Consulatum accepit a. 172, Liv. XLII. c. 9.

227) Praetor factus est a. 177, Liv. XLI. c. 8.

228) M. Popillius Praeturam adeptus est a. 176, Liv. XLI. c. 14, Consulatum a. 173, ibid. c. 28.

229) C. Popillius primum Consul creatus est a. 172, Liv. XLII. c. 9, secundum Consul a. 158.

230) L. Aquillius Praetor fuit a. 176, Liv. XLI. c. 14.

231) T. Annius Triumvir coloniae Aquileiam deducendae a. 169, Liv. XLIII. c. 17.

232) C. Memmius primum Praetor factus est a. 175, iterum Praetor a. 172, Liv. XLII. c. 9.

a. u. c.	a. Ch. n.	
577.	176.	C. Cassius Longinus [233]),
		M. Atilius Serranus [234]).
578.	175.	L. Villius Tappulus Annalis [235]),
		C. Caninius Raebilus [236]).
579.	174.	Cn. Sicinius [237]),
		M. Iunius Pennus [238]).
580.	173.	M. Claudius Marcellus [239]),
		[C. Servilius Casca.]
581.	172.	Q. Maenius [240]),
		C. Marcius Figulus [241]).

233) Cassius Consulatu functus est a. 171, Liv. XLII. c. 28.

234) Primum Praetor fuit M. Atilius a. 175, Liv. XLI. c. 21, secundum Praetor a. 173, ibid. c. 28, Consul a. 170, ibid. XLIII. c. 4.

235) Tribunatum Pl. gessit a. 179, quo primum rogationem tulit, „quot annos nati quemque magistratum peterent caperentque; inde cognomen familiae inditum, ut Annales appellarentur", Liv. XL. c. 44; conf. not. ad h. loc. in edit. Drakenb. Praetor fuit Villius a. 171, Liv. XLII. c. 28

236) Caninius Praetor creatus est a. 171, Liv. XLII. c. 28.

237) Sicinius Praeturam habuit a. 172, Liv. XLII. c. 9.

238) Iunius Praetura functus est a. 172, Liv. XLII. c. 9, Consulatu a. 167, ib. XLV. c. 16.

239) Tribunus Pl. fuit M. Claudius a. 171, Liv. XLII. c. 32, Plin. hist. nat. II. c. 12, Praetor a. 169, Liv. XLIII. c. 11 (conf. quae Pigh. Ann. II. pag. 560 interpretatus est), Aedilis Curulis a. 168; primum Consul a. 166, Liv. XLV. c. 44 et epit. l. XLVI, iterum Consul a. 155, tertium Consul a. 152, Liv. epit. l. XLVIII, Appian. VI. c. 48; naufragio denique periit a. 148 in legatione ad Masinissam missus, ib. epit. l. LIX.

240) Maenius Praetor creatus est a. 170, Liv. XLIII. c. 4.

241) C. Marcii Figuli Aedilicii adhuc exstant pulcherrimi ex auro et argento denarii cum facie Cybeles turritae et eius curru, quem duo leones iugati trahunt, in quibus eius nomen sic legitur: „C. Marci. C. F. Q. N. Figulus Ex S. C.": quare Pighio II. pag. 565 cusi videntur ex auro et argento publico,

a. u. c.	a. Ch. n.	
582.	171.	P. Fonteius Capito [242]),
		L. Anicius Gallus [243]).
583.	170.	Q. Cassius Longinus [244]),
		Cn. Fulvius Gillo [245]).
584.	169.	A. Licinius Nerva [246]),
		[L. Livius Denter.]
585.	168.	C. Titinius [247]),
		C. (M.) Fannius Strabo [248]).
586.	167.	Cn. Aufidius [249]),
		[L. Silius Nerva.]
587.	166.	L. Anicius Gallus, vid. not. 243.
		[C. Sulpicius Rufus.]
588.	165.	Q. Voconius Saxa [250]),
		[P. Decimius Flavus.]

ad sumtus ludorum Megalensium decreto. Ceterum Figulus Praetor creatus est a. 169, Liv. XLIII. c. 11, primum Consul a. 162, iterum Consul a. 156, ibid. epit. l. XLVII.

242) Fonteius Praetor factus est a. 169, Liv. XLIII. c. 11.

243) Anicius Praeturam gessit a. 168, Liv. XLIV. c. 17, Aedilitatem Pl. secundam a. 166, Consulatum a. 160, Cic. Brut. c. 83.

244) Cassius Praetor fuit a. 167, Liv. XLV. c. 16, Consul a. 160.

245) Gillo Praeturam adeptus est a. 167, Liv. XLV. c. 16.

246) Tribunus Pl. fuit a. 178, Liv. XLI. c. 6, Praetor autem a. 166, Liv. XLV. c. 44.

247) C. Titinius in Aedilitate lanios multavit, quod carnem populo vendidissent non inspectam. Ex pecunia multaticia Livernae cellam ad Telluris exstruxit, Diarium urbanum apud Pigh. Ann. II. s. h. a.

248) Strabo factus est Praetor a. 164, Consul a. 161; legem sumtuariam tulit, Plin. h. n. X. c. 50.

249) Tribunatum Pl. gessit a. 170, Liv. XLIII. c. 8.

250) In Tribunatu Pl. a. 176 Voconius legem tulit, ne quis heredem mulierem institueret, Liv. epit. l. XLI, Dio Cass. LVI. c. 10, Cicer. Verr. II. l. I. c. 41, pro Balbo c. 8.

a. u. c.	a. Ch. n.	
589.	164.	Cn. (C.) Tremellius Flaccus [251]),
		[L. Postumius Tumpanus.]
590.	163.	Ti. Sempronius Longus [252]),
		L. Aurelius Orestes [253]).
591.	162.	C. Mamilius Turrinus Limetanus [254]),
		[L. Pompeius.]
592.	161.	Q. Opimius [255]),
		[C. Antonius.]
593.	160.	T. Annius Luscus [256]), F. F.
		[L. Stertinius.]
594.	159.	C. Afranius Stellio [257]),
		[L. Porcius Laeca.]
595.	158.	L. Licinius Lucullus [258]),
		M' Manilius Nepos [259]).

251) Tribunatu Pl. functus est Tremellius a. 168, Liv. XLV. c. 15.

252) Praetor factus est Sempronius a. 160.

253) Orestes Praeturam adiit a. 160, Consulatum a. 157, Cic. Brut. c. 25.

254) Mamilius Praeturam adeptus est a. 159.

255) Consulatum gessit a. 154, Cic. de Orat. II. c. 68.

256) Pighius II. p. 415 Annii denarios Aedilicios adnotat, in quibus Castores in equis decurrentes expressos et in Romae galea spicam pro ala positam videmus, unde Pighius colligit, eundem frumenti copiam annonaeque laxitatem procurasse Romae. Septimo anno postea Annius Consulatum adeptus est (a. 153), Cic. Brut. c. 20.

257) Afranius Praetor creatus est a. 156.

258) Lucullus Consulatum obtinuit a. 151, Liv. epit. XLVIII, Appian. VI. c. 49 — 61.

259) Manilius decimo demum anno post Aedilitatem adeptus est Consulatum (a. 149), Liv. epit. l. XLIX, Cic. Brut. c. 16 et 27 — 28, Orat. I. c. 49 et III. c. 55, Acad. Quaest. IV. c. 52, Plin. h. n. VII. c. 9, Appian. VI. c. 56.

a. u. c.	a. Ch. n.	
596.	157.	Cn. Tremellius Flaccus [260]), L. Calpurnius Piso Caesoninus [261])
597.	156.	M' Acilius Balbus [262]), [L. Rutilius Flaccus.]
598.	155.	[L. Oppius Salinator,] [M. Licinius Stolo.]
599.	154.	C. Livius Drusus [263]), [A. Gabinius.]
600.	153.	C. Titius [264]), [M. Fufius.]
601.	152.	(M.) C. Vetilius [265]), P. Iuventius Thalna [266]).
602.	151.	L. Hostilius Mancinus [267]), C. Plautius Hypsaeus [268]).
603.	150.	M. Iunius Brutus [269]), [Q. Cotius Achilles.]

260) Cn. Tremellius Tribunatum Pl. gessit, „in quo magistratu eidem multa dicta est, quod cum M. Aemilio Lepido, Pontifice Max., iniuriose contenderat, sacrorumque quam magistratuum ius potentius fuit." Liv. epit. l. XLVII.

261) Calpurnius Consulatum nactus est a. 148, Appian. IV. c. 56.

262) Consulatu functus est Balbus a. 150, Cic. ep. ad Attic. IX. ep. 6.

263) Drusus Consul creatus est a. 147, Cic. Brut. c. 28.

264) Titius Praeturam adiit a. 150, equitum praefectus a. 135, Val. Max. II. c. 7. §. 9.

265) Praetor factus a. 145, ac in bello Lusitanico a Viriatho captus est, Liv. epit. l. LII, Appian. VI. c. 61—63.

266) Iuventius Praetor factus est a. 147, Liv. epit. l. L.

267) Hostilius Consulatum adeptus est a. 145.

268) Plautius Praetor fuit a. 144; male rem gessit contra Viriathum, Liv. epit. l. LII et Appian. VI. c. 64.

269) Praeturam adeptus est a. 148.

a. u. c.	a. Ch. n.	
604.	149.	L. Caecilius Metellus Calvus [270]), [Claudius Unimanus.]
605.	148.	M. Titius [271]), M. Furius Crassipes [272]).
606.	147.	C. Laelius Sapiens [273]), [C. Nigidius Figulus.]
607.	146.	L. Scribonius Libo [274]), Cn. (C.) Calpurnius Piso [275]).
608.	145.	L. Calpurnius Piso Frugi [276]), (Sex.) D. Iunius Brutus, M. F., postea Callaicus appellatus [277]).
609.	144.	D. Iunius Silanus Manlianus [278]), L. Hostilius Tubulus [278 a]).

270) L. Caecilius Praeturam obtinuit a. 146, Consulatum a. 142, Appian. VI. c. 76.

271) Praetor factus est a. 145.

272) Praeturam accepit M. Furius a. 144.

273) De Laelio luculenter nos docet Ellendt in Prolegom. ad Cic. Brutum p. 25 — 31, ita ut locis ibidem collectis de Laelii magistratibus nullum addere possimus.

274) Tribunus Pl. fuit a. 149, Liv. epit. l. XLIX, Cic. Orat. I. c. 55 et II. c. 65; conf. Ellendt l. c. p. 51 — 52.

275) Praeturam nactus est Calpurnius a. 142, Consulatum a. 139.

276) In Tribunatu Pl. L. Piso primus legem tulit de pecuniis repetundis a. 149, Cic. Brut. c. 27 et Ellendt ad h. l., de Offic. II. c. 21, in Verr. II. l. 5. c. 84; Praeturam adiit a. 156, Consulatum a. 155. De eius annalibus v. Voss. de Histor. Latin. p. 25 seq.

277) Consul factus est a. 138, Liv. epit. l. LV, Appian. VI. c. 71 et 80 — 82, Cic. Brut. c. 28, de leg. III. c. 9, Val. Max. II. c. 7. §. 9, ib. IV. c. 5. §. 10.

278) D. Iunius Praetor a. 142 provinciae pecuniis spoliatae accusatus et a patre T. Manlio Torquato damnatus, suspendio vitam finiit, Liv. epit. LIV, Valer. Max. V. c. 8. §. 3, Cic. de fin. bon. I. c. 7.

278 a) Tubulus Praeturam obtinuit a. 141, Q. Maximo L. Metello Cos., vid. Cic. ad Attic. XII. ep. 5.

a. u. c.	a. Ch. n.	
610.	143.	Ser. Fulvius Flaccus [279], L. Duronius [280].
611.	142.	C. Fulvius Flaccus [281], Q. Calpurnius Piso [282].
612.	141.	M. Claudius Marcellus [283], C. Licinius Crassus [284].
613.	140.	P. Rupilius [285], C. Calpurnius Piso [286].
614.	139.	[L. Rupilius,] M. Cosconius [287].
615.	138.	P. Mucius Scaevola [288], P. F., M. Perperna [289].

279) Fulvius Praeturam gessit a. 158., Consulatum a. 155, Cic. Brut. c. 21 et 28, de Invent. I. c. 45.

280) Duronius Praetor factus est a. 158.

281) C. Flaccus Praeturam adeptus est a. 157, Consulatum a. 154, Liv. epit. l. LVI.

282) Q. Calpurnius Praetor creatus est a. 158, Consul a. 155.

283) Claudius Praeturam adeptus est a. 157.

284) C. Crassus Praetor factus est a. 156.

285) Rupilius Praeturam nactus est a. 155, Consulatum a. 152, Liv. epit. LIX, sed in quibusdam codicibus h. l. Attilius sive Rutilius legitur; attamen ex fastis Capitolinis, et Cic. ad Attic. XIII. ep. 52 et in Verr. II. l. 4. c. 50 Rupilius servandus est; conf. Sigon. et Drakenborch. not. ad h. loc., tum Cic. Lael. c. 11 et 20. De eius Consulatu vid. Valer. Max. II. c. 7. §. 5 et VI. c. 9. §. 8.

286) C. Calpurnius Praeturam nactus est a. 156?

287) Cosconius Praetor constitutus est a. 154, Liv. epit. l. LVI.

288) P. Mucius Quaestor fuit a. 146, Tribunus Pl. a. 141, Praeturam gessit P. Furio Philo et Sex. Atilio Serrano Cos. (a. 156), Cic. ad Attic. XII. ep. 5, Consulatum a. 155, Cic. pro domo s. c. 54 et in Verr. II. lib. 4. c. 49, Pontificatum Max. Cic. pro domo s. c. 53 et d. Nat. deor. III. c. 2. De eius iurisprudentia ac eloquentia Cic. Brut. c. 28.

289) Praeturam Perperna obtinuit a. 155, Consulatum

a. u. c.	a. Ch. n.	
616.	137.	M' Aquilius [290], M. F.,
		[C. Livius Salinator.]
617.	136.	T. Annius Luscus Rufus [291],
		[A. Gabinius.]
618.	135.	L. Aurelius Orestes [292],
		[C. Antonius.]
619.	134.	L. Cassius Longinus [293], (Ravilla),
		C. Marcius Figulus [294], C. F.
620.	133.	L. Tremellius Scrofa [295],
		[C. Aurelius Orestes.]
621.	132.	M. Fulvius Flaccus [296],
		[M. Antius Briso, Tribunus Pl. 135? Cic. Brut. c. 25.]
622.	131.	C. Mamilius Limetanus [297],
		[L. Rubrius Varro.]

---

a. 150, Liv. epit. l. LIX, Valer. Max. III. c. 4. §. 5, Iustin. XXXVI. c. 4.

290) Aquilius Consul creatus est a. 129, Cic. ad Quint. f. III. ep. 5.

291) Annius Praeturam gessit a. 131, Consulatum a. 128.

292) Orestes Praetura functus est a. 131, Consulatu a. 126, Liv. epit. l. LX, Cic. Brut. c. 25.

293) L. Cassius Praetor fuit a. 130, Consul a. 127, Censor a. 124 (?), Cic. in Verr. II. l. 1. c. 55.

294) C. Marcius Figulus, viri duobus Consulatibus insignis filius, ipse huius magistratus repulsam passus est a. 124 (?), Val. Max. IX. c. 5. §. 2.

295) Tremellius Quaestor a. 145 alterum Pseudophilippum in Macedonia subegit, Liv. epit. l. LIII, Varro de re rust. II. c. 4.

296) M. Fulvius Praetura functus est a. 123, Consulatu a. 125, Liv. epit. l. LX, occisusque est a. 121 in secunda seditione Gracchana, ibid. epit. l. LXI, Vell. Paterc. II. c. 6 et Appian. de b. civ. I. c. 21, Cic. Catil. I. c. 11 et pro domo s. c. 58; de eius eloquentia Cic. Brut. c. 28.

297) C. Mamilius Praetor factus est a. 126.

a. u. c. a. Ch. n.

623. 130. Q. Aelius Tubero [298], Q. F.,
[M. Octavius Caecina.]

624. 129. P. Appuleius Saturninus [299],
[Q. Mummius.]

625. 128. C. Fannius Strabo [300], M. F.,
Q. Pompeius Rufus [301], Q. F.

626. 127. L. Caecilius Metellus, postea Delmaticus [302], L. F.,
L. Aurelius Cotta [303].

627. 126. Q. Marcius Rex [304],
M. Porcius Cato [305].

628. 125. C. Scribonius Curio [306],
[Q. Cotius.]

---

298) Q. Aelio Tuberoni memoriam egregiam posuit Cic. in Brut. c. 31, sed Praeturae repulsam passus est, Cic. pro Murena c. 36 et ad Attic. IV. ep. 16, Valer. Maxim. VII. c. 5. §. 1.

299) Appuleius Praeturam adeptus est a. 124.

300) C. Fannius Praeturam accepit a. 125, sed multo magis annalium compositione excelluit, Cic. in Brut. c. 26, Orat. II. c. 67, ad Attic. XII. ep. 5, de leg. I. c. 2. Cf. Voss. de Hist. Lat. p. 29 seq.

301) Q. Pompeius Praeturam nactus est a. 124.

302) L. Caecilius Praetor fuit a. 122, Consul a. 119, Liv. epit. LXII, Censor a. 118, ibid., Cic. in Verr. II. l. I. c. 59 et l. IV. c. 57, pro Cluent. c. 42, et Valer. Max. VIII. c. 5. §. 1.

303) L. Aurelius Praeturam habuit a. 122, Consulatum a. 119, Cic. Catilin. III. c. 8, de leg. agrar. II. c. 17.

304) Q. Marcius Praetor fuit a. 122, Consul a. 118, Liv. epit. l. LXII, Cic. de Orat. II. c. 28, Valer. Max. V. c. 10. §. 3.

305) M. Porcius Praeturam Consulatumque simul cum Q. Marcio Rege gessit, Liv. epit. l. LXIII, et loci in not. 304 excitati.

306) C. Scribonius Praeturam adeptus a. 121, gloria eloquentissimi aequalium suorum gavisus est, Cic. Brut. c. 29 et 32, de Orat. II. c. 25.

a. u. c.	a. Ch. n.	
629.	124.	C. Licinius Geta [307]), Sex. Pompeius Strabo [308]).
630.	123.	M. Caecilius Metellus [309]), Q. F., M. Iunius Pennus [310]), M. F.
631.	122.	C. Porcius Cato [311]), [C. Livius Drusus Claudianus.]
632.	121.	L. Mummius Achaicus [312]), L. F., [C. Memmius.]
633.	120.	L. Calpurnius Piso Caesoninus [313]), [C. Caecilius Caldus.]
634.	119.	M. Livius Drusus, Mamiliani F. [314]), [Q. Rubrius Varro, Cic. Brut. c. 45 an idem?]

---

307) Praetor factus est a. 120, Consul a. 116.

308) Sex. Pompeius, Cn. Pompeii Magni avus, Praetor a. 120, memoratur a Cicerone, Brut. c. 47.

309) M. Metellus, Q. Macedonici filius tertius per ordinarios magistratuum gradus ad Consulatum atque triumphum pervenit, a. 115, conf. Pigh. A. III. p. 50.

310) M. Iunius Pennus iuvenis post Aedilitatem gestam mortuus est, Cic. Brut. c. 28 et de Offic. III. c. 11.

311) C. Cato, M. Catonis Censorii et L. Paulli nepos, Praetor fuit a. 117, Consul a. 114, sed ex Macedonia rediens de repetundis damnatus est; inde exul Tarracone vixit, neque multo post lege Mamilia oppressus est, Cic. Verr. II. l. 4. c. 10, pro Balb. c. 11, eiusd. Brut. c. 55.

312) L. Mummius, L. Mummii qui Corinthum delevit filius, non ultra Praeturam a. 118 ascendit.

313) L. Calpurnius Praeturam gessit a. 115 in Hispania, Cic. in Verr. II. l. 4 c. 25, Consulatum a. 112.

314) M. Livius Praetor factus est a. 115, Lib. ad Herenn. II. c. 15, Consul a. 112, Liv. epit. l. LXIII, Cic. Brut. c. 28, Cic. p. dom. s. c. 19, Flor. III, 4. Conf. Pigh. A. III. p. 82 et Vaillant. Num. fam. R. I. p. 51—52.

a. u. c.	a. Ch. n.	
635.	118.	T. Didius [315],
		[P. Decius Mus.]
636.	117.	M. Iunius Silanus [316],
		M. Octavius [317].
637.	116.	M. Aurelius Scaurus [318],
		P. Licinius Murena [319].
638.	115.	L. Calpurnius Bestia [320],
		[M. Pupius.]
639.	114.	L. Cassius Longinus [321],
		C. Atilius Serranus [322].
640.	113.	[Q. Marcius Philippus,]
		C. Popillius Laenas [323], C. F.

315) Praetor a. 112, ad Consulatum demum ascendit a. 98, Liv. epit. l. LXX, et Appian. VI. c. 99—100, Cic. p. Planc. c. 25 et in Pis. c. 25, Pigh. Ann. III. p. 84.

316) Aedilitatem Curulem M. Silanus iam a. 121 gessit, vid. Aed. Cur. s. h. a., Consulatum autem a. 109, Cic. Brut. c. 35 et Verr. II. l. 2. c. 47.

317) De eius eloquentia non mediocri, Cic. Brut. c. 25. Conf. Pigh. A. III. p. 90.

318) De eius Quaestura, Cic. divin. in Caecil. c. 19, Consulatu a. 108, Liv. epit. l. LXVII, de eiusdem eloquentia satis eleganti, Cic. Brut. c. 35. Non multo post Consulatum (a. 106) Legatus copias contra Cimbros duxit, sed ab his captus est, Liv. loc. cit.

319) P. Licinius Praeturam adeptus est a. 115, Licinii Murenae a Cicerone defensi avus, Cic. pro Mur. c. 7.

320) L. Calpurnius Tribunus Pl. a. 119, Praetor factus est a. 115, Consul a. 111, Liv. epit. l. LXIV et Appian. VI. c. 99; tum lege Mamilia oppressus est, Cic. Brut. c. 34.

321) Longinus Praeturam obtinuit a. 111, Consulatum a. 107, quo autem magistratu a Tigurinis caesus est, Liv. epit. l. LXV.

322) Atilius Serranus Consulatum adiit a. 106.

323) C. Popillius, L. Cassii Consulis Legatus a. 107, a Gallis obsessus, ita discedit, ut impedimenta relinqueret, exerci-

a. u. c.	a. Ch. n.	
641.	112.	C. Flavius Fimbria [324]),
		[A. Caesellius Bassus.]
642.	111.	[M. Domitius Calvinus,]
		Cn. Aufidius, Cn. F. [325]).
643.	110.	Sex. Peduceius [326]),
		[C. Annius Bellienus.]
644.	109.	M. Aquillius [327]),
		T. Albucius [327 a]).

---

tum vero educeret, Lib. ad Herenn. I. c. 15, deinde Praetor a. 104 a Coelio legis tabellariae auctore oppressus est, Cic. de leg. III. c. 16.

324) C. Fimbria Praetor fuit a. 107, Consul a. 104, Cic. Brut. c. 34 et Ellendt ad h. loc., de Orat. II. c. 22 et de Offic. III. c. 19. In Tribunatu Pl. petendo repulsus est, Cic. pro Planc. c. 21.

325) Aufidius fuit Quaestor a. 119, Praetor a. 108, et ad summam senectutem pervenit, ita ut Cicero adhuc eum caecum in Senatum venientem videre posset, Cic. Tusc. Q. V. c. 38 et de Fin. bon. V. c. 19.

326) Peduceius Praetor factus est c. a. 105, Cic. de Fin. bon. II. c. 18.

327) M. Aquillius Praetor fuit a. 104, Cic. Verr. II. l. 5. c. 2—5, Consul a. 101, Liv. epit. l. LXIX, sed de repetundis accusatus a P. Lentulo, Principe Senatus, Cic. divinat. i. Caec. c. 19, M. Antonii oratoris excusatione absolutus est, Liv. epit. l. LXX, Cic. Verr. II. l. 5. c. 1. Tandem morte crudelissima periit; nam Mithridates capto Aquillio aurum liquefactum in os infundi iussit, Appian. de bell. Mithrid. c. 21.

327 a) Titus Albucius Quaestor c. a. 117 P. Mucium Scaevolam de pecuniis repetundis accusare conatus est, Cic. Brut. c. 26, de Orat. II. c. 70, sed ipse Praetor c. a. 104 Sardiniaa ob provinciam crudeliter et avare administratam a Quaestore suo Pompeio Strabone, cui tamen causam ad finem perducere non permissum est, Cic. div. in Caec. c. 19 et in Pison. c. 38, et a C. Iulio Caesare Strabone in iudicium vocatus damnatusque est: inde Athenis exul vitam degit, Cic. Tusc. Q. V. c. 37.

a. u. c.	a. Ch. n.	
645.	108.	[C. Baebius Sulca,]
		C. Cosconius [328]).
646.	107.	C. Mamilius Limetanus [329]),
		[L. Annius.]
647.	106.	L. Licinius Lucullus [330]),
		[C. Servilius Casca.]
648.	105.	C. Cassius Longinus [331]),
		L. Tremellius Scrofa [332]).
649.	104.	C. Coelius Caldus [333]),
		Sp. Thorius Balbus [334]).
650.	103.	Cn. Domitius Ahenobarbus [335]),
		[P. Sestius.]
651.	102.	L. Domitius Ahenobarbus [336]), Cn. F.,
		[Cn. Tremellius Scrofa.]

328) Qui deinde Servilia lege reus propter gravissima facinora in iudicium ductus, sed absolutus est, Valer. Max. VII. c. 1. §. 8, in bello sociali memoratur ab Appiano de bell. civ. I. c. 52.

329) Praetura Mamilius functus est a. 102.

330) Qui pater fuit L. Luculli, rebus in Asia gestis laudati.

331) C. Cassius in Tribunatus Pl. petitione repulsam passus est, Cic. p. Planc. c. 21, Consulatum tamen a. 96 accepit.

332) Praetor creatus est a. 100?

333) C. Coelius Praeturam gessit a. 94, Cic. de Orat. I. c. 25 et Verr. II. l. 5. c. 70, sed Quaesturam accipere non potuit, Cic. pro Planc. c. 21. De eius eloquentia eiusd. Brutus c. 45.

334) Sp. Thorius Tribunus Pl. c. a. 107 agrum publicum vitiosa et inutili lege, vectigali levavit, Cic. Brut. c. 36, de Orat. II. c. 70.

335) Cn. Domitius, Cn. F., Tribunus Pl. a. 106 M. Scaurum in iudicium vocavit, Cic. p. r. Deiot. c. 11 et Valer. Max. VI. c. 5. §. 5, Praetor a. 100, Consul a. 96 Allobrogos Arvernosque devicit, Sueton. Ner. c. 2, Censor a. 91, Plin. h. n. XVII. c. 1 et Cic. Brut. c. 44—45, Pontifex Max. Cic. p. r. Deiot. c. 11, Valer. Max. IX. c. 1. §. 4.

336) L. Domitius, frater Cn. prioris, Praetor factus est a. 98, Cic. Verr. II. l. 5. c. 5, Consul a. 94.

a. u. c.	a. Ch. n.	
652.	101.	L. Marcius Philippus[337]), Q. F., M. Herennius[338]).
653.	100.	M. Perperna[339]), [Sex. Pompeius.]
654.	99.	Cn. Octavius Rufus[340]), [T. Cicereius.]
655.	98.	P. Rutilius Lupus[341]), M' Acilius Glabrio[342]).
656.	97.	Cn. Pompeius Strabo[343]), Sex. F., [Cn. Baebius Tamphilus.]

337) L. Marcius nullum munus in Aedilitate dedit, unde sine omni quidem largitione summos sese consecutum esse honores dicere potuit, Cic. de Offic. II. c. 17; attamen duas repulsas passus est, alteram in Tribunatu militum, Cic. pr. Planc. c. 21, alteram in Consulatu, quem a. 91 demum accepit, Cic. Brut. c. 45 et p. Muren. c. 17 et 31. Censor factus est a. 86, Cic. in Verr. II. l. 1. c. 55. Sed de hoc viro iam copiose Brossius (hist. Acad. Inscr. t. XXVII. p. 406 seq.) et Ellendtius (Prolegom. ad Brut. p. 77—79) disseruerunt.

338) M. Herennius orator valde mediocris, „tamen Philippum, summa nobilitate hominem, cognatione, sodalitate, collegio, summa etiam eloquentia in Consulatus petitione superavit, Cic. Brut. c. 45, pr. Muren. c. 17.

339) M. Perperna Praetor factus est a. 96, Consul a. 92, deinde Censor, Cic. Verr. II. l. 1. c. 55, vitam usque ad nonaginta octo annos duxit, Plin. h. n. VII. c. 48.

340) Cn. Octavius Praeturam a. 95 gessit.

341) P. Rutilius Praetor fuit a. 94, Consul a. 90, Liv. epit. l. LXXIII, Cic. pro Fonteio c. 15, Valer. Max. II. c. 10. §. 5; de rebus ab eo gestis in bello sociali Appian. d. bell. c. I. c. 40 seq.

342) M' Acilius Praetor fuit a. 70, Cic. in Verr. I. c. 2, Consul a. 67, id. pro leg. Manil. c. 9 et Brutus c. 63.

343) Cn. Pompeius, Pompeii Magni pater, Quaestor a. 104 (vid. not. 327 a), Praetor Siciliae a. 93 factus est, Cic. Verr. II. l. 5. c. 16, Consul a. 89, Liv. epit. l. LXXIV et LXVII, in quo magistratu bellum sociale gessit triumphavitque, Appian. de

a. u. c.	a. Ch. n.	
657.	96.	L. Porcius Cato [344]),
		[C. Geminius.]
658.	95.	A. Plautius Silvanus [345]),
		[C. Perperna.] (Appian. de bell. civ. I. c. 40.)
659.	94.	Q. Lucretius Vespillo [346]),
		L. Cassius Longinus [347]).
660.	93.	C. Sentius Saturninus [348]),
		Cn. Papirius Carbo [349]).

---

bell. civ. I. c. 47, 50 seq., Cic. pro Balb. c. 22. De eius eloquentia Cic. Brut. c. 47. Ceterum conf. Valer. Max. IX. c. 14. §. 2 et Plin. h. n. VII. c. 12.

344) L. Cato Praetor fuit a. 92, Consul a. 89, Liv. epit. l. LXXV, in bello sociali cum Marsis bellum gessit occisusque est, Appian. de bello civ. I. c. 50.

345) A. Plautius Legatus a. 89 a Liv. epit. l. LXXIV memoratur.

346) Q. Lucretius in caussis privatis acutus et iuris peritus a Cicerone laudatur, Brut. c. 48. Num idem est, qui Appian. de b. c. I. c. 94 gravissimus Sullae adiutor memoratur?

347) Cassius Longinus Praetor factus est a. 89, Cic. p. Cluent. c. 38.

348) C. Sentius Aedilis factus est primus e praefectura Atinati, Cic. pr. Planc. c. 8, primum Praetor a. 91, Liv. epit. l. LXX, iterum Praetor in Macedonia a. 82, Cic. Verr. II. l. 3. c. 93 et in Pison. c. 34.

349) Cn. Papirius Carbo Praeturam a. 88, Consulatum primum a. 84 gessit, Appian. de bell. c. I. c. 75 seq., cui statim propria renuntiatione Consulatum secundum adiunxit a. 83, eumque collega Cinna interfecto solus obtinuit, Appian. l. c. c. 78 seq., Liv. epit. l. LXXXIII; tertium Consul a. 82, Appian. c. 87, a Sylla Roma in Africam pulsus, denique a. 80 Lilybaei a Pompeii militibus interfectus est, Appian. c. 95—96, Liv. epit. l. LXXXIX, Cic. ad Fam. IX. ep. 21, de Orat. III. c. 3.

a. u. c.	a. Ch. n.	
661.	92.	L. Aurelius Cotta [350]), L. F.,
		A. Sempronius Asellio [351]).
662.	91.	C. Iunius Norbanus [352]),
		[P. Gabinius Capito.]
663.	90.	L. Licinius Murena [353]), P. F.,
		[Cn. Granius.]
664.	89.	L. Licinius Damasippus [354]),
		C. Marius Gratidianus [355]), M. F.

350) L. Cotta Tribunatum Pl. gessit a. 95, sed cum T. Didio Caepionis rogationi intercessurus extemplo vi pulsus est, Cic. de Orat. II. c. 47, Praetor fuit c. a. 88, Cic. Brut. c. 56. De eius eloquentia mediocri ac subrusticana Cic. ibid. c. 56 et 74, et de Orat. III. c. 11.

351) A. Sempronius Praetor factus est a. 89, Liv. epit. l. LXXIV.

352) C. Norbanus Quaestor fuit M. Antonii c. a. 110, Cic. de Orat. II. c. 47 — 48, Tribunus Pl. a. 104, quo munere Q. Servilium Caepionem a Cimbris victum omnibus modis vexavit, ideoque a P. Sulpicio Rufo Tribuno Pl. accusatus, et a M. Antonio defensus est, Cic. de Orat. II. c. 21 et 25; Consulatum gessit a. 83, Liv. epit. l. LXXXV, Appian. de bell. c. I. c. 82 — 96, sed a Sulla victus et proscriptus, in urbe Rhodo quum comprehenderetur, ipse se occidit a. 79, Liv. epit. l. LXXXIX, et Vell. Pat. II. c. 25.

353) L. Murena, Murenae a Cicerone defensi pater, Quaestor factus est a. 102, Tribunus Pl. a. 95, Praetor a. 86, Propraetor Asiam sortitus obtinuit, qua vero provincia a Mithridate a. 85 superatus est, sed a. 84 rediens felicius de Mithridate triumphum comparavit, Appian. de bell. Mithrid. c. 64 — 66, Cic. Verr. I. c. 35 et pr. lege Manil. c. 3; bello civili Sullano occisus est, Cic. Brutus c. 90.

354) L. Licinius Damasippus Praetor factus est a. 82, magnaque caede nobilitatem a Sullae partibus stantem persequutus est, Vell. Paterc. II. c. 20, Appian. de bell. civ. I. c. 88 et 92, Cic. ad Fam. IX. ep. 21 et Liv. epit. l. LXXXVI. In eodem anno (a. 90) M. Tullius Decula in Aedilitate petenda repulsam passus est, Cic. pr. Planc. c. 21, tamenque Consulatum a. 81 obtinuit, id. Agrar. II. c. 14.

355) Marius Gratidianus, M. Gratidii filius, Cic. Brut.

a. u. c.	a. Ch. n.	
665.	88.	C. Papirius Carbo [356]),
		L. Fufius Calenus [357]).
666.	87.	P. Burrienus [358]),
		[M. Perperna.]
667.	86.	Q. Lutatius Catulus [359]), Q. F.,
		Q. Antonius Balbus [360]).

---

c. 45 et Ellendt ad h. loc., de leg. III. c. 16, a C. Mario seniore septiesque Consule adoptatus, Aedilitatem suam Praeturamque populo ita gratas fecit, ut eidem in omnibus vicis statuae ponerentur, quae autem Sullae introitu subversae sunt, Plin. h. n. XXXIV. c. 6. Praetor factus est a. 85, Cic. de Off. III. c. 20, de petit. Consulat. c. 3, a Catilina, tum Sullae Praefacto crudeliter interfectus est, ibid. et Flor. III. c. 21.

356) C. Papirius, Cn. Carbonis Consulis frater, Praeturam accepit a. 84, sed secundo anno post (a. 82) veluti Sullee partibus fevens a Damasippo interfectus est, Vell. Peterc. II. c. 26 et Appian. de b. c. I. c. 88.

357) De L. Fufii eloquentia conf. Cic. Brut. c. 49 et 62, et de Oratore III. c. 13. In eodem enno M. Nonius Sufenas, Sullae Consulis sororis filius, Aedilitatem petiit, sed repulsam passus est, qua populi libertate se geudere Sylla simulebat, Plutarch. vit. Sull. c. 10.

358) P. Burrienus Preetor urbanus fectus est a. 670, Scipione et Norbano Cos., Cic. pr. Quinct. c. 6.

359) Q. Lutatius Praetor fuit a. 81, Consul a. 78, Liv. epit. I. XC, Flor. III. c. 25, a collega Lepido Cos., Sullae acta rescindende censenti, dissentit, Cic. Catilin. III. c. 10; Capitolium dedicavit, Cic. in Verr. II. l. 4. c. 31 et 38, Valer. Max. VI. c. 9. §. 5, qua occasione ludorum simul primus in theatris umbram fecit, Plin. h. n. XIX. c. 1, maximoque vitae splendore clarus mortuus est a. 60, Cic. ad Attic. II. ep. 24, Valer. Max. VIII. c. 15. §. 9. Inter oretores non excelluit, Cic. Brut. c. 35.

360) Antonius Balbus Praetor fuit a. 82, in quo megistratu a militibus Sullanis occisus est, Liv. epit. l. LXXXVI.

a. u. c.	a. Ch. n.	
668.	85.	C. Cassius Longinus Varus [361]), C. Albius Carrinas [362]).
669.	84.	[L. Domitius Ahenobarbus,] P. Antistius Vetus [362 a]).
670.	83.	Cn. Octavius [363]), M. F., [L. Antistius Vetus.]
671.	82.	C. Claudius Marcellus, M. F., M. Pomponius. } [364])

361) C. Cassius Consulatum adeptus est a. 73, Cic. Verr. II. l. 1. c. 23 et l. III. c. 41, tum pro Cluent. c. 49.

362) C. Albius Carrinas Praetor fuit a. 82, Appian. de bell. c. I. c. 95.

362 a) P. Antistius Tribunus Pl. factus est a. 97, in eloquentia rabulae sane probabilis fama fruens, Cic. Brut. c. 49 et 63, non multo post Aedilitatem in bello civili a Damasippo a. 82 (Aedilicius) interfectus est, Vell. Paterc. II. c. 26, Appian. de bell. c. I. c. 88.

363) Cn. Octavius Consulatum adiit a 76, Cic. Brut. c. 60 et 62. Alter Cn. Octavius, Cn. F., qui Consulatu a. 86 functus est, in Aedilitatis petitione repulsus est, Cic. pr. Planc. c. 21.

364) Marcelli Pomponiique Aedilitatis mentio fit apud Plin. h. n. VII. c. 48, quod iidem in ludis Plebeiis mimam tirocinio produxerant, quae, annosae senectutis miraculum, post nonaginta unum annos, ipsa iam centesimum quartum agens, ad ludos pro Divi Augusti salute votivos celebrandos a. 9 p. Ch. denuo in scenam prodiit: quo tamen loco pro n o n a g i n t a n o v e m ex accuratioris chronologiae ratione q u i n q u a g i n t a novem legendum est. Ceterum C. Marcellus Praetor fuit a. 79, Siciliae cum imperio Proconsulari Praefectus est a. 78, Cic. in Verr. II. l. 2. c. 5 et Ascon. schol. ad h. loc., ibid. l. 5. c. 91, in Auguratu Ciceronem collegam babuit, Cic. ad Fam. XV. ep. 8, quae ad hunc Marcellum scripta est.

a. u. c.	a. Ch. n.	
672.	81.	M. Iunius Brutus [365]), C. Cassius (Varus) [366]).
673.	80.	Cn. Aufidius Orestes Aurelianus [367]), Sex. Peduceius [368]), Sex. F.
674.	79.	C. Aurelius Cotta [369]), C. Licinius Sacerdos [370]).

365) M. Brutus, Bruti qui Caesarem interfecit pater, Tribunus Pl. fuit a. 85, Cic. pr. Quinctio c. 20, a Cn. Pompeio in bello Sullano interfectus est, Plutarch. in Brut. c. 4. Sed plura de hoc Bruto collecta invenies apud Mazochium de Amphitheatro Campan. p. 9 seq., quocum conf. Ernesti Clav. Ciceron. s. h. Bruti nomine.

366) L. Cassius, Catilinae socius, Cic. Catil. III. c. 11 et pr. Sull. c. 13, Praetor fuit c. a. 67, simul cum Cicerone Consulatum petiit, sed spe sua deiectus est, eiusd. de petit. Cons. c. 2.

367) Cn. Orestes a. Cn. Aufidio adoptatus, Cic. pr. dom. c. 13, Tribunatum Pl. ambiens non adipisci potuit, Cic. pr. Planc. c. 21, Consulatum autem accepit a. 71.

368) Peduceius Praetor factus est Siciliamque provinciam obtinuit a. 75, Cic. Verr. II. l. 2. c. 56 et l. I. c. 7; eximie a Cicerone laudatur, de Fin. bon. II. c. 18.

369) C. Aurelius Tribunatum Pl. petiit a 91, Cic. de Orat. I. c. 7 et 8, sed mira eloquendi facultate praeditus et ad primos honores adspirans per invidiam post Crassi mortem Tribunatu pulsus, legeque Varia reus urbe cessit. Nono demum anno a. 82 urbem rediit, Cic. Brut. c. 90, Praeturam Consulatumque usque ad a. 75 adeptus est, Liv. epit. l. XCIII et Cic. Verr. II. l. 1. c. 50 et l. 3. c. 7: inde ex Consulatu in Galliam profectus, nullo certo hoste triumphi cupiditate flagravit, cuius spes ei morte ademta est, Cic. in Pison. c. 26. Ceterum summi aetatis suae oratoris gloria usus est, Cic. Brut. c. 49—55 et 57, et Ellendt. proleg. ad Brut. p. 95—98.

370) C. Licinius Praetor fuit a. 75, Siciliamque nactus est provinciam a. 74, Cic. Verr. II. l. 1. c. 50 et l. III. c. 92.

a. u. c.	a. Ch. n.	
675.	78.	M. Iunius (Silanus) [371]), M. Caesius [372]).
676.	77.	C. Cosconius Calidianus [373]), T. Aufidius, T. F. [374]).
677.	76.	L. Calpurnius Piso L. F. Frugi [375]), P. Caelius (Caldus) [376]).
678.	75.	C. Iunius Silanus [377]), M. Caecilius Metellus, Q. F. [378]).

371) M. Iunius Praetor factus est c. a. 67, Cic. pr. Cluent. c. 45 (ubi legitur „quum nuper apud hunc Iunium Praetorem scribam Aedilicium Matrinium defendissem") cuius muneris ludos Apollinares memorat Plin. h. n. XXXV. c. 10.

372) M. Caesius Praeturam adeptus est a. 75, Cic. Verr. II. l. 1. c. 50.

373) C. Cosconii Calidiani eloquentia nullo acumine, sed grata populo verborum copia censetur apud Cicer. Brut. c. 69 et pr. Cluent. c. 55.

374) Aufidius Quaestor fuit a. 84, Praetor Asiae c. a. 61, Cic. pr. Flacc. c. 19.

375) L. Calpurnius Praeturam obtinuit eodem anno cum Verre a. 74, Cic. Verr. II. l. 1. c. 46 et l. 4. c. 25, eiusd. divin. in Caec. c. 20.

376) P. Caelius ad Praeturam ascendit a. 74, Cic. in Verr. II. l. 1. c. 50.

377) C. Iunius secundo anno post Aedilitatem iudex quaestionis de veneficio contra Oppianicum constitutus est a. 75, Cic. pr. Cluent. c. 20—28, sed hominum opinionibus fere iam Praetor factus, a L. Quinctio Tribuno Pl. violenti ac Oppianici defensore, mixto hominum clamore de foro sublatus, damnatus atque Roma expulsus est, ibid. c. 29. In eodem anno M. Pupius Piso M. F. Frugi Calpurnianus Aedilitatem petens repulsam tulit, Cic. pr. Planc. c. 21, qui Consulatum tamen a. 61 accepit, Dio Cass. XXXVII. c. 44. c. 46, Liv. epit. l. CIII.

378) M. Metellus Praetor factus est a. 69, Cic. Verr. I. c. 9 et 10.

a. u. c.	a. Ch. n.	
679.	74.	Q. Arrius [379]),
		Q. Publicius [380]).
680.	73.	C. Calpurnius Piso [381]),
		M. Antonius [382]), M. F. Creticus.
681.	72.	C. Marcius Figulus, C. F. [383]),
		P. Varinus Glaber [384]).

379) Ex hoc anno annales Pighiani diligentiam auctoris desiderant, quod eius morte interrupti, neque laudabiliter neque accurate ab Andr. Schotto e Societate Iesu suppleti sunt, quae compositio levissima quidem plurima Aedilium nomina, tam in Curulibus quam Plebeiis, omisit. — Q. Arrius infimo loco natus, grata populo verborum copia pecuniam honoresque consequntus est, Cic. Brut. c. 69; Praeturam accepit a. 72, quo magistratu Sicilia provincia ei designata est, sed ob bellum servile cum Crixo atque Spartaco exortum ad hos profligandos missus, Verri in Sicilia non succedere potuit, Liv. epit. l. XCVI, Cic. Verr. II. l. 2. c. 15 et l. 4. c. 20; vid. not. 400.

380) Q. Publicius Praeturam nactus est a. 67, Cic. pr. Cluent. c. 45. Eodem anno L. Volcatius Tullus in Aedilitate petenda repulsam tulit, Cic. pr. Planc. c. 21, Consulatum autem a. 66 obtinuit, Dio Cass. XXXVI. c. 25.

381) C. Calpurnius Praetor fuit a. 71, ad Consulatum ascendit a. 67, Dio Cass. XXXV. c. 12 et XXXVI. c. 7, Galliam imperio proconsulari administravit a. 66, Cic. ad Attic. I. ep. 1, e provincia rediens repetundarum accusatus et a Cicerone defensus est in Consulatu a. 63, Cic. pr. Flacc. c. 39. De eius eloquentia, Cic. Brut. c. 68.

382) M. Antonius, M. Antonii oratoris filius et Triumviri pater, insulam Cretam primus aggressus a. 75, Cottae Consulis Cethegique factione classis ac totius orae maritimae imperium adeptus est, Cic. Verr. II. l. 2. c. 5 et Ascon. schol. ad h. l., ib. l. 3. c. 91, Flor. III. c. 7; Praeturam accepit a. 71, Liv. epit. l. XCVII, in hoc magistratu mortuus est, Cic. Verr. II. l. 3. c. 91 et Plutarch. Anton. c. 1.

383) C. Marcius Praetor factus est a. 67, Consul a. 64, Dio Cass. XXXVII. c. 6 et Cic. ad Att. I. ep. 2.

384) P. Varinus Praetor factus est c. a. 61, Asiamque administravit, Cic. pr. Flacc. c. 19, Appian. de bell. civ. I. c. 95.

a. u. c.	a. Ch. n.	
682.	71.	Q. Minucius Thermus [385]),
		C. Cosconius [386]).
683.	70.	P. Autronius Paetus [387]),
		P. Nigidius Figulus [388]).
684.	69.	Decimus Iunius Silanus, M. F. [389]),
		Sex. Quintilius [390]).

385) Q. Thermus, Curator viae Flaminiae, Cic. ad Attic. I. ep. 1, Praeturam c. a. 67 habuisse videtur, inde simul cum Cicerone Consulatum petit, loc. cit. Itaque is cum Thermo Praetore a. 55, certo quindecim annis minore non commutari potest, quemadmodum Ernestius Schuetziusque in clave Ciceroniana fecerunt.

386) Cosconius Praetor creatus est Cicerone Consule a. 63, Cic. pr. Sull. c. 14, deinde Hispaniam cum imperio proconsulari obtinuit a. 62, Cic. in Vatin. c. 15, inde in Italiam reversus a. 59 in primo Caesaris Consulatu Vigintivir agris dividundis lege Caesaris constitutus est, quem locum post Cosconii mortem (eod. ann.) suscipere Cicero invitatus recusavit, Cic. ad Attic. II. ep. 19.

387) P. Autronius Consulatum petit a. 66, iamque anni sequentis Consul designatus est, quum a C. Aurelio Cotta et L. Torquato competitoribus simul cum P. Sulla de ambitu accusaretur, atque in exsulatum abire cogeretur, Cic. pr. Sull. c. 1 et plur. al. loc., ad Attic. II. ep. 2 et 7, unde patet eum deinde se consociavisse cum Catilina.

388) P. Nigidius Praeturam petiit a. 65, Cic. pr. Sull. c. 14, sed a. 59 demum eam assequutus est, Cic. ad Quint. I. ep. 2 fin.

389) Decimus Silanus ob Aedilitatis munera splendida laudatur a Cicer. de Offic. II. c. 16; quinto anno post (a. 64) simul cum Thermo ac Cicerone Consulatus honorem ambiit, Cic. ad Att. I. ep. 1, eumque a. 62 obtinuit, Dio Cass. XXXVII. c. 39, Cic. in Pison. c. 24, pr. Flacc. c. 5. De eius eloquentia, Cic. Brut. c. 68.

390) Quintilius Praetor factus est a. 57, Cic. post red. i. Sen. c. 9.

a. u. c.	a. Ch. n.	
685.	68.	Q. Voconius Naso [391]),
		A. Gabinius, A. F. [392]),
686.	67.	L. Afranius, L. F. [393]),
		L. Calpurnius, L. F. Piso Caesoninus [394]),
687.	66.	C. Septimius [395]),
		C. Pomptinius [396]).
688.	65.	C. Alfius [397]),
		C. Cornutus [398]).

391) Q. Voconius secundo anno post Aedilitatem iudex quaestionis de veneficiis creatus est a. 66, Cicer. pr. Cluent. c. 54.

392) Gabinius Tribunus Pl. fuit a. 69, Dio Cass. XXXVI. c. 6 seq., Cic. p. leg. Man. c. 17, Consulatum adeptus est a. 58, Dio Cass. XXXVIII. c. 8 et Liv. epit. l. CV, deinde Syriam imperio proconsulari rexit, Cic. pr. dom. c. 9 et de prov. Cons. 4 seq.

393) Afranius Consulatum accepit a. 60, Dio Cass. XXXVII. c. 49 et Cic. Philipp. XIII. c. 14.

394) L. Calpurnius Praetor fuit a. 61, Consul a. 58, Dio Cass. XXXVIII. c. 9 seq., Cic. pr. Sext. c. 7. 10. 14 al. pl. loc.; inde Macedoniam Clodia lege acceptam administravit, Cic. pr. dom. c. 9.

395) Septimius Praetor fuit a. 57, Cic. post red. in Sen. c. 9.

396) Pomptinius Praetor constitutus est a. 63, Liv. epit. l. CIII, Cic. Catilin. III. c. 2, et p. Flacc. c. 40, in hoc magistratu Allobroges vicit, Dio Cass. XXXVII. c. 49, et postea de iis triumphavit, ib. XXXIX. c. 5, et Cic. ad Quint. III. ep. 5, ad Attic. VI. ep. 5.

397) Alfius Praeturam petiit a. 56, sed contra Caesaris voluntatem repulsam tulit, Cic. in Vatin. c. 16, tamenque a. 54 hunc honorem assecutus est, Cic. ad Quint. III. ep. 1 et 5; in eodem anno in caussa Plancii Quaesitor fuit, Cic. pr. Planc. c. 17.

398) Cornutus Tribunus Pl. fuit a. 61, Cic. ad Att. I. ep. 14, Praeturam adiit a. 57, Cic. p. red. in Sen. c. 9.

a. u. c.	a. Ch. n.	
689.	64.	L. Marcius, L. F. Philippus [399]),
		Q. Arrius, Q. F. [400]).
690.	63.	M. Calidius [401]),
		C. Memmius Gemellus, L. F. [402]).
691.	62.	C. Manilius Crispus [403]),
		C. Papius Mutilus [404]).

---

399) L. Philippus, Octavii vitricus, Cic. Philipp. III. c. 10, Consulatum adeptus est a. 56, Dio Cass. XXXIX. c. 18 seq., sed provinciam posterius ab Antonio sibi datam recusavit, Cic. Ph. III, c. 10, ad Fam. I. ep. 9.

400) Arrius, Q. Arrii Praetoris a. 72 filius, cui splendidum epulum funebre Caesare primum Consule (a. 59) fecit, Cic. in Vatin. c. 15, Praeturam c. a. 61 gessisse videtur, inde Caesaris auxilio fretus (ibid. c. 12 „eripuerisne partes illo tempore carissimas a Caesare?"), Consulatum iam a. 58 petiit, sed a Caesare destitutus repulsam passus est, Cic. ad Attic. II. ep. 5 et 7. Ellendtius quidem ad Cic. Brut. c. 69, certo annorum computatione probabili seductus, contra rerum coniunctionem ex his duobus Arriis unum fecit, quod comprobare nollem; vid. not. 379.

401) Calidius Praetor factus est a. 56, Ciceronis amicus solertissimus, Cic. p. red. in Sen. c. 9; Consulatum a. 50 petiit, sed repulsus est, Cic. ad Fam. VIII. ep. 4, a. 49 Pompeio non favit, Caes. de bell. c. I. c. 2.

402) Memmius Quaestor fuit a. 71, pr. Balb. c. 2; Praetor a. 58 designatus, Cic. ad Quint. I. ep. 2 fin. et in Vatin. c. 14, sed de ambitu damnatus inde ab a. 58 Athenis exul vixit, Cic. epist. consolatoriae ad eum, Fam. XIII, 1—5.

403) Manilius Tribunus Pl. a. 68 magna nobilitatis indignatione legem tulit, ut Pompeio bellum Mithridaticum mandaretur, Liv. epit. l. 100, Cic. pr. l. Man. c. 24, Dio Cass. XXXVI. c. 25 seq.

404) C. Papius Tribunatum Pl. a. 65 lege Papia, ut peregrini urbe pellerentur, sociique Latini nominis in suas civitates redigerentur, famosum reddidit, Dio Cass. XXXVII. c. 27, Cic. pr. Arch. c. 5, pr. Balb. c. 23, de Offic. III. c. 11.

a. u. c.	a. Ch. n.	
692.	61.	T. Ampius Balbus [405]),
		T. Attius Labienus [406]).
693.	60.	M. Terentius Varro [407]),
		C. Licinius Murena [408]).
694.	59.	Q. Minucius Thermus, Q. F. [409]),
		L. Caecilius Rufus [410]).

---

405) Balbus Tribunatum Pl. gessit a. 63, Cic. ad Fam. III. ep. 70; Praeturam a. 58, inde Ciliciam imperio proconsulari rexit a. 57, Cic. ad Fam. I. ep. 3, in bello civili eminentioribus Pompeiani exercitus ducibus adsociatus est, Cic. ad Fam. X. ep. 29, post pugnam Pharsalicam exul, Romam rediit a. 46, Cic. ad Fam. VI. ep. 12, quae ad Balbum ipsum scripta est.

406) Labienus Tribunus Pl. fuit a. 63, Cic. pr. Rabir. c. 2. Caesaris Legatus ad Pompeianos transiit a. 49, Caes. de b. Gall. VIII. c. 52; sed huius res gestae notissimae, quamvis maximos honores non adeptus est, bellorum civilium posteriorum historiae non parvam partem reddunt; de eius morte a. 38, Dio Cass. XLVIII. c. 25 et Vell. Patero. II. c. 78.

407) Varronis Liciniique Aedilitas memoratur a Plinio h. n. XXXV. c. 14 his verbis: „Lacedaemone quidem excisum lateritiis parietibus opus tectorium propter excellentiam picturae ligneis formis inclusum, Romam deportavere in Aedilitate ad comitium exornandum Murena et Varro." Ceterum Varro iam ante Aedilitatem Cn. Pompeii Magni Legatus in Hispania fuerat, Tribunatum Pl. c. a. 62 habuerat, Cic. Quaest. Acad. I. c. 5 seq., et postea in bello civili in Hispania classi praefectus erat, Caes. de bell. c. I. c. 38, II. c. 17—20.

408) Murena Tribunatum Pl. gessit c. a. 62, deinde fratris L. Murenae Legatus in Gallia fuit, vid. not. 553.

409) Q. Thermus Tribunus Pl. factus est a. 62, Dio Cass. XXXVII. c. 43; Praetor a. 55, Asiam provinciam Propraetor rexit a. 52—48, Cic. ad Fam. II. ep. 17 et 18, XIII. ep. 56 et 67, quarum tres ad Thermum ipsum datae sunt.

410) Caecilius Praetura functus est a. 57, Cic. p. red. in Sen. c. 9, pr. Milon. c. 14 et Ascon. schol. ad h. loc.

a. u. c.	a. Ch. n.	
695.	58.	L. Calpurnius Bestia, L. F. [411]),
		M. Lollius Palicanus [412]).
696.	57.	C. Claudius Marcellus, C. F. [413]),
		C. Considius Longus [414]).
697.	56.	C. Cosconius, C. F. [415]),
		L. Pomponius Milo [416]).

411) L. Bestia in Praeturae petitione a. 55 de ambitu accusatus, a Cicerone defensus est, Cic. Philipp. XIII. c. 12 (Aedilicius) ad Quint. F. II. ep. 5, in D. Bruti locum Consulatum petere conatus est a. 43, nec autem feliciter egit, Cic. Phil. XI. c. 5. Conf. Pigh. Ann. III. pag. 362.

412) M. Lollius Tribunus Pl. creatus est a. 71, Cic. Verr. II. I. 2. c. 41, Brut. c. 62 et Ellendt. ad h. loc.

413) C. Marcellus, qui bene distinguendus est ab altero Marcello, Consule sequentis anni parique praenomine, quod hic Marci Consularis filius, ille Caii Auguris fuit, Praetor factus est a. 55, Consul a. 50, Dio Cass. XL. c. 59 seq., Plin. h. n. II. c. 43 et Cic. ad Fam. XV. ep. 7 et 8, — epistolae gratulatoriae de Consulatu accepto ad C. Marcellos, Augurem patrem et filium, missae — et ibid. VIII. ep. 4 et 8, quae tria Senatus consulta ante initum C. Marcelli Consulatum asservaverunt; tum Cic. pr. Sull. c. 6.

414) Considius Praetor creatus est Africae a. 47, Cic. pr. Ligar. c. 1 seq.

415) C. Cosconius non improbabiliter alterius Cosconii, Aedilis a. 71 (vid. not. 386, iam mortui a. 59), filius censetur, Cic. ad Quint. F. II. ep. 6.

416) Milonis Cosconiique Aedilitas memoratur Cic. loc. cit., quum Annius Milo ab iis bestiarios emisset, quos autem non ludis adhibere in animo habuit, quemadmodum iam Cicero fratrem Quintum de ea re certiorem facit.

a. u. c.	a. Ch. n.	
698.	55.	C. Messius [417]),
		M. Servilius Geminus [418]);
699.	54.	C. Claudius, M. F. Marcellus [419]),
		Q. Pedius [420]).
700.	53.	M. Iuventius Laterensis [421]),
		C. Curtius Peduceianus [422]).

417) Messius Tribunatum Pl. nactus est a. 57, quem duabus legibus de Ciceronis salute, Cic. p. red. in Sen. c. 8, et de generali Pompeii imperio in omnibus provinciis (et maiori quidem quam Praetorum Proconsulumque), apud exercitum classemque, Cic. ad Attic. IV. ep. 1, manifestum reliquit. Deinde Legatus Caesaris de repetundis accusatus, a Cicerone defensus est, Cic. ad Attic. IV. ep. 15. Cf. Pigh. Ann. III. p. 388.

418) M. Servilius Tribunus Pl. fuit a. 60, Cic. ad Fam. VIII. ep. 8, a Metello Celere de repetundis accusatus est, ad Attic. VI. ep. 5.

419) Hic C. Marcellus, eius quem Cicero defendit frater, Cic. pr. Marcell. c. 4, Consulatum adeptus est a. 49, Dio Cass. XL. c. 66 et XLI. c. 1 seq.

420) Pedius, de quo Cicero pr. Planc. c. 7 collegam fuisse Aadilis Curul. a. 54 A. Plautii, itaqua aum cum Plancio quoque petissa Aedilitatam dixit, Caesaris Legatus fuit tam in Gallia inde ab a. 56, Caes. de b. Gall. II. c. 2 et 11, quam in bello civili, Cic. ad Attic. IX. ep. 14. Deinde Praator factus ast a. 48, Caes. de bell. civ. III. c. 22, rursus Lagatus a. 46, Hirtii de bell. Hisp. c. 2: denique Consul suffectus est a. 43, Dio Cass. XLVI. c. 46.

421) M. Iuventius Tribunatum Pl. capcra cupiens, eum a. 59 non patiit, ne in Caesaris legem agrariam iuraret, Cic. ad Attic. II. ap. 18. Cum Plancio Aedilitatem a. 54 ambiit, repulsamque passus, eum de ambitu accusavit, Cic. pr. Planc. c. 1 seq., anno tamen sequenti Aedilis Pl. factus est, a. 50 Praetor, Cic. ad Fam. VIII. ap. 8. Tandem Legatus M. Lepidi se ipsum interfecit a. 43, quum Lepidus clam se Antonium in castra recepisset, Dio Cass. XLVI. c. 51, Cic. ad Fam. X. ep. 21.

422) C. Curtius Praeturam adeptus est a. 50, Cic. ad Fam. XIII. ep. 59, quae ad cum hoc magistratu fungentem missa est.

a. u. c.	a. Ch. n.	
701.	52.	P. Rutilius Lupus [423]),
		C. Titius Rufus, C. F. [424]).
702.	51.	A. Allienus [425]),
		L. Roscius [426]).
703.	50.	P. Sextius, P. F. [427]),
		L. Vibullius Rufus [428]).

---

423) P. Rutilius Tribunatu Pl. funotus est a. 56, Cic. ad Fam. I. ep. 1, Praetura a. 49, ad Attic. VIII. ep. 12 et IX. ep. 1, Caes. de bell. civ. I. c. 24, Achaiam provinciam rexit a. 48, ibid. III. c. 55.

424) C. Titius Praetor urbanus factus est a. 50, Cic. ad Fam. XIII. ep. 57, quam commendaticiam eidem Cicero scripsit; deinde Dolabellae Legatus in Asia, Cic. ad Fam. XII. ep. 15.

425) Allienus Praetor creatus est a. 49, Siciliam per quosdam annos 48 — 46 cum imperio proconsulari administravit, Hirt. de bell. Afr. c. 2, Cic. ad Attic. X. ep. 15, ad Fam. XIII. ep. 78 et 79, quae Allieno ipsi adsignatae sunt, tum Proconsul Africam obtinuit, Hirt. l. c. c. 25, ad quod tempus nummus „A. Allienus Procos." apud Ekhel doct. n. IV. p. 1. pag. 133 pertinere videtur.

426) L. Roscius Praeturam adiit a. 49, Caes. de b. civ. I. c. 2 et 8, Dio Cass. XLI. c. 5. Ad hunc annum Pigh. Ann. III. p. 418 L. Oppium sine omni argumento probabili adscripsit, quem delendum censui.

427) P. Sextius Quaestor fuit a. 58, Cic. ad Fam. V. ep. 17, qua eius etiam annonae cura Aedilicia memoratur; scripta est ad eum, ob turbas civiles exsulantem consolatoria ex a. 47.

428) Vibullius, Pompeii familiaris et Legatus, non male se gessit a. 49 in copiis colligendis adversus Caesarem, Caes. de b. civ. I. c. 15. 23, ubi captis Senatorii ordinis adsociatus est, tum vix dimissus rursus a Pompeio Legatus in Hispaniam missus est, ibid. c. 34 et 38. Conf. de eo Cic. ad Attic. VII. ep. 24, VIII. ep. 7. — In Aedilitate huius anni petenda M. Caelius Vinicianus fatua mentione de Pompeio Dictatore creando promulgata repulsam tulit, Cic. ad Fam. VIII. ep. 4.

A. u. c. 704, sive 49 a. Ch. Tribuni Pl. Aedilium munera obierunt, cum propter consternationem publicam omnes abessent, tum Pompeii partes sequentes in Apuliam atque Epirum, tum Romam modo fugientes [429]. Usque ad hunc annum, quantum fieri potest, Aedilium Plebeiorum series a nobis recensitus est, sed hic pedem sistimus, partim quod leges annales eversa republica dominantium arbitrium statim superavit, iisque nil nisi formam, et eam quidem in breve modo tempus reliquit, itaque annorum computatio non amplius magistratuum ordinem nominibus insignioribus, in documentis historicis asservatis, assignare permisit; partim quod fontes largissimi Livius atque Cicero nunc fluere desinunt, Dio Cassius autem, Tacitus, Suetonius ceterique secundum aetatem nunc sequentes civilem historiam rarius respiciunt, partim denique, quod quidem maxime effecit, quod Aedilitas raro petita, saepius transmissa, vix in viginti annis semel Aedilis nomen manifestum reddit, et tum etiam accuratiorem distinctionem Plebeii sive Curulis desiderare nos iubet. Itaque hanc paginam, omnes nude Aediles dictos, Cerealesque ac Curules capiti sequenti tradentes, his nominibus concludimus, quae ex posteriore aetate singulariter Aedilis Plebeii notam offerunt. Haec autem perpauco modo traduntur, L. Critonius et M. Fannius [430] ex a. 44 a. Ch. (709 u. c.), M. Volusius [431] ex

429) Dio Cass. XLI. c. 1—18, quibuscum conf. Caes. de bell. civ. I. c. 1 seq.

430) Memorantur apud Appian. de bell. civ. III. c. 28 et in denario quodam ita consignato M. Fann. L. Criton. ap. Ekhel, doctr. nummor. V. pag. 199 et 212.

431) „M. Volusius Aedilis Plebis proscriptus, assumto Isiaci habitu per itinera viasque publicas stipem petens, quisnam re vera esset, occurrentes dignoscere non passus est. Eoque fallaciae genere tectus, in M. Bruti castra pervenit," Valer. Max. VIII. c. 5 §. 8.

a. 43 a. Ch., C. Calpurnius [432]) ex a. 23 a. Ch., et C. Poblicius Bibulus [433]) ex a. 21 post Chr. (774 u. c.), cum quibus extremas paginas capitis septimi nostri libri primi conferri volumus.

---

432) Dio Cass. LIII. c. 55: „κἂν τῷ αὐτῷ τούτῳ ἔτει ἀγορανόμον τέ τινα τῶν καταδεεστέρων ἀποθανόντα Γαῖος Καλπούρνιος, καίτοι προηγορανομηκὼς ἐν τοῖς ἀμείνοσι, διεδέξατο."

433) C. Bibulus Aedilis cum collegis de legibus sumtuariis in usum revocandis Patres consuluit, graviter invectus adversus profusos sumtus et luxum civitatis, Tacit. Annal. III. c. 52. Veritati non absimile est, ad eundem adtrahi posse monumentum, quod Pighii aetate adhuc exstitit sub Capitolio, non procul a foro, cum hac inscriptione:

„C. POBLICIO. L. F. BIBULO. AED. PL. HONORIS.
VIRTUTISQUE. CAUSSA. SENATUS.
CONSULTO. POPULIQUE. IUSSU. LOC
MONUMENTO. QUO. IPSE. POSTEREIQUE.
EIUS. INFERRENTUR. PUBLICE. DATUS. EST."

Vid. Pigh. Ann. s. a. 774 u. c.

CAP. III.

AEDILES CURULES IN FONTIBUS NOMINATI.

a. u. c.	a. Ch. n.	
388.	365.	Primi Aediles Curules apud Livium nominantur [1]), Cn. Quinctius Capitolinus [2]) et P. Cornelius Scipio [3]), quorum ille pestilentia ingenti eodem Aedilitatis anno mortuus est.
389.	364.	Iuventius Thalna [4]), [C. Licinius Calvus.]

1) Liv. VI. c. 45 et VII. c. 1.

2) A Livio quidem mortui nomen non memoratur VII. c. 1, sed alterum huius anni Aedilem Scipionem multis annis postea muneribus publicis functum esse videmus.

3) Magister equitum a Dictatore L. Furio Camillo a. 349 declaratus est, Liv. VII, 24.

4) Livius VII. c. 1 satis manifeste tradit, iam inde ab hoc anno alternatim Plebeios factos esse Aediles Curules: nam primo convenerat, ut alternis annis ex Plebe fierent, postea promiscuum libero populi suffragio fuit. Sed Aedilium h. a. nomina praeteriit Livius; at Cicero in orat. pro Cn. Planc. c. 24 primum Aedilem Curulem ex Plebe creatum testatur Iuventium quendam, cui Pighius Thalnae cognomen adiecit, quod antiquissimum in hac familia reperitur.

a. u. c.	a. Ch. n.	
390.	363.	P. Cornelius Scapula, Ap. Claudius Crassus Sabinus Regillensis [5]. Vide praeterea meam annotationem ad hunc annum sub Aed. Pleb.
391.	362.	Cn. Manlius Capitolinus Imperiosus [6], C. Fabius Ambustus [7].
392.	361.	[M. Plaetorius,] [C. Plaetorius.]
393.	360.	P. Valerius Publicola [8], C. Iulius Iulus [9].
394.	359.	M. Pomponius [10], [C. Maelius Capitolinus.]
395.	358.	T. Manlius Torquatus [11], A. Cornelius Cossus Arvina [12].

5) Consulatum gessit a. 548, Liv. VII. c. 24, eodemque anno in bello contra Gallos parando mortuus est.

6) Consul factus est a. 556, Liv. VII. c. 16; Censor creatus a. 550, ibid. c. 22, et in tumultu Latino iam senex Magister equitum a. 544 a Dictatore L. Furio dictus est, Liv. VII. c. 28: Interrex comitiorum habendorum factus a. 555, ibid. c. 17.

7) Consul creatus est a. 557, Liv. VII, 12; iterum Consul a. 555, ibid. c. 17.

8) Consul a. 549 creatus est, Liv. VII. c. 21.

9) Dictator a Senatu nominatus est a. 551, Liv. VII. c. 21.

10) Tribunus Pl. a. 561, Liv. VII. c. 5.

11) Dictator comitiorum Consularium habendorum caussa factus est a. 548, Liv. VII. c. 26; Consulatum primum demum a. 546 accepit, ibid. c. 27; secundum a. 545, ibid. c. 28; tertium a. 539, ibid. VIII. c. 5.

12) Qui Magister equitum a Dictatore T. Manlio a. 552 dictus est, Liv. VII. c. 19; iterum Magister equitum eiusdem Dictatoris a. 548, ibid. c. 26; demum a. 542 primum Consulatum adeptus est, ib. c. 28; secundum Consulatum a. 531, Liv. VIII. c. 17.

a. u. c.	a. Ch. n.	
396.	357.	[C. Duilius,]
		[L. Sextius.]
397.	356.	L. Cornelius Scipio [13]),
		[Sp. Nautius Rutilus.]
398.	355.	M. Duilius [14]),
		L. Maenius [15]).
399.	354.	L. Furius Camillus [16]),
		[M. Papirius Mugillanus.]
400.	353.	C. Iunius Bubulcus Brutus [17]),
		[L. Hortensius.]
401.	352.	P. Valerius Publicola [18]),
		L. Pinarius Natta [19]).
402.	351.	C. Poetelius Libo Visolus [20]),
		[C. Antistius.]
403.	350.	M. Fabius Dorso [21]),
		Ser. Sulpicius Camerinus [22]).

13) Consul creatus est pro a. 549, Liv. VII. c. 25.

14) Tribunus Pl. a. 556, Liv. VII. c. 16.

15) Tribunus Pl. a. 556, Liv. VII. c. 16.

16) Qui a Senatu Dictator comitiorum habendorum caussa a. 549 dictus, et in iisdem ingenti Patrum studio ipse Consulatum a. 548 nactus est, Liv. VII. c. 24. Secundam Dictaturam in Latinos rebellantes accepit a. 544, ibid. c. 28; secundum Consulatum a. 537, ibid. VIII. c. 15; tertium a. 524, ibid. c. 29.

17) A Dictatore Q. Publilio Philone Magister equitum a. 558 electus est, Liv. VIII. c. 12.

18) Praetor factus est a. 349, Liv. VII. c. 25; Dictator feriarum constituendarum causse a. 543, ib. c. 28.

19) Praetor a. 548 Graecos litoribus arcere debuit.

20) Tribun. Pl. a. 557, Liv. VII. c. 15, Consulatum a. 545 gessit, ibid. c. 27.

21) Consulatum a. 544 gessit, Liv. VII. c. 28; Triumvir coloniae Cales deducendae agroque dividundo factus est a. 534, Liv. VIII, 16.

22) Consul a. 544 factus est, Liv. VII. c. 28.

a. u. c.	a. Ch. n.	
404.	349.	[M. Pomponius,]
		[Sex. Tullius.]
405.	348.	Q. Fabius Ambustus [23],
		Q. Servilius Ahala [24].
406.	347.	P. Decius Mus [25],
		Q. Publilius Philo [26].
407.	346.	Q. Fabius Ambustus II (vid. not. 23),
		[Ser. Sulpicius Longus.]
408.	345.	C. Maenius [27],
		P. Aelius Paetus [28].

---

23) Magister equitum datus est Dictatori P. Valerio a. 545, Liv. VII. c. 28.

24) Consulatum gessit a. 541, Liv. VII. c. 58.

25) Tribunus militum a. 542 in bello Samnitico egregiam gloriam sibi comparavit, Liv. VII. c. 34—58, ac non multo post a. 559 in Consulatu patriam adversus Samnites gloriose defendens, clarissimam mortem obiit.

26) Consul factus est a. 558, Liv. VIII. c. 12, eodemque anno a collega suo Dictator adversus rebellantes Latinos dictus est. Deinde primus Praetor de Plebe creatus est a. 556, ibid. VIII. c. 15, mox Magister eqnitum a Dictatore L. Aemilio Mamercino nominatus a. 554, Liv. VIII, 16. Censor a. 531, Liv. VIII. c. 18; iternm Consul a. 526, Liv. VIII, 22; tertium Consul a. 519, Liv. IX. c. 7; quartum Consul a. 514, ibid. IX. c. 22 et annotat. ad h. loc. in editione Drakenborchiana.

27) Consulatum obtinuit a. 557, Liv. VIII. c. 15; Dictator quaestionibus exercendis de occultis Capuae coniurationibus dictus est a. 515, Liv. IX. c. 26, sed ob invidiosam Patriciorum contentionem caussa nondum finita magistratu se abdicavit.

28) Consulatum gessit a. 556, Liv. VIII. c. 15; Magister equitum a Dictatore M. Fabio Ambusto a. 520 dictus est, Liv. IX. c. 7.

a. u. c.	a. Ch. n.	
409.	344.	L. Aemilius Mamercinus Privernas [29]), Ti. Aemilius Mamercinus [30]).
410.	343.	[Sp. Maelius Capitolinus,] [Q. Caecilius Metellus.]
411.	342.	L. Papirius Crassus [31]), C. Sulpicius Longus [32]).
412.	341.	[C. Titinius,] [Q. Manilius.]
413.	340.	M. Valerius Corvus [33]) sive Corvinus, C. Claudius Crassus Regillensis [34]).

29) Magister equitum dictus est a. M. Valerio Corvo Dictatore a. 541, Liv. VII. c. 39. Primo Consulatu functus est a. 540, Liv. VIII. c. 1; Dictator comitiorum habendorum caussa 534, ib. c. 16; secundum Consul a. 528, ib. VIII. c. 20; Interrex quartus decimus a. 226 electus tandem instam Consulum creationem perfecit, ib. VIII, 23. Secundam Dictaturam a. 514 in bello Samnitico gessit, ibid. IX. c. 21.

30) Praeturam gessit a. 540, Liv. VIII. c. 2; Consulatum a. 538, ibid. VIII. c. 12.

31) Praeturam a. 539 gessit, sed eodem anno, Consule Decio mortuo, Dictator ad comitia habenda dictus est, Liv. VIII. c. 12 et Cic. Epp. ad Famil. IX. ep. 21. Primum Consul factus est a. 535, Liv. VIII, 16; iterum Consul a. 529, ibid. c. 19.

32) Consulatum primum accepit a. 536, Liv. VIII. c. 15, secundum a. 522, ibid. c. 37.

33) Vir qui semel et vicies sella Curuli sedit, quoties nemo alius, et centum annos aetatis implevit, cuius inter primum et sextum Consulatum XLVII anni interfuere, Plin. h. n. VII. c. 48, Cic. in Catone c. 17, Valer. Max. VIII. c. 15. §. 1. Tribunus militum a. 548. Liv. VII. c. 26, Gell. N. A. IX. c. 11, anno sequenti vicesimum tertium aetatis suae degens singulari populi favore primum Consulatum a. 547 adeptus est, Liv. VII. c. 26, Valer. Max. VIII. c. 15. §. 5; secundum iam secundo anno postea a. 545, Liv. VII. c. 27; tertium a. 542, ib. c. 28. Dictator creatus est contra exercitum Plebis seditione rebellem, urbique ipsi in bello Samnitico minitantem, a. 541, ibid. c. 39: tum demum primam Aedilitatem adeptus est, secundam a. 533,

a. u. c.	a. Ch. n.	
414.	339.	M. Atilius Regulus [35],
		Cn. Domitius Calvinus [36].
415.	338.	T. Veturius Crassus [37],
		Cn. Quinctilius Varus [38].
416.	337.	P. Cornelius Rufinus [39],
		M. Papirius Crassus [40].
417.	336.	Sp. Postumius Albinus [41],
		P. Valerius Publicola [42].

---

tertiam a. 528, quartam a. 518, quintam a. 512, sextam a. 506 ex Pighii opinione Annal. I. s. h. ann. — Interrex comitiorum habendorum caussa primum in Aedilitate factus est a. 540, Liv. VIII. c. 5, iterum a. 535, ibid. c. 19, tertium ad eundem finem constitutus a. 520, Liv. IX. c. 7. Denique Consulatum quartum obtinuit a. 534, Liv. VIII. c. 16, quintum a. 508 et sextum a. 500, Val. Max. VIII. c. 15. §. 1.

34) Dictator, contentione inter Senatum Consulesque exorta, factus est a. 536, Liv. VIII. c. 15, sed vitio creatus mox magistratu se abdicavit.

35) Consulatum gessit a. 554, Liv. VIII. c. 16.

36) Consul factus est a. 531, Liv. VIII. c. 17.

37) Consulatum obtinuit a. 533, Liv. VIII. c. 16.

38) Dictator clavi figendi caussa creatus est a. 530, Liv. VIII. c. 18.

39) Dictator ad bellum contra Samnites gerendum a. 533 factus est, sed vitio creatus paulo post magistratu se abdicavit, Liv. VIII. c. 17.

40) Dictator belli Gallici fama creatus est a. 531, Liv. VIII. c. 17.

41) Consul factus est a. 533, Liv. VIII. c. 16; Censor a. 531, ibid. c. 17. Magister equitum a Dictatore M. Claudio Marcello a. 526 dictus est, Liv. VIII. c. 23. Conf. Aedil. Pleb. not. 79. Secundum Consulatum a. 520 gessit, Liv. IX. c. 1 — 6, quem autem cladibus Caudinis inhonestum habuit.

42) Magister equitum a Dictatore M. Papirio Crasso dictus est a. 531, Liv. VIII. c. 17.

a. u. c.	a. Ch. n.	
418.	335.	C. Valerius Potitus Flaccus [43]),
		L. Valerius Potitus [44]).
419.	334.	L. Cornelius Lentulus [45]),
		P. Plautius Proculus [46]).
420.	333.	M. Valerius Corvus II (vid. not. 33),
		P. Cornelius Scapula [47]).
421.	332.	T. Veturius Calvinus [48]),
		[L. Plaetorius.]
422.	331.	[C. Maelius Capitolinus,]
		[C. Minucius Augurinus.]
423.	330.	Q. Fabius Maximus Rullianus [49]),
		M. Aebutius Elna.

43) Consulatum gessit a. 550, Liv. VIII. c. 18; secundam Aedilitatem a. 528.

44) Magister equitum a Dictatore Cn. Quinctilio Varo dictus est a. 550, Liv. VIII. c. 18.

45) Consulatum a. 526 gessit, Liv. VIII. c. 22; princeps legatorum fuit in castris Romanis circa furculas Caudinas a. 520, Liv. IX. c. 4.

46) Consul creatus est a. 527, Liv. VIII. c. 22.

47) Consulatu functus est a. 327, Liv. VIII. c. 22.

48) Consulatum cladibus Caudinis foedatum gessit a. 520, Liv. IX. c. 1.

49) In Aedilitate ancillae matronarum veneficia, quibus plerique primores civitatis absumpti erant, detegenti ex Senatus consensu fidem securitatis dedit, remque ad Consules tulit, Liv. VIII. c. 18, et conf. infra m. libr. III. c. 8. Magister equitum a Dictatore L. Papirio Cursore dictus est a. 324, Liv. VIII. c. 29, pugnaque praepropera, etsi felici, gravem animadversionis Dictatoriae notam iniit, ibid. c. 30. Consulatum gessit a. 521, Liv. VIII. c. 38; Interrex Consulibus creandis constitutus a. 520, ibid. IX. c. 7; Dictaturam administravit in bellis Samniticis a. 514, ibid. IX. c. 22; Censuram a. 505, ibid. c. 46; secundum Consulatum a. 509, ibid. c. 35, qui eidem ob egregie perdomitam Etruriam in annum sequentem continuatus est, ibid. c. 41. Quartum Consulatum lege Ge-

a. u. c.	a. Ch. n.	
424.	329.	L. Papirius Mugillanus [50]),
		[Cn. Cornelius Lentulus.]
425.	328.	M. Valerius Corvus III (vid. not. 33),
		C. Valerius Flaccus Potitus II [51]).
426.	327.	M. Fabius Ambustus [52]),
		Q. Fabius Ambustus [53]).
427.	326.	L. Valerius Flaccus [54]),
		A. Cornelius Cossus Arvina [55]).

---

nucia solutus, quam ipse servandam esse voluit, in renovato bello Samnitico nactus est a. 297, Liv. X. c. 15, sed anno sequenti rursus creatus magistratum abnuit, Liv. X. c. 15: attamen valde senex secundo anno postea quintum Consul factus est, ibid. c. 22.

50) Praetor a. 551, cuius lege Acerranis civitas Romana sine suffragio data est, Liv. VIII. c. 17; Consul factus est a. 525, ib. c. 25; Dictator in locum Consulis L. Furii, morbo gravi impliciti, rei gerendae caussa creatus est a. 524, ibid. VIII. c. 29.

51) Vid. Aed. a. 535 et not. 45. In secunda Aedilitate Q. Flavium Augurem ad populum accusavit, sed nimia persequendi violentia eum, quem quatuordecim tribuum suffragia iam damnaverant, omni poena liberavit, Val. Max. VIII. c. 1. §. 7, Liv. VIII. c. 22.

52) Magister equitum a Dictatore A. Cornelio Arvina a. 521 in bello Samnitico dictus est, Liv. VIII. c. 58; conf. not. 55.

53) Dictator post clades ad furculas Caudinas acceptas comitiorum caussa factus est a. 520, Liv. IX. c. 7, sed vitio creatus statim magistratu se abdicavit.

54) Magister equitum a Dictatore M. Aemilio Papo a. 520 dictus est, Liv. IX. c. 7.

55) Dictator in bello adversus Samnites gerendo factus est a. 521, Liv. VIII. c. 58—40, sed iam Livio dubium arat, quin idem ludorum Romanorum in loco Praetoris Plautii instituendorum caussa hanc dignitatem nactus esset: tum Fecialis ad Samnites missus est a. 519, ut Romanorum magistratus, qui sine iussu Senatus cum Samnitibus pacem inierant, iisdem traderet, Liv. IX. c. 10.

a. u. c.	a. Ch. n.	
428.	326.	C. Sulpicius Samnis [56]),
		M. Aemilius Papus [57]).
429.	324.	L. Papirius Cursor [58]),
		L. Furius Camillus [59]).
430.	323.	M. Foslius Flaccinator [60]),
		Q. Aemilius Barbula [61]).
431.	322.	C. Plautius Hypsaeus [62]),
		[Sp. Maecilius.]
432.	321.	M. Popilius Laenas [63]),
		[L. Villius.]
433.	320.	Sp. Nautius Rutilus [64]),
		[L. Quinctius Capitolinus.]
434.	319.	M. Valerius Maximus [65]),
		C. Fabius Ambustus [66]).

56) Consulatum a. 515 gessit, Liv. IX. c. 24.

57) Dictator comitiorum habendorum caussa creatus est a. 520, Liv. IX. c. 7.

58) Primum Consulatum gessit a. 519, Liv. IX. c. 7; secundum a. 518, ibid. c. 15; tertium a. 514, Liv. IX. c. 22 et annotat. in edit. Drakenborch. ad h. l.; quartum a. 512, Liv. IX. c. 28, quem vero in h. l. quintum appellatum reperimus, quod veteres Annales iam L. Papirii Mugillani Consulatum Papirii Cursoris primum censuerunt.

59) Praetura a. 517 functus est, Liv. IX. c. 20.

60) Consulatum a. 517 gessit, Liv. IX. c. 20; Magister equitum a Dictatore C. Maenio dictus est a. 515, ibid. c. 26; iterum Magister equitum anno sequenti (a. 512) a Dictatore C. Poetelio dictus, ibid. c. 28.

61) Primum Consul factus est a. 516, Liv. IX. c. 20, secundum Consul a. 310, ibid. c. 30.

62) Censuram adeptus est a. 511, Liv. IX. c. 29.

63) Consul creatus est a. 315, Liv. IX. c. 21.

64) Consulatum a. 315 gessit, Liv. IX. c. 21.

65) Consul factus est a. 511, Liv. IX. c. 28; Praeturam accepit a. 309, Liv. IX. c. 41, Censuram a. 306, Liv. IX. c. 43; Dictaturam contra Hetruriam rebellantem a. 301, Liv. X. c. 3;

a. u. c.	a. Ch. n.	
435.	318.	M. Valerius Corvus IV (vid. not. 33),
		[M' Sergius Fidenas.]
436.	317.	L. Livius Denter [67]),
		M. Poetelius Libo [68]).
437.	316.	Q. Maelius [69]),
		C. Marcius Rutilus Censorinus [70]).
438.	315.	App. Claudius Caecus [71]),
		[M. Fabius Dorso.]

---

ex qua statim secundum Consulatum adeptus est a. 500, ibid. c. 5.

66) Magister equitum in Aulii Cerretani locum pugna occisi subfectus est a. 514, Liv. IX. c. 25.

67) Tribunus Pl. a. 319 pacis Gaudinae sponsoribus dedendis, quum ipse simul eiusdem conditiones spopondisset, obstitit, Liv. IX. c. 8, tamenque Consulis Postumii gravitate victus magistratu se abdicavit, seipsumque Senatus potestati dedit, ibid. c. 10.

68) Consulatu a. 513 functus est, Liv. IX. c. 24.

69) Tribunus Pl. a. 519, Liv. IX. c. 8.

70) Consulatum gessit a. 509, Liv. IX. c. 33; inter primos Pontifices de plebe creatus est a. 500, Liv. X. c. 9; Censuram obtinuit a. 293, Liv. X. c. 47.

71) App. Claudium bis Aedilem bisque Praetorem fuisse demonstrat titulus honorum cuidam marmori insculptus, quod Pighii tempore Florentiae apud Petr. Victorium, eruditione summa celebrem virum, asservabatur, Pigh. Annal. I. p. 558. Praeterea App. Claudius Censuram suam via munienda et aquaeductu in urbem ducendo clarissimam reddidit a. 511, Liv. IX. c. 29, sed mensis decimus octavus postquam praeterlapsus erat, collegaque Plautius magistratu iam se abdicaverat, solus Censuram retinuit, ibid. c. 33—34, usque ad Consulatum acceptum a. 507, Liv. IX. c. 42. Interrex comitiorum caussa factus est a. 299, Liv. X. c. 11; secundum Consulatum accepit a. 296, Liv. X. c. 15; Praeturam a. 295, Liv. X. c. 22. Conf. Pigh. I. pag. 560.

a. u. c.	a. Ch. n.	
439.	314.	P. Sulpicius [72), [L. Geganius Macerinus.]
440.	313.	P. Cornelius Arvina [73), App. Claudius Caecus II (vid. not. 71).
441.	312.	M. Valerius Corvus V (vid. not. 33), L. Papirius Maso [74).
442.	311.	Ser. Cornelius Lentulus [75), [Ti. Cornelius Lentulus.]
443.	310.	P. Cornelius Scipio Barbatus [76), [L. Aemilius Barbula.]
444.	309.	L. Atilius Regulus [77), Ti. Minucius Augurinus [78).
445.	308.	L. Postumius Megellus [79), P. Sulpicius Saverrio [80).

---

72) Interrex comitiis habendis constitutus est a. 299, Liv. X. c. 11.

73) Primum Consulatum a. 306 obtinuit, Liv. IX. c. 42; Censuram a. 293, Liv. X. c. 47; secundum Consulatum a. 287, Fast. Consular.

74) Cicero epistola ad Paetum (ad Fam. IX. e. 21) hunc Masonem Aedilitatem non transcendisse (Aedilitium) scribit.

75) Consul factus est a. 303, Liv. X. c. 1.

76) Dictator comitiorum habendorum caussa dictus est a. 306, Liv. IX. c. 44.

77) Tribunus Pl. a. 310 cum collega C. Marcio Rutilo rogationem Plebi gratissimam tulit, ut Tribuni militum seni deni in quatuor legiones a populo crearentur, quae antea, perquam paucis suffragio populi relictis locis, Dictatorum et Consulum ferme fuerant beneficia, Liv. IX. c. 30. Vid. Aed. Pl. ad a. 307.

78) Consulatum a. 305 gessit, Liv. IX. c. 44, quo munere contra Samnites cecidit.

79) In Aedilitate aedem Victoriae ex pecunia multaticia faciundam curavit, quam postea in secundo Consulatu dedicavit, Liv. X. c. 33. Primo Consulatu functus est a. 305, Liv. IX. c. 44; imperio pro Praetore a. 295, Liv. X. c. 26; secundo

a. u. c.	a. Ch. n.	
446.	307.	M. Sempronius Tuditanus [81]),
		M. Titinius [82]).
447.	306.	M. Valerius Corvus VI (vid. not. 33),
		[P. Valerius Falto.]
448.	305.	M. Aemilius Paullus [83]),
		[L. Cornelius Blasio.]
449.	304.	Cn. Flavius, Cn. fil. [84]),
		Q. Anicius Praenestinus [85]).

Consulatu a. 294, Liv. X. c. 52; tertio a. 291, Fast. Cons. Sed mox postea, quoniam, quum exercitui praeesset, opera militum in agro suo usus esset, damnatus est, Liv. epit. l. XI.

80) Consulatum a. 304 accepit, Liv. IX. c. 45; Censuram a. 299, Liv. X. c. 9.

81) Tribunus Pl. a. 309, Liv. IX. c. 55.

82) Magister equitum a Dictatore C. Iunio Bubulco a. 302 dictus est, Liv. X. c. 1.

83) Consulatum accepit a. 302, Liv. X. c. 1; Magister equitum a Dictatore M. Valerio Maximo dictus est a. 301, ibid. c. 5.

84) Cn. Flavius scriba, patre libertino humili fortuna natus, ceterum callidus vir et facundus, Aedilitatem Curulem nactus est ex Liv. IX. c. 46 factione forensi, cui App. Claudii Censura vires dederat, „qui Senatum primus libertinorum filiis lectis inquinaverat; et postquam eam lectionem nemo ratam habuit, nec in curia adeptus erat, quas petierat, opes urbanas; humilibus per omnes tribus divisis, forum et campum conrupit." Praeterea Plin. h. n. XXXIII. c. 1 de eius Aedilitate: „Flavius vovit aedam Concordiae, si populo reconciliasset ordines. Et cum ad id pecunia publica non decerneretur, ex multaticia foeneratoribus condemnatis aediculam aeream fecit in Graecostasi, quae tunc supra comitium erat. Incıditque in tabella aerea eam aedem centum quatuor annis post Capitolinam dedicatam: ita 449 a. cond. urb. gestum est." De Graecostasi conf. Müller, das Forum Romanum und die Via Sacra, Stuttg. 1824. p. 54 seq., qui e Nybbio, mihi non ad manum parato, multa huic rei apta contulit, etsi nequaquam totum hunc librum ob nimiam auctoris levitatem negligentiamque in locis excitandis probare nolim. Ceterum autem

a. u. c.	a. Ch. n.	
450.	303.	L. Cornelius Scipio [86],
		[A. Cornelius Cossus Arvina.]
451.	302.	L. Postumius Megellus II (vid. not. 79),
		T. Manlius Torquatus [87].
452.	301.	[C. Poetelius Libo Visolus,]
		M. Atilius Regulus [88].
453.	300.	Sp. Carvilius Maximus [89],
		C. Domitius Calvinus, Cn. fil. [90].

de huius viri animo libero, eiusdemque comprobatione adversus Patriciorum fastidium loquuntur et Liv. loc. excit. et Valer. Max. II. c. 5. §. 2, IX. c. 5. §. 5; inprimis vero de fastis ab eodem divulgatis, e quibus contra nobilium iurisconsultorum voluntatem vulgus cognoscere posset, quibus diebus lege agi permissum esset, quibusque non liceret, tum de legum duodecim tabularum interpretationibus actionibusque ex iisdem compositis, quas apud Pontificum collegium asservatas Flavius identidem in publicum protulerat, referunt Cic. Or. pr. Muren. c. 11. §. 25, eiusd. epist. ad Attic. VI. e. 1, Gell. Noct. Att. VI. c. 9, Pompon. de orig. iur. §. 6—7.

85) Cum Cn. Flavio Aedilis Curulis h. a. creatus est, quanquam paucis ante annis hostis fuerat, praeteritis C. Petilio at Domitio, quorum patres Consules fuerant, Plin. h. n. XXXIII. c. 1.

86) Consulatum accepit a. 298, Liv. X. c. 11; Legatus a. 293, Liv. X. c. 40.

87) Consulatum gessit a. 299, Liv. X. c. 9.

88) Consulatum obtinuit a. 294, Liv. X. c. 32; Praeturam a. seq. 293, ibid. X. c. 45.

89) Carvilius primum Consul factus est a. 293, Liv. X. c. 39; iterum Consul a. 271.

90) Domitius Carvilii collega in Aedilitate C. dicitur apud Liv. X. c. 9.

a. u. c.	a. Ch. n.	
454.	299.	Q. Fabius Maximus Rullianus II [91]), L. Papirius Cursor, L. fil. [92]).
455.	298.	M. Valerius Flaccus, L. Cornelius Scipio II. } [93])
456.	297.	[Q. Fabius Ambustus,] [M' Sergius Fidenas.]
457.	296.	Cn. Ogulnius Gallus, Q. Ogulnius Gallus. } [94])

91) Vid. not. 49. De secunda huius viri Aedilitate Curuli ita tradit Livius X. c. 9. „In a. u. 454 quum Q. Fabium Consulem non petentem omnes dicerent centuriae, ipsum auctorem fuisse Macer Licinius ac Tubero tradunt differendi sibi Consulatus in bellicosiorem annum; eo anno maiori se usui reipublicae fore, urbano gesto magistratu: ita nec dissimulantem, quid mallet, nec petentem tamen, Aedilem Curulem cum L. Papirio Cursore factum. Id ne pro certo ponerem, vetustior annalium auctor Piso effecit; qui eo anno Aediles Curules fuisse tradit C. Domitium Cn. F. Calvinum et Sp. Carvilium Q. F. Maximum. Id credo cognomen fecisse errorem in Aedilibus: sequutamque fabulam mixtam ex Aediliciis et Consularibus comitiis, convenientem errori." Tum c. 11. „Caritas etiam annonae sollicitam civitatem habuit, ventumque ad inopiae ultimum foret, ut scripsere, quibus Aedilem fuisse eo anno Fabium Maximum placet, ni eius viri cura, qualis in bellicis rebus multis tempestatibus fuerat, talis domi tum in annonae dispensatione, praeparando ac convehendo frumento, fuisset."

92) Consulatum a. 295 gessit, Liv. X. c. 38, insignemque triumphum de Samnitibus egit, ibid. c. 46, atque Quirini aedem, quam pater Dictatoris munere fungens voverat, dedicavit; anno proxime sequenti (292) Praeturam accepit, Liv. X. c. 47.

93) In Aedilitate uterque plerisque civibus diem dixerunt, quia plus quam quod lege finitum erat, agri possiderent, Liv. X. c. 13.

94) Uterque simul Tribuni Pl. fuerunt a. 300, teste Liv. X. c. 6, quo munere gravissimae rogationis sanctionem plebiscito comparaverunt, „ut, quum quatuor augures, quatuor ponti-

a. u. c.	a. Ch. n.	
458.	295.	Q. Fabius Maximus, Q. Rulliani fil. [95]), [L. Veturius Crassus Cicurinus.]
459.	294.	M. Valerius Maximus Corvinus [96]), P. Cornelius Rufinus [97]).
460.	293.	C. Iunius Bubulcus Brutus [98]), Q. Caedicius Noctua [99]).
461.	292.	G. Aelius Paetus [100]), C. Claudius Canina seu Caenina [101]).

---

fices ea tempestate essent, placeretque augeri sacerdotum numerum, quatuor pontifices, quinque augures, de Plebe omnes, adlegerentur." In Aedilitate Curuli „aliquot foeneratoribus diem dixerunt, quorum bonis multatis, ex eo, quod in publicum redactum est, aenea in Capitolio limina, et trium mensarum argentea vasa in cella Iovis, Iovemque in culmine cum quadrigis, et ad ficum Ruminalem simulacra infantium conditorum urbis sub uberibus lupae posuerunt; semitamque saxo quadrato a Capena porta ad Martis straverunt." Liv. X. c. 23.

95) Fabius in Aedilitate aliquot matronas stupri caussa ad populum duxit, damnatasque pecunia multavit, e qua Veneris aedem prope Circum faciendam curavit, Liv. X. c. 31, P. Victor. in descript. Circi maximi. — Idem primum Consul creatus est a. 292, Liv. X. c. 47, secundum a. 275, tertium Consul a. 264.

96) Consulatum obtinuit a. 288.

97) Primum Consul factus est a. 289, Fast. Cons.; iterum a. 276.

98) Iunius cum collega Caedicio ludos Romanos in Aedilitate fecerunt, quibus primum coronati ob res bello bene gestas, palmas, translato e Graecia more, acceperunt. In eodem officio uterque, aliquot matronis damnatis, viam a Martis silice ad Bovillas sternendam curaverunt, Liv. X. c. 47. Deinde Iunius primum Consulatum gessit a. 291, secundum a. 276, Fast. Cons.

99) Consul factus est a. 288.

100) Consulatum obtinuit a. 285.

101) Primo Consulatu functus est a. 284, secundo a. 272.

a. u. c.	a. Ch. n.	
462.	291.	M. Valerius Maximus Potitus [102]), [C. Nautius Rutilus.]
463.	290.	Sp. Nautius Rutilus [103]), Cn. Aemilius Papus [104]).
464.	289.	M. Aemilius Lepidus [105]), C. (L.) Servilius Tucca [106]).
465.	288.	[L. Furius Camillus,] [C. Furius Pacilus.]
466.	287.	Q. Aemilius Papus [107]), [C. Cornelius Scapula.]
467.	286.	P. Cornelius Dolabella [108]), L. Aemilius Barbula [109]).
468.	285.	P. Valerius Laevinus [110]), [T. Geganius Macerinus.]
469.	284.	P. Sulpicius Saverrio [111]), [Sp. Papirius Cursor.]
470.	283.	L. Papirius Cursor [112]), [M. Fabius Dorso.]
471.	282.	[Cn. Quinctilius Varus,] [P. Quinctilius Varus.]

---

102) Consul creatus est a. 285.

103) Legati munere functus est a. 295, Liv. X. c. 40; Consulis a. 286.

104) Consulatum adeptus est a. 281.

105) Consul creatus est a. 284.

106) Consulatum adeptus est a. 285.

107) Consulatum obtinuit a. 277.

108) Consulatum accepit a. 282.

109) Consulatum gessit a. 280.

110) Consul factus est a. 279, quo munere infeliciter ob elephantorum faciem militibus inusitatam contra Pyrrhum dimicavit, Liv. epit. l. XIII.

111) Consulatum adeptus est a. 278.

112) Consul creatus est a. 271.

a. u. c.	a. Ch. n.	
472.	281.	[M. Foslius Flaccinator,]
		[C. Fabius Ambustus.]
473.	280.	L. Cornelius Lentulus, postea Caudinus [113]),
		L. Papirius Maso [114]).
474.	279.	Ser. Cornelius Merenda [115]),
		[C. Fabius Dorso Licinus.]
475.	278.	[P. Licinius Varus,]
		[C. Sempronius Grachus.]
476.	277.	[P. Cloelius Siculus,]
		[Q. Valerius Falto.]
477.	276.	C. Quinctius Claudus [116]),
		[C. Valerius Potitus Flaccus.]
478.	275.	[Cn. Servilius Caepio,]
		[Q. Servilius Caepio.]
479.	274.	C. Fabius Maximus Pictor [117]),
		Cn. Cornelius Blasio [118]).
480.	273.	App. Claudius Crassus s. Rufus [119]),
		[T. Cloelius Siculus.]
481.	272.	M. Atilius Regulus [120]),
		L. Publicius Malleolus.
482.	271.	L. Iulius Libo [121]),
		M. Fabius Pictor [122]).

113) Consulatum gessit a. 274.

114) Cic. Ep. ad Fam. IX. e. 21.

115) Consulatum obtinuit a. 275.

116) Consulatum nactus est a. 270.

117) Consul creatus est a. 268.

118) Primum Consulatum obtinuit a. 269, secundum a. 256.

119) Consul factus est a. 267.

120) Primum Consulatum adeptus est a. 266, secundum a. 255, quem tam aequa, quam iniqua fortuna insignem reddidit, Polyb. I. c. 26—35, Liv. epit. lib. XVII et XVIII.

121) Consulatu functus est a. 266.

122) Consulatum gessit a. 265.

a. u. c.	a. Ch. n.	
483.	270.	[L. Quinctius Capitolinus,]
		[L. Papirius Crassus.]
484.	269.	App. Claudius Caudex [123]),
		[L. Sempronius Atratinus.]
485.	268.	M. Fulvius Flaccus [124]),
		C. Otacilius Crassus [125]).
486.	267.	M' Valerius Maximus, postea Messalla [126]),
		L. Postumius Albinus Megellus [127]).
487.	266.	L. Valerius Flaccus [128]),
		Q. Fabius Ambustus [129]).
488.	265.	Cn. (C.) Cornelius Scipio Asina [130]),
		[Q. Sulpicius Paterculus.]
489.	264.	[L. Pinarius Natta,]
		[L. Manlius Torquatus.]
490.	263.	L. Cornelius Scipio [131]),
		C. (L.) Sulpicius Paterculus [132]).

123) Consul factus est a. 263.

124) Consulatum accepit a. 265.

125) Consul creatus est a. 262.

126) Consulatum nactus est a. 262, Polyb I. c. 16; Censuram a. 255, Liv. epit. lib. XVIII.

127) Consul factus est a. 261.

128) Consulatum gessit a. 260.

129) Coactus Aedilitate se abdicavit ex Senatusconsulto, conf. Aed. Pl. in h. ann. et not. 125 ad h. a.

130) Primum Consulatum gessit a. 259, secundum a. 253, quo circumventus a classe Punica et per fraudem velut in conloquium evocatus, captus est, Liv. epit. lib. XVII.

131) Consul factus est a. 258, Liv. epit. lib. XVII.

132) Consulatum accepit a. 257.

a. u. c.	a. Ch. n.	
491.	262.	D. Iunius Brutus [133]),
		A. (M.) Atilius Calatinus [134]).
492.	261.	L. Manlius Vulso Longus [135]),
		[A. Manlius Vulso Longus.]
493.	260.	[Ti. Sempronius Blaesus,]
		[M. Laetorius Plancianus.]
494.	259.	M. Aemilius Paullus [136]),
		[Sp. Furius Philus.]
495.	258.	L. Aurelius Cotta [137]),
		A. Ogulnius Gallus.
496.	257.	Cn. Servilius Caepio [138]),
		P. Servilius Geminus [139]).
497.	256.	[Q. Fabius Maximus Gurges,]
		[Sp. Veturius Crassus.]
498.	255.	C. Furius Pacilus [140]),
		P. Claudius Pulcher [141]).
499.	254.	A. Manlius Torquatus Atticus [142]),
		[P. Cornelius Dolabella.]

133) Is primus munus gladiatorium in honorem defuncti patris edidit, Liv. epit. lib. XVI.

134) Primum Consulatum nactus est a. 257, Liv. epit. l. XVII, secundum a. 253; inde a. 247 primus Dictator extra Italiam exercitum duxit, Liv. epit. l. XIX.

135) Praeturam a. 258 gessit, primum Consulatum a. 255 Polyb. I. c. 26, secundum a. 249.

136) Praetura a. 257, et Consulatu a. 254 functus est, Polyb. I. c. 56.

137) Consulatum habuit a. 251.

138) Consul factus est a. 252, Polyb. I. c. 59.

139) Primum Consul creatus est a. 251, iterum a. 247.

140) Praeturam a. 254, Consulatum gessit a. 250, Polyb. I. c. 39.

141) Consulatum obtinuit a. 248, Polyb. I. c. 49 et Liv epit. l. XIX.

142) Primum Consul creatus est a. 243, iterum a. 240.

a. u. c.	a. Ch. n.	
500.	253.	M. Fabius Buteo [143],
		[T. Antonius Merenda.]
501.	252.	[L. Aemilius Barbula,]
		[M. Aemilius Lepidus.]
502.	251.	[C. Flaminius,]
		[L. Marcius Philippus.]
503.	250.	M. Fabius Licinius [144],
		[M. Cornelius Cethegus.]
504.	249.	M. Fabius Buteo II (vid. not. 143),
		C. Sulpicius Gallus Longus [145].
505.	248.	[M. Licinius Calvus,]
		[P. Decius Mus.]
506.	247.	C. Lutatius Catulus [146],
		[L. Livius Denter.]
507.	246.	A. Postumius Albinus [147],
		C. Claudius Centho, App. F. [148].
508.	245.	Q. Valerius Falto [149],
		[M. Aemilius Numida.]

143) De nummis argenteis M. Fabii Buteonis in Aedilitate cusis conf. Pighii coniectura, Annal. II. p. 42. Is primum Consul factus est a. 245, iterum Consul anno proximo, tum multo post iam valde senex secundam Dictaturam accepit a. 216, eamque sine Magistro equitum Senatus legendi caussa iuxta alterum Dictatorem rem in bello gerentem obtinuit, Liv. XXIII. c. 22.

144) Consulatum adeptus est a. 246.

145) Consulatum obtinuit a. 242.

146) Consulatum magna victoria apud insulas Aegates celebratum gessit a. 241, Liv. epit. l. XIX, Polyb. I. c. 59—62.

147) Consul creatus est a. 241.

148) Consulatum gessit a. 259, sed a Pontifice maximo in urbe retinetur, quod et Flamen Martialis erat, Liv. epit. l. XIX; Interrex comitiorum caussa factus est a. 216, Liv. XXII. c. 34, deinde Dictatoris dignitatem ob eandem accepit a. 213, Liv. XXV. c. 2.

149) Consulatu functus est a. 238.

a. u. c.	a. Ch. n.	
509.	244.	M. Sempronius Tuditanus [150]),
		[Q. Petillius Spurinus.]
510.	243.	P. Valerius Falto [151]),
		M. Valerius Maximus Potitus.
511.	242.	L. Cornelius Lentulus Caudinus [152]), L. F.,
		C. Papirius Maso [153]), C. F.
512.	241.	P. Cornelius Lentulus Caudinus [154]),
		[C. Fabius Pictor.]
513.	240.	Q. Sulpicius Rufus, } [155])
		L. Furius Bibaculus. }
514.	239.	L. Postumius Albinus [156]),
		T. Manlius Torquatus [157]).

150) Consul factus est a. 259.

151) Consulatum gessit a. 257.

152) L. Cornelium cum C. Papirio simul Aediles Curules fuisse, docent insignes nummi argentei cum eorum nominibus ita inscriptis: „L. Lent. L. F. Caudinus. C. Papiri. C. F. Maso. Aed. Cur." Pigh. Annal. II. p. 64. Praeterea Lentulus Consul factus est a. 236, deinde Pontifex maximus a. 217, Liv. XXII. c. 10, mortuus est a. 213, ibid. XXV. c. 2.

153) C. Papirius Consul factus est a. 230, Decemvir sacrorum non multo post, mortuus est a. 213, Liv. XXV. c. 2.

154) Consulatum gessit a. 235.

155) De his confer. Pigh. Annal. II. pag. 71.

156) Primum Praetor factus est a. 255, secundo anno postea primum Consulatum accepit, a. 228 secundum, a. 216 denique secundam Praeturam, Liv. XXII. c. 5, in qua Consul quidem tertium absens designatus est, sed priusquam munus obire posset, in Gallia occubuit, ibid. XXIII. c. 24.

157) Primo Consulatu functus est a. 235, secundo a. 225, Polyb. II. c. 31; bis Censor creatus est, Liv. XXIII. c. 34; tum rursus Propraetor in Sardiniam missus est a. 215, Liv. XXIII. c. 34 et 40; denique Dictator comitiorum magnorumque ludorum faciendorum caussa creatus est a. 208, Liv. XXVII. c. 33.

a. u. c.	a. Ch. n.	
515.	238.	M. Aemilius Lepidus [158]),
		[App. Claudius Crassus.]
516.	237.	Q. Fabius Maximus Verrucosus [159]),
		[Cn. Cornelius Blasio.]
517.	236.	M. Iunius Pera [160]),
		[L. Papirius Turdus.]
518.	235.	M. Aemilius Barbula [161]), L. F.,
		[M. Papirius Crassus.]
519.	234.	A. Postumius Albinus [162]),
		L. Postumius Megellus [163]).
520.	233.	M. Atilius Regulus [164]),
		[C. Otacilius Crassus.]

158) Consulatum adeptus est a. 231, Polyb. II. c. 21.

159) Fabii Aedilitas Curulis duplex inter alios eiusdem magistratus et honores in antiqua inscriptione recensetur apud Pigh. II. pag. 88 et 152. Consulatum primum accepit Fabius a. 252, secundum a. 227, Dictaturam a. 217, Liv. XXII. c. 8—9, Pontificatum a. 216, Liv. XXIII. c. 21. Tertium Consul sufficitur a. 215, ibid. XXIII. c. 31; quartum Consul creatus est a. 214, ita ut eundem magistratum per biduum continuaret, ibid. XXIV. c. 9; quintum Consul a. 209, Liv. XXVII. c. 6.

160) Consulatum obtinuit a. 229, Dictaturam post cladem Cannensem a. 216, Liv. XXII. c. 57 et XXIII. c. 14.

161) Consul factus est a. 229, conf. not. 167 de C. Servilii denario.

162) Consulatum nactus est a. 228, Polyb. II. c. 11.

163) In cuius Aedilitate C. Naevius poëta fabulas apud populum dedit, Gell. noct. Att. XVII. c. 21.

164) Primum Consul creatus est a. 226, secundum suffectus est in occisi Flaminii locum a. 217, Liv. XXII. c. 25 et 32, Censuram a. 214, Liv. XXIV. c. 11; sed collega mortuo hoc magistratu se abdicavit, statimque a. 213 rursus Praeturam urbanam accepit, Liv. XXIV. c. 43.

a. u. c.	a. Ch. n.	
521.	232.	P. Valerius Flaccus [165], [Sp. Furius Philus.]
522.	231.	M. Valerius Messalla [166], [Q. Aemilius Papus.]
523.	230.	C. Servilius Caepio [167], [M. Valerius Flaccus.]
524.	229.	L. Aemilius Papus [168], [C. (M.) Aemilius Paullus.]
525.	22 8.	P. Furius Philus [169], Cn. Cornelius Scipio Calvus [170].
526.	227.	P. Cornelius Scipio Asina [171], T. Quinctius Crispinus [172].

165) Consulatum obtinuit a. 226; Legatus Saguntum ac Carthaginem missus est a. 218, Liv. XXI. c. 6.

166) Consul factus est a. 225.

167) Cuius denarii Aedilitii inscriptionem affert ex H. Goltzio Pigh. II. pag. 107:

„M. Aimil. L. F. Barbula. Cos.
C. Serveili. P. F. Aed. Cur.
Ex. S. C."

168) Consulatum gessit a. 224, Polyb. II. c. 25.

169) Primum Praetura fnnotus est a. 225, Consulatu a. 222, Polyb. II. c. 52, iterum Praetura a. 216, Liv. XXII. c. 55, deinde Censura a. 214, Liv. XXIV. c. 11, in quo munere mortuus est, ibid. c. 43.

170) Consulatum obtinnit a. 221, Polyb. II. c. 54, imperium prooonsulare in Hispania a. 218, Liv. XXI. c. 60, quod per septem annos usque ad caedem suam servavit a. 212, ibid. XXV. c. 36.

171) Consul factus est a. 220, Interrex comitiorum caussa a. 216, Liv. XXII. c. 34.

172) Praeturam a. 210 accepit, Liv. XXVII. c. 6, Consulatum a. 208, ib. c. 21, in qua dignitate ex vulnere mortuus est, ibid. c. 33.

a. u. c.	a. Ch. n.	
527.	226.	M. Claudius Marcellus [173]),
		M. Minucius Rufus [174]).
528.	225.	P. Cornelius Scipio [175]),
		L. Manlius Vulso [176]).
529.	224.	L. Aemilius Paullus [177]),
		M. Aemilius Barbula II (vid. not. 161).
530.	223.	Q. Aelius Paetus [178]),
		Cn. Servilius Geminus [179]).

---

173) Conf. Pigh. Ann. II, 116 — 117, qui, hunc quidem inter Aediles Plebeios enumerans, de eiusdem accusatione Scantinii, Marcelli filium de stupro appellantis (vid. de h. c. II. a. 226), largiter disseruit. Marcellus Consul factus est a. 221, spoliaque opima ex bello Gallico retulit, Liv. epit. l. XXI, Polyb. II. c. 34; Praetor a. 216, Liv. XXII. c. 55; Consul suffectus est a. 215, sed Augures mox vitio creatum esse eum renuntiaverunt, qnod etiam in maximis reipublicae angustiis duos Plebeios Consules in nno eodemque anno concedere noluerunt, Liv. XXIII. c. 31. At anno sequenti rursus Consulatus eidem demandatus est, ib. XXIV. c. 9, tertiumqne hanc dignitatem nactus est a. 210, ib. XXVI. c. 22, et quartum a. 208, ib. XXVII. c. 21, in quo magistratu ab Hannibale insidiis deceptus occisusque est, ibid. c. 25 et 26.

174) Consul creatus est a. 220, Magister equitum a Dictatore Q. Fabio dictus a. 217, Liv. XXII. c. 8, in pugna Cannensi occisus est a. 216, Liv. XXII. c. 49.

175) Consulatum accepit a. 218, Liv. XXI. c. 6, imperium proconsulare in Hispania a. 217, ib. XXII. c. 22, quod usque ad a. 212 tenuit, quo contra Poenos occubuit, Liv. XXV. c. 36.

176) Praetura functus est a. 218, Liv. XXI. c. 17, XXII. c. 33, XXIII. c. 21.

177) Ante Consulatum Censor factus est a. 221, Liv. XXIII. c. 22, primum Consul a. 219, ib. XXII. c. 25, iterum Consnl a. 216 in pugna Cannensi occisus est, Liv. XXII. c. 35 et 49.

178) Pontifex in pugna Cannensi cecidit a. 216, Liv. XXIII. c. 21.

179) Consulatum obtinuit a. 217, Liv. XXI. c. 57, sed anno sequenti clade Canneusi cecidit, ib. XXII. c. 49.

a. u. e.	a. Ch. n.	
531.	222.	L. Veturius Philo [180],
		M. Valerius Laevinus [181]).
532.	221.	M. Aemilius Lepidus [181*]),
		[P. Cornelius Merenda.]
533.	220.	C. Terentius Varro [182]),
		M. Pomponius [183]).
534.	219.	M. Aemilius Regillus [184]),
		A. Cornelius Mammula [185]).
535.	218.	Q. Mucius Scaevola [186]),
		P. Cornelius Sulla [187]).

---

180) De eius denariis in Aedilitate excusis tractat Pigh. Ann. II. p. 126. Idem Consul factus est a. 219, Dictator comitiorum caussa a. 217, Liv. XXII. c. 53, sed vitio creatus die quarto decimo magistratu se abdicavit; Censuram a. 210 adeptus in hoc munere mortuus est, ib. XXVII. c. 6.

181) Praeturam obtinuit a. 215, Liv. XXIII. c. 24, Consulatum a. 210, ibid. XXVI. c. 22; sed secundo Consulatu, ad quem Livius XXIX. c. 11 alludit, eum functum esse non cognovimus.

181*) Praeturam accepit a. 218, Liv. XXI. c. 49.

182) Aedilitatem Plebeiam iam a. 225 habuerat, Praeturam nactus est a. 218, Liv. XXII. c. 25—26, duobus annis postea magna Plebis contentione Consulatum, ib. XXII. c. 55, quem autem clade Cannensi famosum reddidit.

183) Praeturam obtinuit a. 217, Liv. XXII. c. 7.

184) Praetor urbanus factus est a. 217, Liv. XXII. c. 9 et 33; mortuus est a. 205, ib. XXIX. c. 38.

185) Propraetor Sardiniae praeerat a. 216, Liv. XXIII. c. 21.

186) Praeturam adeptus est a. 215, Liv. XXIII. c. 24.

187) Praeturam urbanam et peregrinam simul gessit a. 212, Liv. XXV. c. 2.

24 *

a. u. c.	a. Ch. n.	
536.	217.	App. Claudius Pulcher [188]), P. Cornelius Lentulus [189]).
537.	216.	Ti. Sempronius Grachus [190]), C. Laetorius Mergus [191]),
538.	215.	Q. Fabius Maximus Verrucosus, Q. F. [192]), M. Aemilius Lepidus [193]).
539.	214.	P. Sempronius Tuditanus [194]), Cn. Fulvius Centumalus [195]).

188) Post cladem Cannensem inter Tribunos militum servatos nominatur, utpote qui proxime Aedilis Curulis fuerat, Liv. XXII. c. 53; tum Praeturam adeptus est a. 215, Liv. XXIII. c. 24, Consulatum a. 212, ib. XXV. c. 2.

189) Praetura functus est a. 214, Liv. XXIV. c. 9.

190) Ti. Sempronius in hac Aedilitate simul Magister equitum a Dictatore M. Iunio dictus, et in annum sequentem Consul designatus est, Liv. XXIII. c. 24, iterum Consul factus est a. 215, ib. XXIV. c. 45, sed anno sequenti in Lucania ad Campos Veteres periit, Liv. XXV. c. 17.

191) C. Laetorius cum collega ludos Romanos per triduum instauratos fecit, Liv. XXIII. c. 30; Praetor factus est a. 210, ibid. XXVI. c. 25, at Decemvir sacris faciundis a. 210, ibid. XXVII. c. 8.

192) Pigh. Ann. II. p. 236 marmor antiquissimum, e foro Romano ipse erutum affert cum hac inscriptione:

„Q. Fabius. Q. F. Maxsumus. Aed. Cur."
Is ex Aedilitate Praetor a. sequentis designatus, Liv. XXIV. c. 9, Consulque factus est a. 215, ibid. c. 43.

193) Praetor creatus est a. 213, Liv. XXIII. c. 45, Decemvir sacrorum a. 211, ibid. XXVI. c. 25, Pontifex a. 199, ibid. XXXII. c. 7.

194) P. Sempronius in Aedilitate cum collega ludos scenicos per quatriduum primus fecit, Praeturamque cum illo statim in hoc munere adeptus est, Liv. XXIV. c. 43; sed Censor ante Consulatum factus est a. 209, ibid. XXVII. c. 11, Consul demum a. 204, ibid. XXIX. c. 11.

195) Praeturam gessit a. 215, Consulatum a. 211, Liv. XXIV. c. 43 et XXV. c. 41

a. u. c.	a. Ch. n.	
540.	213.	P. Cornelius Scipio Africanus [196]), M. Cornelius Cethegus [197]).
541.	212.	C. Sulpicius Gallus [198]), P. Manlius Vulso [199]).
542.	211.	P. Licinius Crassus Dives [200]), L. Licinius Pollio [201]).

196) De Scipionis Africani Aedilitate Liv. XXV. c. 2 ita retulit: „huic petenti Aedilitatem quum obsisterent Tribuni Plebis, negantes rationem eius habendam esse, quod nondum ad petendum legitima aetas esset: Si me, inquit, omnes Quirites Aedilem facere volunt, satis annorum habeo. Tanto inde favore ad suffragium ferendum in tribus discursum est, ut Tribuni repente incepto destiterint. Aedilitia largitio haec fuit (cum collega Cethego): ludi Romani pro temporis illius copiis magnifice facti et diem unum instaurati, et congii olei in vicos singulos dati." Imperium proconsulare in Hispania per sex annos (211—206) gessit, Liv. XXVI. c. 18, primum Consulatum a. 205, Liv. XXVIII. c. 38, Censuram a. 199, ib. XXXII. c. 7, secundum Consulatum a. 194, ib. XXXIV, 42: princeps Senatus a Censoribus tertium lectus est a. 189, ib. XXXVIII. c. 28, mortem obiit a. 185, ib. XXXVIII. c. 55 et XXXIX. c. 52.

197) M. Cornelius Pontifex a. 212, Liv. XXV, 5, Praetor factus est a. 211, ibid. c. 41, Censor ante Consulatum a. 209, ib. XXVII. c. 11. Consul denique creatus est a. 204, ib. XXIX. c. 11.

198) Praeturam accepit anno post Aedilitatem (211), Liv. XXV. c. 41.

199) Praetor creatus est a. 210, Liv. XXVI. c. 23.

200) Pontifex maximus a. 212, Liv. XXV. c. 5, in quo munere petendo contra morem Candidatos dignitate Curuli non ornatus repellendi excellentissimos competentes vicit, itaque Aedilitatis petitionem, quam iam in animo habuerat, distulit; deinde ex Aedilitate, cuius vero in ludis faciendis Plin. h. n. XXI. c. 3 mentionem facisse videtur, statim gradum ad Censuram fecit, antequam Praeturam sive Consulatum nactus esset, Liv. XXVII. c. 6, simulque Magister equitum a Dictatore Q. Fulvio Flacco a. 210 dictus est, Liv. XXVII. c. 5. Tum de-

a. u. c.	a. Ch. n.	
543.	210.	L. Veturius Philo 202), P. Licinius Varus 203).
544.	209.	L. Cornelius Lentulus Caudinus 204), Ser. Sulpicius Galba 205).
545.	208.	Q. Caecilius Metellus 206), C. Servilius Pulex Geminus 207).
546.	207.	Cn. Servilius Caepio, Ser. Cornelius Lentulus. } 208)

mum Praeturam adeptus est a. 208, ibid. c. 21, Consulatum a. 205, ibid. XXVIII. c. 38, mortuus est a. 185, ibid. XXXIX. c. 46.

201) Praeturam gessit a. 208, Liv. XXVII. c. 8.

202) In munere Aedilicio L. Veturius ludos Romanos cum collega Licinio diem unum fecit, Liv. XXVII. c. 6; Praeturam a. 209 adiit, ibid. c. 6, Consulatum a. 206, ibid. XXVIII. c. 10, Magister equitum a Dictatore Q. Caecilio Metello dictus est a. 205, Liv. XXIX. c. 11.

203) Praetor factus est a. 208, Liv. XXVII. c. 21.

204) L. Cornelius iam ante Aedilitatem Praetor creatus est a. 211, Liv. XXV. c. 41; cum collega Aedilicio Ser. Sulpicio ludos Romanos ex Sen. Cons. in diem unum instauravit, ibid. XXVII. c. 21.

205) Ser. Galbae meminit etiam Livius XXIX. c. 11 ut Aedilitii inter legatos, Matrem Magnam Romam advehentes. Is Consulatum a. 200 iniit, Liv. XXXI. c. 4, quo loco autem praenomen Servii cum Publio permutatum est, vid. Drakenborch. not. ad h. loc.

206) Vid. Aedil. Pleb. s. a. 209 et not. 176. In Aedilitate Curuli cum collega C. Servilio ludos Romanos semel instauravit, Liv. XXVII. c. 36.

207) C. Servilius in munere Aedilicio a Dictatore T. Manlio Torquato Magister equitum dictus est a. 208, Liv. XXVII. c. 33; tum Praetor factus a. 206, ib. XXVIII. c. 10, Consul a. 203, ib. XXIX. c. 38, Dictator comitiorum caussa a. 202, Liv. XXX. c. 39, Pontifex maximus a. 183, ib. XXXIX. c. 46.

208) Qui Aediles ludos Romanos ter totos instauraverunt, Liv. XXVII. c. 37 et XXVIII. c. 10. Sed Cn. Servilius Praetu-

a. u. c.	a. Ch. n.	
547.	206.	Ti. Claudius Nero [209]),
		P. Quinctilius Varus [210]).
548.	205.	L. Cornelius Lentulus [211]),
		Cn. Cornelius Lentulus [212]).
549.	204.	C. Livius Salinator [213]),
		M. Servilius Pulex Geminus [214]).
550.	203.	M. Fabius Buteo [215]),
		M. Valerius Falto [216]).

---

ram obtinuit a. 205, ib. XXVIII. c. 38, Consulatum a. 205, ib. XXIX. c. 38, Pontificatum maximum a. 215, ib. XXV. c. 2. Pestilentia mortuus est a. 174, Liv. XLI. c. 21.

209) Praeturam adeptus est a. 204, Liv. XXIX. c. 11, Consulatum a. 202, Liv. XXX. c. 26.

210) Praeturam obtinuit a. 205, Liv. XXIX. c. 38; mortuus est a. 169, ib. XLIV. c. 18.

211) L. Cornelius, Hispaniam provinciam tenens, contra morem Aedilis absens creatus est cum fratre Cneio, insitatiusque absens eum honorem gessit, Liv. XXIX. c. 11, ita ut frater pro se et Lucio ludos Romanos ter solus instauraret. Consul factus est a. 199, ibid. XXXI. c. 49.

212) Cn. Cornelius Quaesturam habuit a. 212, Liv. XXV. c. 17, Praeturam a. 205, ib. XXIX. c. 38, Consulatum a. 201, ib. XXX. c. 40.

213) C. Livius in Aedilitate cum collega ludos Romanos biduum instauravit, quadrigasque aureas in Capitolio posuit, Liv. XXIX. c. 38; Praeturam gessit a. 202, Liv. XXX. c. 26.

214) Magister equitum a Dictatore P. Sulpicio dictus est a. 203, Liv. XXX. c. 24, quo munere adhuc fungens Consul factus est a. 202, ibid. c. 26.

215) M. Fabius in munere Aedilicio ludos Romanos diem unum cum collega fecit, magnamque frumenti vim ex Hispania missam quaternis aeris vicatim descripsit, Liv. XXX. c. 26; Praetor factus est a. 201, ibid. c. 40.

216) M. Valerius Praeturam accepit a. 201, Liv. XXX. c. 40.

a. u. c.	a. Ch. n.	
551.	202.	L. Licinius Lucullus, Q. Fulvius Gillo Paetinus. } 217)
552.	201.	L. Valerius Flaccus, P. F. 218), T. Quinctius Flamininus 219), T. F.
553.	200.	M. Claudius Marcellus 220), Sex. Aelius Paetus Catus, Q. F. 221).

217) Uterque Aediles ludos Romanos ter totos instaurarunt: „ceterum pecuniam ex aerario scribae viatoresque Aedilitii clam egessisse per indicem comperti, damnati sunt, non sine infamia Luculli Aedilis, Liv. XXX. c. 39. Q. Fulvius Praetor factus est a. 200, Liv. XXXI. c. 4.

218) Ex hac Aedilitate Curuli Pigh. Ann. II. p. 237 denarios affert, in quorum latere averso inter duas spicas togati Aediles sedent in sellis suis iuxta modium frumentarium cum hac inscriptione:

„F. Flaminin. T. F. L. Flacc. P. F. Aed. Cur. Ex. S. C." In latere reverso Cereris facies cum corona spicea aspicitur. Ceterum de eorum Aedilitate refert Livius XXXI. c. 4: „ludi Romani scenici eo anno magnifice adpareteque facti sunt ab Aedilibus Curulibus; biduum instauratum est, frumentique vim ingentem, quod ex Africa P. Scipio miserat, quaternis aeris populo cum summa fide et gratia diviserunt." Tum L. Valerius Praetor creatus est a. 199, Liv. XXXI. c. 49, Consul a. 195, ib. XXXIII. c. 42, Triumvir coloniae deducendae a. 190, ib. XXXVII. c. 46, Censor denique cum M. Porcio Catone a. 184, ib. XXXIX. c. 41.

219) Hunc T. Quinctium Flamininum a coaetaneo T. Quinctio, Consule a. 198, qui tamen Aedilitatem praetermisit, Liv. XXXII. c. 7, plane diversum fuisse, demonstrant Gronovii et Drakenborchii notae ad Liv. XXXI, 4. Idem Praeturam adeptus est a. 199, ibid. c. 49, Consulatum a. 192, ib. XXXV. c. 10, Censuram a. 189, ib. XXXVII. c. 58; mortuus est a. 188, ib. XXXVII. c. 56.

220) M. Claudius Tribunus Pl. fuit a. 204, Liv. XXIX. c. 20; in Aedilitate Curuli cum collega Paeto frumenti vim magnam ex Africa advectam binis aeris in modios populo divisit, ludosque Romanos magno adparatu fecit, diemque unum instauravit: signa aenea quinque ex multaticio argento in aera-

a. u. c.	a. Ch. n.	
554.	199.	C. Valerius Flaccus [222]),
		C. Cornelius Cethegus [223]).
555.	198.	Q. Minucius Thermus [224]),
		T. Sempronius Longus [225]).
556.	197.	P. Cornelius Scipio Nasica [226]),
		Cn. Manlius Vulso [227]).

---

rio posuit, ibid. XXXI. c. 50. Praetor factus est a. 198, ib. XXXII. c. 7, Consul a. 196, ib. XXXIII. c. 24, Censor a. 189, ib. XXXVII. c. 58, denique Pontifex maximus mortuus est a. 177, Liv. XLI. c. 15.

221) Cuius denarios Aedilicios memorat Pigh. II. p. 245 ex Golzio, ita consignatos: „Sex. Aelius. Q. F. Catus. Aed. Cur. Ex. S. C." Consul creatus est a. 198, Liv. XXXII. c. 5, Censor a. 194, ib. XXXIV. c. 44.

222) Qui Flamen Dialis ob sacerdotium Aedilitatem statim occipere non poterat, sed de ea re vid. cap. prim. huius libri.

223) Hic absens Aedilis designatus Romam ad magistratum gerendum ex Hispania rediit, ludosque Romanos magno apparatu cum C. Valerio fecit, Liv. XXXI. c. 50 et XXXII. c. 7; Consulatum accepit a. 197, ib. XXXII. c. 27, et Censuram a. 194, ib. XXXIV. c. 44.

224) Tribunus Pl. a. 201, Liv. XXX. c. 40 et 43, in Aedilitate ludos Romanos quater cum T. Sempronio instauravit, ib. XXXII. c. 27, Praetor a. 196, Liv. XXXIII. c. 24, et Consul a. 195, ib. XXXIV. c. 54.

225) Praetor a. 196, Liv. XXXIII. c. 24, Consul a. 194, ib. XXXIV. c. 42, et Decemvir sacrorum.

226) In Aedilitate ludos Romanos in circo scenaque magnificentius quam alias cum Cn. Manlio fecit, totosque ter instauravit, Liv. XXXIII. c. 25; Praeturam adeptus est a. 194, Liv. XXXIV. c. 42, Consulatum a. 191, ib. XXXV. c. 24. Conf. Pigh. Ann. II. p. 254.

227) Praeturam accepit a. 195, Liv. XXXIII. c. 42, Consulatum a. 189, ib. XXXVII. c. 47.

a. u. c.	a. Ch. n.	
557.	196.	M. Fulvius Nobilior [228]),
		C. Flaminius, C. F. [229]).
558.	195.	L. Cornelius Scipio postea Asiaticus [230]),
		M. Valerius Messalla [231]).
559.	194.	C. Atilius Serranus [232]),
		L. Scribonius Libo [233]).

228) De M. Fulvii atque Flaminii Aedilitate Livius XXXIII. c. 42 ita refert: „hi Aediles Curules tritici decies centum millia binis aeris populo diviserunt; id C. Flaminii honoris caussa ipsius patrisque advexerant Siculi Romam: Flaminius gratiam eius communicaverat cum collega. Ludi Romani et adparati magnifice sunt et ter toti instaurati." Pigh. Ann. II. p. 259 denarium „C. Flaminius. C. F. EX. S. C." excitavit. Praeterea M. Fulvius Praetura a. 193 functus est, Liv. XXXIV. c. 54, Consulatu a. 189, ib. XXXVII; ludos, quos voverat Aetolico bello, per decem dies adparatos fecit a. 186, ib. XXXIX. c. 22; Censuram obtinuit a. 179, ib. XL. c. 45.

229) Praetor creatus est a. 195, Liv. XXXIV. c. 54, Consul a. 187, ib. XXXVIII. c. 42.

230) L. Cornelius ludos magnos solito pecuniae sumtu fecit, in quibus autem Aedilibus Curulibus primum Censores imperaverunt, „ut loca Senatoria secernerent a populo: nam antea in promiscuo spectabant", Liv. XXXIV. c. 44. Is Praetor factus est a. 195, ibid. c. 54, Consul a. 190, ib. XXXVI. c. 45, splendidosque ludos, quos bello Antiochi vovisse sese dicebat, ax conlata ad id pecunia ab regibus civitatibusque per dies decem fecit, ib. XXXIX. c. 22, Plin. h. n. XXXIII. c. 10.

231) M. Valerius Praetor creatus est a. 193, Liv. XXXIV. c. 54, Consul a. 188, ib. XXXVIII. c. 55, Decemvir sacrorum a. 172, Liv. XLII. c. 28.

232) C. Atilius in munere Aedilicio „Megalesia, ludos scenicos" cum collega L. Scribonio primus Aedilium Curulium fecit, quos identidam Senatus a populo secretus iam spectavit, Liv. XXXIV. c. 54, cf. Cicer. de har. resp. c. 12 et Ascon. schol. ad orat. pro Cornel. I., Valer. Maxim. II. c. 4. §. 3; tum primum Praetor factus est a. 192, Liv. XXXV. c. 10, iterum Praetor a. 185, ib. XXXIX. c. 23.

233) Praeturam gessit a. 192, Liv. XXXV. c. 10.

a. u. c.	a. Ch. n.	
560.	193.	M. Aemilius Lepidus 234),
		L. Aemilius Paullus 235).
561.	192.	M. Tuccius 236),
		P. Iunius Brutus 237).

---

234) De horum Aemiliorum Aedilitate Curuli insigni Livius narrat XXXV. c. 10: „multos pecuarios damnarunt; ex ea pecunia clipea inaurata in fastigio Iovis aedis posuerunt: porticum unam extra portam Trigeminam, emporio ad Tiberim adiecto, alteram a porta Fontinali ad Martis aram, qua in campum iter esset, perduxerunt"; tum eius mentionem facit XXXIX. c. 56. Deinde M. Aemilius Praetor factus est a. 191, ibid. XXXV. c. 24, primum Consulatum demum post duas repulsas obtinuit a. 187, ib. XXXVIII. c. 42 et XXXIX. c. 56, Pontificatum maximum, ib. XL. c. 42, Censuram a. 179, ibid. c. 45, secundum Consulatum a. 175, tertium Consulatum a. 168. Ceterum sexies a Censoribus Princeps in Senatu dictus est, ex a. 179, Liv. XL. c. 51, XLI. c. 27, XLIII. c. 15, epit. l. XLVI, XLVII et XLVIII, et a. 152 mortuus est, l. c.

235) L. Aemilius modo insigni Aedilitatem C. adeptus est, Plutarch. v. Aem. P. c. 5: „πρώτην γοῦν τῶν ἐπιφανῶν ἀρχῶν ἀγορανομίαν μετελθών, προεκρίθη δέκα δυεῖν ἀνδρῶν συναπογραψαμένων, οὓς ὕστερον ἅπαντας ὑπατεῦσαι λέγουσι". Praeturam gessit a. 191, Liv. XXXV. c. 24, primum Consulatum multo post M. Aemilium, collegam Aedilicium, eumque tamen in hoc honore petendo bis repulsum, accepit a. 182, Liv. XXXIX. c. 56, secundum Consulatum a. 168, ib. XLIV. c. 17, quam Macedonia superata insignem reddidit; mortuus est a. 162, Liv. epit. l. XLVI, cf. Val. Max. V. c. 10. §. 2.

236) M. Tuccius in officio Aedilicio cum collega multa severa iudicia in foeneratores exercuit, et ex damnatorum multa quadrigas inauratas in Capitolio in cella Iovis supra fastigium aediculae posuit, duodecimque clipea inaurata, et porticum extra portam Trigeminam inter lignarios fecit, Liv. XXXV. c. 41; Praetor creatus est a. 190, ib. XXXVI. c. 45.

237) P. Iunius Praetor factus est a. 190, Liv. XXXVI. c. 45.

a. n. c.	a. Ch. n.	
562.	191.	Sp. Postumius Albinus [238]),
		Q. Fabius Pictor [239]).
563.	190.	App. Claudius Pulcher [240]),
		L. Manlius Acidinus Fulvianus [241]).
564.	189.	P. Claudius Pulcher [242]),
		Ser. (P.) Sulpicius Galba [243]).
565.	188.	P. Cornelius Sulla [244]),
		L. Quinctius Crispinus [245]).
566.	187.	P. Cornelius Cethegus [246]),
		A. Postumius Albinus Luscus [247]).

---

238) In Aedilitate Curuli Sp. Albinus C. Furio Cresino diem dixit, qui in parvo admodum agello multo largiores fructus perceperat, quam ex amplissimis vicinitas, itaque veneficiorum adhibitorum accusationi obnoxius fuerat, Plin. hist. n. XVIII. c. 6; postea Praeturam obtinuit a. 189, Liv. XXXVII. c. 47, Consulatum a. 186, ib. XXXIX. c. 6.

239) Praetor factus est a. 190, Liv. XXXVII. c. 47.

240) App. Claudius Praeturam gessit a. 187, Liv. XXXVIII. c. 42, Consulatum a. 185, ib. XXXIX. c. 25.

241) L. Manlius Praetura functus est a. 188, Liv. XXXVIII. c. 55, Consulatu a. 179, Liv. XL. c. 43.

242) In Aedilitate Curuli cum Sulpicio frumentarios ob annonam compressam damnavit P. Claudius, et ex pecunia multaticia duodecim clypea aurata in Capitolio posuit; ludos Romanos ter instauravit, Liv. XXXVIII. c. 55. Sed iam sequenti anno Praeturam (a. 188) accepit Claudius, ibid. c. 55, Consulatum tamen nimia fratris App. Claudii Consulis contentione adeptus est a. 184, Liv. XXXIX. c. 52.

243) De praenomine Publii sive Servii conf. Drakenb. not. ad Liv. XXXVIII. c. 55; Praeturam ille adeptus est a. 187, ibid. c. 42.

244) Praetor factus est a. 186, Liv. XXXIX. c. 6.

245) Praeturam gessit a. 186, Liv. XXXIX. c. 6.

246) ,,In ludis Romanis, quos P. Cornelius Cethegus, A. Postumius Albinus fecerunt, malus in circo instabilis in signum Pollentiae procidit atque id deiecit: ea religione moti Patres

a. u. c.	a. Ch. n.	
567.	186.	P. Cornelius Sisenna [248]),
		Sp. Postumius Albinus Paullulus [249]).
568.	185.	L. Iulius [250]),
		M. Valerius Laevinus [251]).
569.	184.	Q. Fulvius Flaccus [252]),
		M. Ogulnius Gallus [253]).

---

et diem unum adiiciendum ludorum celebritati censuerunt, et signa duo pro uno reponenda et novum auratum faciendum." Liv. XXXIX. c. 7. Tum P. Cornelius primum Praetor factus est a. 185, ib. c. 25, annoque sequenti iterum Praetor, ib. c. 52, Consul autem a. 181, ib. XL. c. 18.

247) A. Postumius Praeturam accepit a. 185, Liv. XXXIX. c. 25, Consulatum a. 180, ib. XL. c. 55, Censuram a. 174, Liv. XLI. c. 27, Plin. h. n. VII. c. 48.

248) In officio Aedilicio Consulum iussu sacerdotes Bachanalium omnes per urbem conquisitos comprehensosque in libero conclavi ad quaestionam conservaverunt P. Cornelius eiusque collega Sp. Postumius, Liv. XXXIX. c. 14 et 16; inde a. 183 ille Praeturam adeptus est, ibid. c. 45.

249) De Aedilitate vid. not. antec.; Praeturam gessit Sp. Postumius a. 185, Liv. XXXIX. c. 45, Consulatum a. 174.

250) Praetor factus est L. Iulius a. 185, Liv. XXXIX. c. 45.

251) M. Valerius in Aedilitate Curuli a privato ad Praetorem in ius est eductus, Gell. n. A. XIII. c. 13 e Varronis rer. humanar. l. XXI; Praeturam nactus est a. 182, Liv. XXXIX. c. 56.

252) Q. Fulvius Aedilitate fungens Praeturam, medio anno morte vacuam petiit, sed contra Consulum Senatusque voluntatem, unde effecit, ut Senatus satis Praetorum esse censeret, Praetorique urbano sortem quoque peregrinam adderet, Liv. XXXIX. c. 39: sed anno elapso iterum Praeturam petiit et adeptus est, ib. c. 56, imperium proconsulare in locum mortui Consulis C. Calpurnii a. 180, ib. XL. c. 37, Pontificatum maximum eod. anno, c. 42, Consulatum demum a. 179, ibid. c. 45, Censuram a. 174, ib. XLI. c. 27 et Pliu. h. n. VII. c. 48; mortuus est a. 172, Liv. XLII. c. 28.

253) Praetor factus est a. 182, Liv. XXXIX. c. 56.

a. u. c.	a. Ch. n.	
570.	183.	A. Manlius Vulso [254]),
		Q. Fabius Maximus [255]).
571.	182.	Ti. Sempronius Grachus [256]),
		A. Hostilius Mancinus [257]).
572.	181.	Cn. Cornelius Scipio Hispallus [258]),
		C. Valerius Laevinus [259]).

254) A. Manlius Praator creatus est a. 181, Consul a. 178, Liv. XL. c. 59.

255) Q. Fabius Praeturam gessit a. 181, Liv. XL. c. 18.

256) Tribunus Pl. a. 187, Liv. XXXVIII. c. 52. Ludos Romanos multo maiora sumtu quam solito facit in Aedilitate Curuli, ita ut Senatus propter affusos sumtus, qui graves non modo Italiae ac sociis Latini nominis, sed atiam provinciis extarnis fuerent, pecunism consumandam dacarnerat, neque unquam maiorem, quam Fulvio Nobiliori post Aetolicum bellum ludos facienti constitutam, Liv. XL. c. 44. Tum Ti. Sampronius Praeturam accepit a. 180, Liv. XL. c. 55, primum Consuletum a. 177, ibid. XLI. c. 8, Cansurem a. 169, Liv. XLIII. c. 14, secundum Consulatum a. 165, Cio. Brut. c. 20.

257) A. Hostilius in Aadilitate Curuli „Mamiliae maretrici diem ed populum dixit, quod de tabuletu eius noctu lapide ictus asset, vulnusque ax eo lapide ostendebet. Mamilia ad Tribunos Pl. provocevit: apud eos dixit comassatorem Mancinum ad aedes suas vanisse; eum sibi fas racipere non fuisse aeda sua, sed cum vi irrumparat, lepidibus depulsum. Tribuni decraverunt Aadilam ex ao loco iure deiectum, qno aum venire cum coronario non dacuisset: proptaraa, na cum populo Aadilis ageret, intercesserunt." Gall. n. Att. IV. c. 14 ex Ataii Capitonis Coniectan. Ceterum Hostilius Praaturam nactus ast a. 180, Liv. XL. c. 55, Consuletum a. 170, ib. XLIII. o. 6.

258) Primum Prastor constitutus est a. 179, Liv. XL. c. 44, iterum Praator e. 177, ib. XLI. c. 8, Consul a. 176, ibid. c. 14, quo magistratu fungans Cumis dacessit, ib. c. 16.

259) Primam Praeturam iem ante Aedilitatem Curulam habuit C. Laavinus a. 185, Liv. XXXIX. c. 45, secundem a. 179, ib. XL. c. 44, tertiem e. 177, ib. XLI. c. 8; Consul suffectus ast a. 176 in locum mortui Cn. Cornelii, ibid. XLI. c. 17.

a. u. c.	a. Ch. n.	
573.	180.	Ti. Claudius Nero [260],
		C. Quinctius Flamininus [261].
574.	179.	Cn. Servilius Caepio [262],
		App. Claudius Centho [263].
575.	178.	L. Papirius Maso [264],
		M. Cornelius Scipio Maluginensis [265].
576.	177.	Q. Fabius Buteo [266],
		[Ser. Cornelius Sulla.]
577.	176.	P. Furius Crassipes [267],
		Numerius Fabius Buteo [268].
578.	175.	L. Canuleius Dives [269],
		C. Licinius Crassus [270].

260) Prima Praetura iam anno ante Aedilitium (a. 181) functus est, Liv. XL. c. 18, secunda a. 178, ibid. c. 56, tertia a. 167, ib. XLV. c. 16.

261) Praetor factus est C. Quinctius a. 177, Liv. XLI. c. 8.

262) Cn. Servilius Aedilis Curulis ludos Romanos propter prodigia, quae evenerant, cum collega Claudio instituit, Liv. XL. c. 59, Iul. Obsequens de prodigiis c. 61; Consul factus est a. 169, Liv. XLIII. c. 11.

263) Praeturam gessit a. 174, Liv. XLI. c. 28.

264) L. Papirius Praetor creatus est a. 176, Liv. XLI. c. 14.

265) Praeturam obtinuit a. 176 Scipio Maluginensis, Liv. XLI. c. 14.

266) Praetura iam quarto anno ante Aedilitatem functus est a. 181, Liv. XL. c. 18.

267) Denarium in eiusdem Aedilitate excusum „P. Fourius. Krassipes. Aed. Cur." memorat Eckhel doct. num. Vet. vol. V. p. 222; tum Furius duas Praeturas coniunctas a. 174—173 obtinuit, Liv. XLI. c. 28.

268) Numerius Fabius Praetor creatus est a. 173, Liv. XLI. c. 28.

269) Qui Praeturam gessit a. 171, Liv. XLII. c. 28.

270) C. Licinius Praeturam adeptus est a. 172, Liv. XLII. c. 9, Consulatum a. 168, ib. XLIV. c. 17.

a. u. c.	a. Ch. n.	
579.	174.	C. Sulpicius Galba [271]), L. Furius Philus [272]).
580.	173.	A. Manlius Torquatus [273]), T. Manlius Torquatus [274]).
581.	172.	C. Sulpicius Gallus [275]), Ser. Cornelius Lentulus [276]).
582.	171.	Cn. Baebius Tamphilus [277]), Cn. Octavius [278]), Cn. F.
583.	170.	Ser. Sulpicius Galba [279]), [C. Postumius Albinus.]

271) C. Sulpicius Praetura functus est a. 171, Liv. XLII. c. 28.

272) Praetor a. 171, Liv. eod. loc.

273) A. Manlius Torquatus Praeturam nactus est a. 167, Liv. XLV. c. 16, Consulatum a. 164.

274) T. Manlius accessit ad Consulatum a. 165.

275) Suetonius in vita P. Terentii poetae scribit Consualibus ludis initium fabularum dandarum auctore C. Sulpicio Gallo, homine docto, factum esse, quod in eiusdem Aedilitate Cur. contigisse admodum verisimile Pighius Ann. II. 343 coniectatur. Ceterum C. Sulpicius Praeturam obtinuit a. 169, Liv. XLIII. c. 11, Consulatum a. 166, Liv. XLV. c. 44 et epit. l. XLVI, Plin. hist. nat. II. c. 12.

276) Praetura functus est Ser. Cornelius a. 169, Liv. XLIII. c. 11.

277) Cn. Baebius Praeturam accepit a. 168, Liv. XLIV. c. 17.

278) Ex Cn. Octavii Aedilitate profert Festus s. voc. Octaviae Porticus: „duae appellantur, quarum alteram theatro Marcelli propiorem Octavia soror Augusti fecit; alteram theatro Pompeii proximam Cn. Octavius Cn. filius, qui fuit Aedilis Curulis, Praetor (a. 168, Liv. XLIII. c. 17), Consul (a. 165, ib. XLV. c. 42, et Cic. de offic. I, 39, Plin. h. n. 34, 6), Decemvir sacris faciendis (Liv. XLIV, 18), triumphavitque de rege Perse navali triumpho: quam combustam reficiendam curavit Caesar Augustus."

279) Tribunus militum a. 168 — 67, Liv. XLV. c. 35 — 39.

a. u. c.	a. Ch. n.	
584.	169.	P. Cornelius Scipio Nasica [280]), P. F., Corculum, P. Cornelius Lentulus [281]).
585.	168.	M. Claudius Marcellus [282]), Cn. Domitius Ahenobarbus [283]).
586.	167.	M. Cornelius Cethegus [284]), (C.) M. Valerius Messalla [285]).
587.	166.	M. Fulvius Nobilior [286]), M' Acilius Glabrio [287]).

---

280) De cuius collegaeque Aedilitatis splendore refert Liv. XLIV. c. 18 his verbis: „Et iam magnificentia crescente notatum est, ludis Circensibus P. Cornelii Scipionis et Lentuli Aed. Cur. sexaginta tres Africanas, et quadraginta ursos et elephantos lusisse." Praeterea Scipio duos Consulatus gessit, alterum a. 162, alterum a. 155, et Censuram a. 159, Cic. Brut. c. 20, de nat. deor. II. c. 4; et Ellendt. not. ad Br.

281) Consul suffectus est in loc. P. Cornelii, magistratu se abdicantis, a. 162, Cic. Brut. c. 28 et Ellendt. not. ad h. l.

282) Vid. Aediles Pl. s. a. 173 a. Ch.

283) De Domitii Ahenobarbi denariis Aedilitiis certiores nos facit Pigh. Ann. II. p. 381; idem Consul suffectus est in locum C. Marcii Figuli a. 162.

284) M. Cornelius Cethegus Consulatu functus est a. 160, Liv. epit. l. XLVI.

285) M. Valerius Consul creatus est a. 161.

286) Tribunus Pl. a. 171, Liv. XLII. c. 52, Consulatum adeptus est a. 159.

287) M' Acilii Fulviique Nobilioris Aedilitatis mentio fit in antiquo titulo Terentianae Andriae: „Acta ludis Megalensibus M. Fulvio et M' Glabrione Aedilibus Curulibus, edita M. Marcello Cn. Sulpicio Coss." Conf. Terentii vita, quae vulgo Suetonio adscribitur, in init., et ex ead. Euseb. in Chron., ut Pighius monet.

a. n. c.	a. Ch. n.	
588.	165.	Sex. Iulius Caesar [288], Cn. Cornelius Dolabella [289].
589.	164.	M. Antonius [290], M. Pomponius Matho [291].
590.	163.	L. Cornelius Lentulus Lupus [292], L. Valerius Flaccus [293].
591.	162.	L. Cornelius Scipio Asiaticus [294], [L. Manlius Acidinus.]
592.	161.	L. Postumius Albinus, L. F., L. Cornelius Merula. [295]

288) Sex. Iulii Caesaris munus Aedilicium memoratur in titulo Terentianae Hecyrae: „Acta ludis Megalensibus Sex. Iulio Caesare Cn. Cornelio Dolabella Aedil. Curulibus: non est peracta." Caesaris autem annus Consularis est 157 a. Ch.

289) De Dolabellae Aedilitate vid. not. anteced.; Consulatum gessit ille a. 159.

290) Tribunatum Pl. accepit Antonius a. 168, Liv. XLV. c. 21.

291) Pomponius Matho Tribunus Pl. factus est a. 168, Liv. eod. loc.

292) Lentuli Flaccique Aedilitas laudatur in titulo Terentianae comoediae, Heautontimoroumenos dictae: „Acta ludis Megalensibus L. Cornelio Lentulo L. Valerio Flacco Aedilibus Curulibus." Praeterea Lentuli Consulatum ex a. 156 novimus, Censuram ex a. 147, Val. Max. VI, 9. §. 10.

293) Anno undecimo post Aedilitatem (a. 151) Consulatum demum nactus est L. Valerius.

294) L. Scipio Quaesturam habuit a. 167, Liv. XLV. c. 44.

295) Postumii Albini ac Cornelii Merulae Aedilitas tum Terentii Eunuchi, quam comoediam ludis Megalensibus actam curaverunt, tum eiusdem poetae Phormionis, in ludis Romanis actae, titulis antiquis eximie celebratur. Praeterea huius Postumii muneris denarium Pigh. Ann. II. p. 410 excitavit; ad Consulatum ascendit Postumius a. 154.

a. u. c.	a. Ch. n.	
593.	160.	Q. Fulvius Nobilior, M. F. [296],
		L. Marcius Censorinus [297].
594.	159.	P. Licinius Murena [298],
		[Q. Marcius Rex.]
595.	158.	A. Postumius Albinus [299],
		[Ti. Veturius Philo.]
596.	157.	T. Quinctius Flamininus [300],
		Sp. Postumius Albinus Magnus [301].
597.	156.	L. Mummius, postea Achaicus [302],
		[L. Atilius Regulus.]

296) Fulvii collegaeque Marcii Aedilitatem ex Terentianae Hecyrae, ab iis tertium relatae, titulo cognovimus. Praeturam adeptus est Fulvius a. 156, Consulatum a. 155, Cic. Brut. c. 20.

297) L. Marcius Consul factus est a. 149, Liv. epit. l. XLIX, Cic. Brut. c. 16 et 27, Acad. Quaest. II. c. 32.

298) Licinius Murena Praeturam gessit a. 156, Cic. pr. Mur. c. 7.

299) A. Postumius Albinus Praeturam nactus est a. 155, Consulatum a. 151, Liv. epit. l. XLVIII, Cicer. Brutus c. 22 et Ellendt ad h. loc., eiusd. Acad. Quaest. IV. c. 45. De huius historiis graece conscriptis vid. Gell. XI. c. 8, Macrob. Saturnal. praef. et Voss. de hist. Graec. I. p. 104.

300) T. Flamininus Praetor factus est a. 154, Consul a. 150, Cic. ad Attic. XII. ep. 5 et Cat. Mai. s. de Senect. c. 5.

301) Sp. Postumius Praeturam adeptus est a. 153, Consulatum a. 148, Cic. Brut. c. 34.

302) L. Mummius Praetor fuit a. 150, Consul factus a. 146, quo magistratu bellum in Achaia Corintho capta ac diruta confecit, Liv. epit. l. LII, Vell. Paterc. I. c. 13, Cic. Verr. II. l. 1. c. 20, eiusd. ad Attic. XIII. ep. 6, 30, 32, 33. Censuram adeptus est a. 145, Plin. hist. n. XXXIII. c. 3, et Cic. Brut. c. 22, de offic. 2. c. 22. De eius eloquentia Cic. Brut. c. 25.

a. u. c.	a. Ch. n.	
598.	155.	M. Porcius Cato, M. F. 303),
		[C. Sempronius Rutilus.]
599.	154.	Ser. Sulpicius Galba 304),
		Cn. Cornelius Lentulus 305).
600.	153.	C. Sempronius Tuditanus, C. F. 306),
		[Q. Aelius Paetus.]
601.	152.	Q. Fabius Maximus Aemilianus 307),
		[Q. Fabius Pictor.]
602.	151.	Q. Caecilius Metellus, postea Macedonicus 308),
		L. Aurelius Cotta 309).

---

303) M. Porcius, Catonis Censorii filius optimae indolis, magistratus modo pervasit usque ad Praeturam, quam nactus est a. 153. In hoc magistratu, patre adhuc vivo, mortuus est, sed tenuissimi sumtus funere secundum patris morem sepultus est, Liv. epit. l. XLVIII, Cic. de offic. I. c. 11, ad Fam. IV. ep. 6.

304) De Ser. Sulpicio Galba notum erat, eum quemque magistratuum gradum ex legibus annalibus suo anno esse adeptum: annus tamen Praetorius a. 150 non satis certus constat, ut Ellendt. prolegom. ad Brut. p. 51 — 52 iustissime monuit; inde Hispaniam rexit a. 149, Cic. de Orat. I. c. 55. Consulatu functus est a. 144, Appian. VI. c. 58 et Cic. de Orat. II. c. 56; de eius eloquentia Cic. Brut. c. 21 — 24, 55 et 86.

305) Cn. Lentulus Consul factus est a. 146, Cic. ad Attic. III. ep. 53.

306) Hic C. Tuditanus fuit C. Tuditani Consulis a. 129 pater, Hortensiique oratoris proavus. Legatus post Corinthum captam in Achaiam ad provinciam ordinandam missus est, Cic. ad Attic. XIII. ep. 6.

307) Q. Aemilianus Consulatum adeptus est a. 145, vid. Vell. Paterc. II. c. 10 et interpr. ad h. loc.

308) Q. Metellus Macedonicus Praetor factus est a. 146, Consul a. 143, Censor a. 129, Liv. epit. l. LIX, Plin. h. n. VII. c. 44, ubi de eius honoribus amplius scriptum est, Vell. Paterc. I. c. 11, Aur. Vict. de vir. ill. c. 61, Cic. pr. Muren. c. 4, Valer. Max. VII. c. 1. §. 1. De eius eloquentia Cic. Brut. c. 21.

a. u. c.	a. Ch. n.	
603.	150.	Cn. Servilius Caepio, C. F. [310]),
		Q. Servilius Caepio, C. F. [311]).
604.	149.	App. Claudius Pulcher [312]),
		Ser. Fabius Pictor [313]).
605.	148.	Q. Fabius Maximus Servilianus [314]),
		[M. Pinarius Posca.]
606.	147.	Sp. Mummius [315]),
		Q. Pompeius Rufus, A. F., (Nepos sive Aulus?) [315]).

---

309) Aurelius Cotta Tribunatum Pl. adeptus est a. 154, Valer. Max. VI. c. 5. §. 4, Praeturam a. 147, Consulatum a. 144, Liv. epit. l. LII, Cic. Brut. c. 21, et div. in Caecil. c. 21; Hispaniam rexit a. 142 pro Consule, Appian. VI. c. 76.

310) Cn. Servilius Consul factus est a. 141, Censor a. 125, Cic. in Verr. II. l. I. c. 53.

311) Q. Servilius Consulatum nactus est a. 140, quem rebus in Hispania bene gestis ac Viriathi morte famosum reddidit, Appian. VI. c. 70, Vell. Paterc. II. c. 1, Cic. Brut. c. 43.

312) App. Claudius Praetor fuit a. 146, Consul a. 143 de Salassis triumphavit, Liv. epit. l. LIII, Cic. Brut. c. 28.

313) Ser. Fabius „Iuris et litterarum et antiquitatis bene peritus" laudatur apud Cic. Brut. c. 21, Voss. de hist. lat. I. c. 5.

314) Q. Servilianus Praetor creatus est a. 145, Consul a. 142, Appian. VI. c. 67 seq.

315) Sp. Mummius orator mediocris a Cicerone Brut. c. 25 dictus, Legatus fratrem L. in Achaiam comitatus, et inter decem Legatos ad provinciam Achaiam ordinandam, ut Cicero censet, receptus est, Cic. ad Attic. XIII. ep. 5. Idem Propraetor bellum contra Lusitanos duxit, Appian. VI. c. 56—57.

316) Q. Pompeius, de cuius cognomine vid. Ellendt. ad Cic. Brut. c. 25, Quaestor fuit a. 155, Tribunus Pl. a. 150, Praetor a. 144, pro Praetore Hispaniam rexit, Consul a. 141, Appian. VI. c. 68, 76—79, Liv. epit. l. LIX, Censor a. 130, Cic. pr. Muren. c. 7, Verr. II. l. 5. c. 70, Brut. c. 76. Hic

a. u. c.	a. Ch. n.	
607.	146.	M. Popillius Laenas [317],
		[A. Licinius Nerva.]
608.	145.	M. Aemilius Lepidus, M. F., Porcina [318],
		[P. Cornelius Scipio Nasica Serapio] [319].
609.	144.	Sex. Atilius Serranus, M. F. [320],
		C. Hostilius Mancinus, A. F. [321].

---

homo novus, cuiusdam tibicinis filius, Plutarch. Apophthegm., primus Pompeiorum summos honores assequutus est, Vell. Paterc. II. c. 1 et Cic. Brut. c. 25. — In eodem anno simul cum Pompeio ac Mummio P. Cornelius Scipio Aemilianus Aedilitatem Cur. petiturus erat, quum plebeia fungeretur Laelius, sed ipse statim lege annali Villia solutus, repugnantibus aliquamdiu Patribus, quoniam per annos Consulem eum fieri non licebat, a populo Consul creatus est, Liv. epit. l. 50. Quinto anno post Scipio iam Censor factus a. 142, Val. Max. IV. c. 1. §. 10, iterum Consul a. 154, Appian. VI. c. 84, Cic. Brut. c. 22 seq., mortuus sive domi interfectus est a. 129, Cic. pr. Milon. c. 7, Vell. Paterc. II. c. 4, Valer. Max. IV, 3. §. 15, Aur. Vict. de vir. ill. c. 58. Cf. Pigh. II. p. 454.

317) M. Popillius Consul factus est a. 159, Appian. VI. c. 79.

318) M. Porcina Consulatum adeptus est a. 137, Appian. VI. c. 80, Cic. Brut. c. 25, 27 et 86, de Orat. I. c. 10.

319) Hunc Scipionem a Pighio Ann. II. p. 463 inter Aediles Cur. h. ann. enumeratum, plane e horum ordine tollendum censeo, quia Cic. pr. Planc. c. 21 et Valer. Max. VII. c. 5. §. 2. manifeste eum in Aedilitate Curuli petenda repulsam tulisse produnt. Ceterum is Consul creatus a. 158, Liv. epit. l. LV, et Cic. Brut. c. 22; Pergamique mortuus est, Cic. pr. Flacc. c. 31.

320) Sex. Atilium Aedilibus Pl. falso, ut mihi videtur, adsociat Pigh. Ann. II. p. 463, quod ex ipsius annotatione colligi potest; is enim nummos excitat, qui ab his in memoriam annonae frumentariae, urbi largiter procuratae, cusi, Cereris deae caput spicis coronatum in una parte, in altera duos togatos in sellis sedentes iuxta modium et spicas repraesentant, ubi nomina sic circumscripta sunt: „Sex. Atil. M. F. Serran. C. Mancin. A. F." Hae autem sellae non dubie Curulis digni-

a. u. c.	a. Ch. n.	
610.	143.	P. (L.) Furius Philus [322], [L. Cornelius Lentulus.]
611.	142.	[C. Cornelius Scipio Hispallus,] [Ser. Sulpicius Paterculus.]
612.	141.	M. (App.) Claudius Pulcher [323], [L. Cornelius Sulla.]
613.	140.	P. Licinius Crassus, P. Muciani F., Mucianus Dives [324], P. Popillius Laenas [325].
614.	139.	L. (C.) Valerius Flaccus Flamen Martialis [326], [L. Cornelius Sisenna.]

tatem significant. — Serranus Consulatum nactus est a. 136, Cic. de offic. III. c. 30, et ad Attic. XII. ep. 5.

321) De Mancini Aedilitate vid. not. antecedentem. Praetor fuit Hostilius a. 140, Consul a. 137, quem autem magistratum illa infelici clade a Numantinis accepta famosum reliquit, Liv. epit. l. LV, Appian. VI. c. 79—80 et c. 83.

322) Furii praenomen Publii pro Lucio, qui in quibusdam locis Ciceronianis e bonis codicibus nobis obviam se tulit, ex Fastis Capitolinis servavi. Consulatum adeptus est a. 136, Valer. Max. III. c. 7. §. 5, Cic. de offic. III. c. 54.

323) M. Claudius Consulatum habuit a. 130, Fast. Capit.

324) De P. Crassi Aedilitate petenda refert Cic. de Orat. I. c. 56; Consul factus est a. 131, et quamvis Pontifex Maximus extra Italiam adversus Aristonicum profectus, proelio victus et occisus est, Liv. epit. l. LIX, Cic. Philipp. XI. c. 8; Vell. Paterc. II. c. 4, Valer. Max. VIII. c. 7. §. 6. De eius eloquentia Cic. Brut. c. 26.

325) P. Laenas Praetor fuit a. 136, Consul factus a. 132, Cic. ad Attic. XIII. ep. 32, in Verr. II. l. 4. c. 50.

326) L. Flaccus Consulatum adeptus est a. 131, Cic. Philipp. XI. c. 8.

a. u. c.	a. Ch. n.	
615.	138.	C. Sempronius, C. F., Tuditanus 327),
		C. Atilius, M. F., Serranus 328).
616.	137.	[C. Claudius Pulcher,]
		[C. Claudius Centho.]
617.	136.	Cn. Octavius, Cn. F. 329),
		[Ti. Claudius Asellus.]
618.	135.	L. Cornelius Cinna 330),
		[P. Furius Philus.]
619.	134.	M. Aemilius Lepidus, M. F. 331),
		[C. Iulius Caesar.]
620.	133.	Q. Lucretius Flavus, postea Vespillo 332),
		Cn. Cornelius Sisenna 333).

327) C. Sempronium Tuditanum magistratus Curules annis legitimis perfacile cepisse memorat Cic. ad Attic. XIII. ep. 30. Quaestor fuit a. 145, Tribunus Pl. a. 140, Praetor a. 132, Cic. l. c. ep. 30 et 32, Consul a. 129, Liv. epit. l. LIX. De eius eloquentia Cic. Brut. c. 25.

328) C. Serranus annonam in Aedilitate largiter procuravit, ut patet e denariis ab eo ad hanc celebrandam, ut Pighio Ann. II. p. 495 videtur, cusis. Hi habent in parte adversa Genium populi Romani, sceptro coronaque laurea decorum, in parte reversa modum frumentarium, ex quo quatuor spicae dependent, totius anni frumenta provisa significantes, cum hac inscriptione: „C. Atil. M. F. Serran. Ex. S. C."

329) Cn. Octavius Praetor factus est a. 151, Consul a. 128.

330) L. Cinna Consulatum obtinuit a. 127, Fast. Capit.

331) M. Aemilius Praeturam adeptus est a. 130, Consulatum a. 126, Cic. Brut. c. 28.

332) Q. Lucretius in hoc Aedilitatis munere manu sua Tiberii Grachi corpus in Tiberim misit, unde suae genti Vespillonis cognomen addidit, Aurel. Vict. de vir. ill. c. 64 s. vit. Tib. Grach. Conf. Ellendt. ad Brut. c. 48, ubi de alio Q. Lucretio Vespillone, iuris perito laudabili, quinquaginta autem annis minore, agitur.

333) Cornelii Sisennae denarios Aedilicios protulit Pigh. Ann. III. c. 5, eique annotatione arguta assignavit.

a. u. c.	a. Ch. n.	
621.	132.	M. Plautius Hypsaeus, L. F. 334), C. Cassius Longinus 335).
622.	131.	Q. Caecilius Metellus, Q. Macedonici F., postea Balearicus appellatus 336), C. Sextius Calvinus 337).
623.	130.	Cn. Domitius Ahenobarbus, Cn. F. 338), C. Fannius Strabo, C. F. 339).

334) Ex huius Aedilitate identidem denarios cum inscriptione „M. Plauti. L. F. Hupsaeus. Aed. Cur." Pighius attulit, Ann. III. p. 10. Consulatum adeptus est Plautius a. 124, Valer. Max. IV. c. 6. §. 5.

335) Cassius Longinus Consulatum gessit a. 125, Fast. Capit.

336) De Metello Balearico Pigh. Annal. III. p. 15 nummum praebet, quem valde probabiliter ab eiusdem filio in huius Aedilitatem excusum esse coniicit; Consulatum is adeptus est a. 123, Liv. epit. l. LX, et Cicer. Brut. c. 74, Appian. VI, 76.

337) C. Calvinus Praetor fuit a. 127, Consul a. 124, Liv. epit. LXI.

338) Huic Domitio Ahenobarbo denarios eleganter cusos adscribendos esse censet Pigh. Ann. III. p. 19, in quibus Iovis caput laureatum eiusque mensa sacra cum fulmine trisulco aspiciuntur, addita inscriptione: „Cn. Domit. Cn. F. Ahenobarb. E. S. C." Qui denarii sine dubio e pecunia ad ludorum Romanorum impendia decreta facti sunt. Ceterum Domitius Praetor factus est a. 125, primum Consul a. 122, Liv. epit. l. LXI, Cic. Brut. c. 26, Censor a. 118, Liv. epit. l. LXII, Cic. Verr. II. l. 1. c. 55, pr. Cluent. c. 42, Pontifex maximus populi suffragio creatus, Liv. epit. l. LVII, iterum Consul a. 96 Allobroges vicit, Cic. pr. Fonteio c. 12.

339) C. Strabo Tribunatum Pl. nactus est c. a. 136, Cic. Brut. c. 26, Praeturam a. 125, Consulatum a. 122, Cic. de Orat. III. c. 47, Brut. c. 26 et Ellendt. ad h. loc.

a. u. c.	a. Ch. n.	
624.	129.	Q. Fabius Maximus, Q. F., Aemilianus, postea Allobrogicus [340]),
		T. Quinctius Flamininus, T. F. [341]).
625.	128.	L. Opimius Nepos [342]),
		P. Manilius [343]).
626.	127.	C. Papirius Carbo [344]), C. F.,
		[L. Iulius Caesar.]

---

340) Fabius Allobrogicus Consul factus a. 121, Allobroges Arvernosque proelio apud flumen Isaram commisso vicit, Liv. epit. l. LXI, Vell. Paterc. II. c. 10, Plin. VII. c. 50 et XXXIII. c. 11, Strabo IV. c. 1 in fin.; Censor c. a. 119, in quo munere fornicem Fabianum, arcum notissimum iuxta regiam in via sacra, exstruxit, Cic. in Verr. I. c. 7 et Ascon. schol. ad h. l., pr. Planc. c. 7, de Orat. II. c. 66.

341) In Titi Flaminini Fabiique Aedilitatis ludis scenicis Orestem, novam Pacuvii tragoediam, magno cum spectatorum applausu actam esse, probabiliter coniecit Pigh. Ann. s. h. a. e Cic. de amicit. c. 1, quia hic dialogus statim post Scipionis Africani minoris mortem, itaque a. 129 habitus esse fingitur, et in eodem de illa tragoedia nuperrime acta sermo fit. Ceterum Flamininus Consul factus est a. 123, Cic. Brut. c. 28 et 74, et Wetzelii annot. ad h. loc.

342) L. Opimius Praetor a. 124 rem contra Fregellanos seditiosos gessit, Cic. de invent. II. c. 34, Liv. epit. l. LX, Consul a. 121, Val. Max. II. c. 8. §. 8, Vell. Paterc. II. c. 6, Liv. epit. l. LXI, cui in tumultu Grachano respublica salvanda permissa est, Cic. Catil. I. c. 2, tamenque post Consulatum depositum reus factus ad populum a P. Decio Tribuno Pl., defensusque est a Consule C. Papirio Carbone, Cic. de Orat. II. c. 25, sed lege Mamilia Grachanorum iudicum damnationem effugere non potuit, Cic. pr. Planc. c. 28—29, et Brut. c. 34.

343) Manilius Consulatum adeptus est a. 120, Cic. Brut. c. 27.

344) De hoc viro bene disseruit Ellendt. in prolegom. ad Brut. p. 55—57, ita ut nihil amplius hic addamus, quam simplicem magistratuum annorum ordinem; Quaesturam gessit a. 135, Tribunatum Pl. a. 131, Cic. de Orat. II. c. 25 et de

a. u. c.	a. Ch. n.	
627.	126.	Sex. Iulius Caesar [344 a]),
		[M. Aebutius Elna.]
628.	125.	Q. Fabius Maximus, Q. F., Servilianus Eburnus [345]),
		[L. Furius Philus.]
629.	124.	Q. Mucius Scaevola Augur, Q. F. [346]),
		L. Caecilius Metellus Diadematus, Q. F. [347]).
630.	123.	Q. Minucius Rufus [348]),
		M' Acilius Balbus [349]).

---

amicit. c. 25, Praeturam a. 124, Consulatum a. 120, Cic. de Orat. II. c. 59—40 et Brutus c. 25 et 27, post quem depositum ob Graechi seditionem accusatus, mortem voluntariam cantharidis assumtis quaesivit, Cic. ad Fam. IX. ep. 21. Reliquorum testimoniorum copiam vid. apud Ellendt. loc. cit.

344 a) Sex. Caesar Praeturam adeptus est a. 125, Cic. pr. dom. c. 53.

345) De huius Fabii Maximi denario copiose tractavit Pighius Ann. III. p. 45, demonstravitque cur iste nummus ad hanc Aedilitatem afferri deberet. Consulatum obtinuit Fabius a. 116, Censuram c. a. 113, quam etiam adversus filium dubiae castitatis suspiciosum severe exercuit, Valer. Max. VI. c. 1. §. 5.

346) Q. Scaevola Augur Tribunus Pl. fuit a. 128, Praetor a. 122, Consul a. 117, Cic. Brut. c. 26 et 89, de amicit. c. 1 seq., quo dialogo, ut notissimum est, ipse quandam colloquentium personam egit, id. pr. Balb. c. 20, Philipp. VIII. c. 10, et Valer. Max. IV. c. 1. §. 11, Vell. Paterc. II. c. 2.

347) Metellus Diadematus Consulatu functus est a. 117, Cic. orat. ad Quirit. c. 5 et post red. in Senat. c. 15; Censura c. a. 115, Vell. Paterc. II. c. 8.

348) Minucius Praetor factus est a. 113, Consul a. 110, de Scordiscis triumphum egit a. 109, post quem clarissimas ex suo nomine nuncupatas porticus aedificavit, Vell. Paterc. II. c. 8, et Flor. III. c. 4, Liv. epit. l. LXV.

349) M' Balbus Consulatum adeptus est a. 114, Fast. Cap.

a. n. c. a. Ch. n.
631. 122. M. Aemilius Scaurus [350]), M. F.,
M. Cornelius Cethegus [351]).
632. 121. Cn. Papirius Carbo, C. F. [352]),
M. Iunius Silanus, L. F. [353]).

---

350) Scauri vitam politicam accuratius descripsit Ellendt. prolegomen. ad Brut. p. 46—50, Brossii libello singulari de hoc viro praeeunte (Mémoir. de l'Acad. d. Inscr. XXIV. p. 255 seq.). Scaurus Quaestor fuit a. 126, Aedilitatem nactus est a. 122, de qua Aurel. Vict. de vir. illustr. c. 72 memorat, eum cum tenui re a sumtibus faciendis cohiberetur, acriter gesta urbis cura et assidue dicendo iure non minus meruisse populi benivolentiam, quam ludorum magnificentia potuisset. Creatus est Praetor a. 119, in prima Consulatus petitiona a Quinto Maximo victus est, Cic. pr. Muren. c. 17, Consul a. 115, Princeps Senatus c. a. 115, Ascon. schol. ad fragm. Cic. orat. pr. Scaur. in fin.; deinde Censuram accepit a. 110, eamque pontibus et viis minuendis sive contrahendis publicisque operibus struendis utilem gessit, Strabo V. c. 8, et Ammian. Marcell. XXVII. c. 5. Iterum Consul suffectus est a. 107 L. Cassio a Tigurinis occiso, Cic. Brut. c. 29—30, denique rei frumentariae procnrandae praefectus c. a. 105, Cic. de harusp. resp. c. 20. — Conf. adhuc Pigh. Ann. III. p. 57 seq., 127 seq.

351) M. Cethegus Praeturam gessisse videtur c. a. 118.

352) Cn. Papirii M. Iuniique nummos communes profert Pigh. Annal. III. p. 70, qui hos Aediles ex S. C. annonam Romae largiter procurasse manifeste ostendunt: in his illorum nomina ita scripta sunt: „Cn. Carbo. C. F. M. Silan. L. F. Ex. S. C." Praeterea Papirii Consulatum ex a. 115 novimus, in quo autem a Cimbris ingenti proelio fusus est, Liv. epit. l. LXIII, Vell. Paterc. II. c. 12.

353) M. Silanus Praeturam adeptus est a. 112, Consulatum a. 109, quo adversus Cimbros adhuc Carbone infelicius pugnavit, Liv. epit. l. LXV, Vell. Paterc. II. c. 12, Cic. fragm. orat. pr. Cornel. I, in Verr. II. l. 2. c. 47, Brut. c. 35.

a. u. c.	a. Ch. n.	
633.	120.	Cn. Manlius Maximus [354]), C. Caecilius Metellus Caprarius [355]), Q. Mac. F.
634.	119.	P. Cornelius Scipio Nasica [356]), P. F., [Q. Aemilius Lepidus.]
635.	118.	Sp. Postumius Albinus [357]), C. Servilius Vatia, M. F. [358]).
636.	117.	Q. Caecilius Metellus, L. F., postea Numidicus [359]), M. Porcius Cato Sallonianus, M. Catonis Censorii F. [360]).

354) Cn. Manlii et C. Metelli denarios in communi Aedilitate excusos praebet Pigh. Ann. III. p. 75. Ceterum Manlius „vir non solum ignobilis, verum sine virtute, sine ingenio, vita etiam contemta ac sordida" dictus est a Cicerone pr. Planc. c. 5, tamenque in Consulatu petendo Q. Lutatium Catulum superavit a. 105, ibid. et pr. Muren. c. 17. In Consulatu identidem a Cimbris proelio fusus castrisque exutus est, Liv. epit. l. LXVII.

355) C. Metellus Caprarius Praetor fuit a. 116, Consul a. 115, Cic. post red. in Sen. c. 15, Censor a. 103, Cic. ad Quirit. c. 5.

356) P. Cornelius Nasica Praeturam adeptus est a. 114, Consulatum gessit a. 111, in quo munere mortem obiit, Cic. Brut. c. 34, de offic. I. c. 50.

357) Sp. Albinus Consul factus a. 110, sed non multo postea lege Mamilia a iudicibus Grachanis damnatus oppressusque est, Cic. Brut. c. 34 et 35.

358) C. Servilius Vatia Praeturam nactus est a. 115, quam autem ita gessit, ut Quaestor suus eum in iudicium vocare vellet, neque tamen huius rei veniam a Senatu impetrare posset, Cic. divin. in Caec. c. 19.

359) De Metello Numidico prae ceteris consulas Ellendtii prolegom. ad Brut. p. 57—60. Ille Quaestor fuit a. 130, Tribunus Pl. a. 119, Praetor a. 113, Consul a. 109; hunc que honorem duabus victoriis de Iugurtha reportatis tam insignem reddidit, ut novum cognomen Numidici genti suae adderet, Liv. epit. l. LXV,

a. n. c.	a. Ch. n.	
637.	116.	Ser. Sulpicius Galba [361]),
		[L. Cornelius Merula.]
638.	115.	P. Rutilius Rufus, Sp. F. [362]),
		L. Fufidius [363]).
639.	114.	Q. Servilius Caepio, Q. F. [364]),
		C. Sulpicius Galba, Ser. F. [365]).

Cic. Brut. c. 55, fragm. orat. pr. Cornel. I. Summum ultimumque gradum Censurae ascendit a. 102, Cic. ad Quirit. c. 5, in Senat. p. red. c. 15, Vell. Paterc. II. c. 11, Val. Max. IX. c. 7. §. 2, sed Tribunorum Pl. damnationem omnino effugere non potuit, Cic. pr. Cluent. c. 55.

360) Hic M. Porcius Cato Sallonianus fuit Catonis Uticensis avus, et Tribunatum Pl. c. a. 120 obtinuit. Huius filius aequali praenomine ornatus iam in Praetura petenda c. a. 90 mortuus est, Gell. noct. Att. XIII. c. 19, et Plutarch. vit. Cat. min. c. 1.

361) Sulpicius Galba Consulatum adeptus est a. 108, Appian. h. R. VI. c. 99, Cic. pr. Rabir. c. 7.

362) Rutilii magistratus diligentissime adnotavit Ellendt. in prolegom. ad Brut. p. 50—55. Quaesturam gessit a. 120, sed Tribunatum Pl. omnino non habuit, quod adversus Ellendtii opinionem, huic muneri annum 639 u. c. (114 a. Ch.) adsignantem, moneo, quia Cicero ipse pr. Planc. c. 21 diserte meminit, eum nunquam Tribunum Pl. esse factum. Praetor factus est a. 110, in Consulatu primum petendo repulsam tulit a. 107, Cic. Brut. c. 30, sed secundo anno post hunc honorem assecutus est, Cic. pr. Planc. c. 21 et pr. Rabir. c. 7. In Senectute damnatus, exul in Asiam migravit, Smyrnaeque vitam degit, Valer. Max. II. c. 10. §. 5 et VI. c. 4. §. 4, Liv. epit. l. LXX, Dio Cass. fragm. ex libr. prior. nr. 106—7, Flor. III. c. 17.

363) L. Fufidius in aliquo patronorum numero recensetur a Cicerone Brut. c. 29. Ad eum M. Aemilius Scaurus tres libros de vita sua scripsit, ibid.

364) Q. Caepio Praeturam gessit a. 110, Consulatum a. 106, Cic. Brut. c. 35; in hoc magistratu legem a se nominatam tulit, qua iudicia lege Sempronia ante septemdecim annos a Se-

a. u. c.	a. Ch. n.	
640.	113.	A. Manlius Torquatus [366]),
		[C. Cornelius Cethegus.]
641.	112.	Q. Lutatius Catulus, Q. F. [367]),
		[C. Licinius Sacerdos.]
642.	111.	App. Claudius Pulcher, C. F. [368]),
		C. Annius Bellienus [369]).

natu ad equites translata cum utroque ordine communicavit, Cic. Brut. c. 45, annoque sequenti Proconsul magna pugna a Cimbris victus castrisque exutus est, cuius cladis poenam damnatus bonis publicetis solvere debuit, primus post regem Tarquinium. Postremo exul Smyrnae vixit, Cic. pr. Balb. c. 11.

365) C. Galba orator eximius ante summos honores acceptos rogatione Memilie, Iugurthinee coniurationis invidia, cum pro sese ipse dixisset, oppressus est, Cio. Brut. c. 33, 34 et 26, primusque e secerdotum collegio demnatus est iudicio publico.

366) Cum hoc A. Torquato C. Marius, Tribunatu iam a. 119 gesto, Aedilitatem petiturus erat, sed duplicem utriusque Aedilitatis repulsam uno die tulit, ut Plutarchus vit. Mar. c. 5 et Cic. pr. Planc. c. 21 referunt, quod nullus entea passus est. Sed fere eandem fortunam in Praetura petenda expertus est, qui tamen posthac septies Consulatum gessit, de quibus conf. Liv. epit. l. LXVI—LXVIII, Appian. de bell. civ. I. pl. loc.

367) De Q. Catulo quoque adeas Ellendt. proleg. ad Brut. p. 55—57, qui iustissime iam monuit, eius magistratuum ennos usque ad Consulatum non constare, quem bis repulsis a C. Atilio Serreno et Cn. Manlio acceptis demum a. 102 obtinuit, Cic. pr. Muren. c. 17. Imperium Proconsulare ann. sequentis summo honore ex Cimbrorum clade comparato adornavit, Liv. epit. l. LXVIII, Vell. Paterc. II. c. 12. Denique in bello civili primo voluntarie morte se hostium ludibrio exemit a. 87, Flor. III. c. 21, Vell. Paterc. II. c. 22, Appian. de bell. c. I. c. 74.

368) Hunc Appium omnino ne cum Appio Claudio maiore, fratre App. Claudii minoris, P. Clodii quidem turbulenti patre, apud Ciceronem de Orat. II. c. 60 dicacis notam prae se ferenti permutes, caveas.

369) Bellienus homo per se magnus a Cicerone Brut. c. 47

a. u. c.	a. Ch. n.	
643.	110.	L. Aurelius Orestes [370]),
		[M. Sergius Silus.]
644.	109.	M. Licinius Crassus [371]),
		[Ser. Fulvius Flaccus.]
645.	108.	L. Valerius Flaccus [372]),
		L. Veturius Philo [373]).
646.	107.	A. Postumius Albinus [374]),
		[C. Papirius Maso.] [375])
647.	106.	P. Licinius Crassus, M. F., P. N. [376]),
		Q. Caecilius Metellus Nepos, Q. Bal. F. [377]).

---

nuncupatur, „qui Consul factus esset, nisi in Marianos Consulatus et in eas petitionis angustias incidisset".

370) Orestes Consul factus est a. 103, in quo munere mortem obiit, Plutarch. v. Mar. c. 14.

371) Hic M. Crassus avus fuit Crassi Triumviri, et P. Crassi Aed. Cur. a. 106 pater; Praeturam adeptus est a. 105, Cic. de Orat. I. c. 56, vir, qui τοῦ ἀγελάστου cognomen ab hominibus, eum nunquam ridere videntibus, recepit, Cic. de fin. bon. et mal. V. c. 30 et Plin. h. n. VII, 19.

372) L. Flaccus Praetor factus a. 103, Consulatum a. 100 gessit cum Mario sexies Consule, armaque contra Saturninum capere coactus est, Cic. Brut. c. 62, pr. Planc. c. 36, Appian. de bell. c. I. c. 54; Censuram gessit a. 96, Valer. Max. II. c. 9. §. 5.

373) L. Veturius Quaestor fuit Praetoris C. Servilii Vatiae a. 115, quem in iudicium vocare voluit, vid. not. 358.

374) A. Albinus Praetor factus est a. 102, Consul a. 99, Cic. Brut. c. 35 et post red. ad Quir. c. 5, Plin. h. n. VIII. c. 7.

375) An C. Maso idem habendus est, qui apud Ciceronem pr. Balb. c. 23 invenitur.

376) P. Crassus, M. Crassi Triumviri pater, Aedilitatem cum maximo splendore gessit, Cic. de offic. II. c. 16, ita ut cum cognomine, tum copiis dives dici posset. De eiusdem nummis aureis et argenteis, e quibus ipsum ludos Megalenses magnificentissime apparavisse elucet, conf. Pigh. Ann. III. p. 142. Praeturam nactus est a. 100, Consulatum a. 97, Cen-

a. u. c.	a. Ch. n.	
648.	105.	M. Antonius [378]),
		Cn. Cornelius Lentulus [379]).
649.	104.	C. Aurelius Scaurus [380]),
		[L. Manilius Mancinus.]
650.	103.	Q. Mucius Scaevola, P. F., P. N. [381]),
		L. Licinius Crassus, P. F. [382]).

suram a. 89, Cic. pr. Arch. c. 5, sed in bello civili Mariano sua manu cecidit, Cic. de Orat. III. c. 3.

377) Q. Metellus Nepos Aedilitatem petiturus nummis publicatis patris sui memoriam, in hoc magistratu acceptam populo renovavit, conf. ann. 151 et not. 336; Praeturam accepit a. 101, Consulatum a. 98, Cic. p. red. in Sen. c. 15, in quo legem Caeciliam Didiam tulit, quam Cic. ad Attic. II. ep. 9 inter reipublicae remedia enumerat, vid. Manut. et Ernest. de h. leg.

378) De M. Antonio luculenter testimonia collegit Ellendt. proleg. ad Brut. p. 62—68. Praeturam obtinuit a. 105, in quo munere praedones maritimos in Ciliciam persecutus est, Liv. epit. l. LXVIII, Cic. de Orat. I. c. 18, Consulatum a. 99, Cic. p. red. ad Quir. c. 5, Liv. epit. l. LXX et Plin. h. n. VIII. c. 7, Censuram a. 96, sed in hoc magistratu ipse a M. Duronio, quem Senatu movit, de ambitu reus factus est, Cic. de Orat. II. c. 67; a Marianis occisus est a. 87, Appian. de bell. c. I. c. 72 seq. et Cic. de Orat. III. c. 3.

379) Cn. Lentulus Consul factus est a. 97.

380) De C. Aurelii Scauri Aedilitate et de eius doctoribus gladiatorum conf. Pigh. Ann. III. p. 152.

381) Q. Mucius Scaevola Tribunus Pl. fuit a. 106, in Quaestura a. 111, Aedilitate a. 103, Praetura a. 99 atque Consulatu a. 95 unum eundemque collegam habuit L. Crassum, Cic. Brut. c. 59 seq. De eius atque L. Crassi Aedilitate splendidissima gesta memorat Cic. de offic. II. c. 16, in Verr. II. l. 4. c. 59, qua Romanorum primus leonum simul plurium pugnam dedit, Plin. h. n. VIII. c. 16. Post Consulatum Asiam pro Consule rexit a. 94, et tam sancte fortiterque, ut Senatus deinceps magistratibus in eam provinciam ituris exemplum atque formam officii, decreto suo proponeret, Valer. Max. VIII. c. 15. §. 6, Cic. in Verr. II. l. 2. c. 10.

382) De L. Crasso oratore clarissimo vid. Cic. Brut. c. 59 seq.

a. u. c.	a. Ch. n.	
651.	102.	M. Valerius Messalla [383]),
		[L. Cornelius Dolabella.]
652.	101.	C. Valerius Flaccus [384]),
		Q. Servilius Caepio, Q. F. [385]).
653.	100.	Sex. Iulius Caesar, C. F., Sex. N. [386]),
		C. Sergius Silus Orata sive Aurata [387]).

et Ellendt. proleg. p. 68 — 77. De eius magistratibus conf. not. anteced. 581, praeter Tribunatum Pl., quem gessit a. 107 (Ellendt. p. 68), et Censuram a. 92 acceptam Plin. h. n. XVII. c. 1, Cic. de Orat. III. c. 24. Ex eius Aedilitate inprimis referunt Plin. h. n. loc. cit. et XXXVI, 5 et Solin. Polyhist. c. 50, cum quibus confer. Val. Max. IX. c. 1. §. 4, et Cic. de Orat. III. c. 24, columnas peregrini marmoris, Hymettiique quidem, quas primus omnium ad hoc munus ornatius gerendum Romam advehi iussit. Mortuus est Crassus paullo ante primum bellum civile exortum in fin. a. 91, Cic. de Orat. III. c. 1 — 5.

583) M. Messalla Praetor factus est a. 95, et in bello sociali Legati officium praestitit, Appian. de bell. civ. I. c. 40.

584) C. Flaccus Praeturam urbanam gessit a. 98, Cic. pr. Balb. c. 24, Consulatum a. 95.

585) Q. Caepio fuit Quaestor urbanus a. 100, ad Herenn. I. c. 12, Aedilis Curulis iterum a. 97, Praetor a. 95, imperio proconsulari praeditus in bello sociali Asculi occisus est a. 90, Appian. de bell. c. I. c. 37, 40, 44, Liv. epit. I. LXXII, Flor. III. c. 18.

586) Sex. Caesaris denarios Aedilicios, in ludorum Megalensium ab eodem celebratorum memoriam excusos, profert Pigh. Ann. III. p. 174. Praeturam gessit a. 95, ad Herenn. I. c. 15, Consulatum a 91, Appian. de bell. c. I. c. 40 seq., Plebiscitum de Thermensibus, lin. 18 et 58 (in eius optima recensione apud Dirksen, Versuche z. Critik d. Röm. Rechts p. 170, 184, 190 et 195), Flor. III. c 18, et Cic. fragm. pr. Corn. I; in primo bello civili occisus est a. 87, Cic. de Orat. III. c. 3 et Appian. l. c.

587) C. Sergius Praetor a. 97 factus, Cic. de Orat. I. c. 39 et de offic. III. c. 16, primus balnea pensilia facere instituit, Valer. Max. IX. c. 1. §. 1.

a. u. c.	a. Ch. n.	
654.	99.	C. Claudius Pulcher, C. F. [388]),
		L. Valerius Flaccus [389]).
655.	98.	L. Iulius Caesar, C. F., Sex. N. [390]),
		[P. Cornelius Scipio Nasica I.]
656.	97.	Q. Servilius Caepio II [391]),
		[Servilius Augur.]

---

588) C. Claudius, P. Clodii patruus, munus Aedilicium habuit magnificum, Cic. de offic. II. c. 16, in Verr. II. l. 4. c. 59, de harusp. resp. c. 12, in cuius ludis ex Fenestellae testimonio primum elephantos Romae pugnasse traditur a Plin. h. n. VIII. c. 7. In iisdem etiam scena, colorum varietate adumbrata, quae antea vacuis pictura tabulis extenta erat, magnam admirationem commovit picturae, cum ad tegularum similitudinem corvi imagine decepti advolarent, Valer. Max. II. c. 4. §. 6, Plin. h. n. XXXV. c. 4. Denique ex his ludis tonitrua Claudiana appellabantur, „quia Claudius Pulcher instituit, ut ludis post scenam coniectus lapidum ita fieret, ut veri tonitrus similitudinem imitaretur; nam antea leves admodum et parvi sonitus fiebant, cum clavi et lapides in labrum aeneum coniicerentur." Fest. s. v. Claud. tonitr., conf. Phaedr. Fab. V. f. 8. — Praeturam Claudius gessit a. 95, Consulatum a. 92, Cic. Brut. c. 45, et pr. Planc. c. 21.

589) L. Flaccus, Claudii collega in Aedilitate, Cic. pr. Flacc. c. 52, Praetor c. a. 90, pr. Flacc. ibid., Consul suffectus est a. 86 Mario mortuo, Appian. de bell. civ. I. c. 75, Cic. l. c. c. 25 et 52, sed secundo anno postea in Asiam adversus Sullam missus, et propter avaritiam exercitui suo invisus, a C. Fimbria Legato ipsius occisus est (a. 84), Liv. epit. l. LXXXII, Appian. de bell. Mithrid. c. 51—52.

590) L. Caesar Praetor fuit a. 94, Consul a. 90, in bello sociali adversus Samnites fortuna varia pugnavit, Liv. epit. l. LXXIII, Censor a. 89, Cic. pr. Arch. c. 5, in seditione Mariana periit a. 87, Appian. de bell. c. I. c. 72, Cic. de Orat. III. c. 3, Cic. Quaest. Tusc. V. c. 19.

591) De Q. Caepione vid. not. 585.

a. u. c.	a. Ch. n.	
657.	96.	P. Cornelius Lentulus Sura, P. F. 392), [P. Cornelius Scipio Nasica II.]
658.	95.	Cn. Octavius, Cn. F., Cn. N. 393), M. Porcius Cato, M. F., M. N., Licinianus 394).
659.	94.	L. Postumius Albinus 395), L. Cornelius Merula 396).
660.	93.	Q. Caecilius Metellus Pius, Q. Numidici F. 397), [C. Servilius Vatia.]

392) P. Lentulus Praetor factus est c. a. 92, Legatus in bello sociali militavit, Appian. de bell. c. I. c. 40.

393) Cn. Octavius in prima Aedilitatis petitione repulsam passus est a. 96, ad eandem tamen a. seq. atque maiores honores pervenit, Cic. pr. Planc. c. 21, Praeturam assecutus est a. 90, Consulatum a. 87, in quo magistratu eloquentiam, quam antea vix manifestaverat, saepe comprobavit, Cic. Brut. c. 47. De eius dissensione cum collega Cinna exortoque bello civili, Octaviano nempe dicto, Cic. de nat. deor. II. c. 5, in quo ipse a partibus Marianis occisus est, conf. inprimis Appian. bell. c. I. c. 64—75, Liv. epit. l. LXXIX et LXXX, Cic. Quaest. Tusc. V. c. 19, Catilin. III. c. 10, Flor. III. c. 21.

394) Hic M. Porcius Cato Censorini pronepos fuit ex eius filio natu maiore, Catonisque Consulis a. 118 filius; Praeturam ipse adeptus est c. a. 89, inde in Galliam Narbonensem profectus ibique vita functus est, Gell. noct. Att. XIII. c 19.

395) L. Albinus Flamen Martialis Praetor factus est a. 90, sed Nola capta in Samnitium potestatem venit, et ab iis interfectus est, Liv. epit. l. LXXIII.

396) L. Merula Flamen Dialis Consul Cinna Roma expulso suffectus est a. 87, Appian. bell. c. I. c. 65 seq., sed fortuna ambigua rempublicam Marianis prodidit, ibid. c. 70.

397) Q. Metellus Pius Praetor factus est c. a. 90, deinde ad bellum sociale perficiendum missus est cum imperio proconsulari, Appian. bell. c. I. c. 80, tum Consul factus a. 80, ibid. c. 105, deinde in Hispania contra Sertorium bellum non feliciter gessit, Appian. de reb. Hispan. c. 101 et bell. c. I.

a. u. c.	a. Ch. n.	
661.	92.	App. Claudius Pulcher, C. F. [398]),
		L. Cornelius Scipio Asiaticus, L. F. [399]).
662.	91.	M. Claudius Marcellus [400]),
		D. Iunius Brutus, D. F. [401]).
663.	90.	C. Iulius Caesar Strabo, L. F. [402]),
		C. Iulius Caesar, C. F. [403]).

---

c. 108 seq., Valer. Max. IX. c. 1. §. 5, Cic. pr. Balb. c. 2 et pr. Sull. c. 25. Postremo maiestatis reus factus est, Valer. Max. VIII. c. 5. §. 4.

398) Hic Appius Pulcher minor, P. Clodii turbulenti pater, primum repulsam Aedilitiam tulit c. a. 94, Cic. pr. Planc. c. 21, patre C. Claudio adhuc vivo, sed mox postea eundem honorem rursus petens obtinuit, quod e ludis Megalesiis ab eodem Aedile factis colligitur, Cic. de harusp. resp. c. 12. Praetor factus est a. 89, Cic pr. Arch. c. 5, deinde decimo demum anno, ob belli civilis certamen magistratuumque petitionem non amplius integram, Consulatum a. 79 adeptus est, Appian. de bell. civ. I. p. 103. Ceterum conf. Pigh. Ann. III. p. 213.

399) L. Scipio Asiaticus, Orator non imperitus, Cic. Brut. c. 47, propter bellum civile in Italia legibus solutus est, ut ante annum suum Consul fieri posset, ad Herenn. III. c. 2, sed Consulatum a. 83 male gessit, primoque proelio a militibus suis, ad Sullam signa transfarentibus, relictus in huius pervenit potestatam, Appian. bell. civ. I. c. 85 seq., Liv. epit. l. LXXXV, Flor. III. c. 21.

400) Huius M. Marcelli mantionem facit L. Crassus orator apud Cic. de Orat. I. c. 13, tanquam Aedilitate hoc anno Livii Drusi Tribunatus fungentis, ludisque ab ipso factis tantummodo impediti, quo minus ipse illi colloquio adesset. Tum memoratur in orat. pr. Quinct. c. 17 inter quatuor huius caussae iudices.

401) D. Brutus Consul factus est a. 77, Cic. Brut. c. 47, ad Attic. XII. c. 22.

402) C. Caesar Strabo, Quinti Catuli maioris frater uterinus, de quo Ellendt. proleg. ad Brut. p. 81—85 et 56 conf., Quaestor fuit a. 94, quotidie conciones accuratissimas in Aedilitate habuit, Cic. Brut. c. 89, tum de universa republica, tum ut Praetura omissa, extraordinariam Consulatus a. 87 ex

a. u. c.	a. Ch. n.	
664.	89.	Cn. Cornelius Dolabella [404]),
		P. Cornelius Cethegus [405]).
665.	88.	C. Fabius Hadrianus [406]),
		P. Quinctilius Varus [407]).

Aedilitate petitionem ab invidia defenderet, inprimis contra adversarios gravissimos P. Antistium et P. Sulpicium, Cic. Brut. c. 63; quorum discordiae Asconio ad Scauranam edit. Schtz. XVI. p. 244, belli civilis caussae fuisse dicuntur. Ceterum huius Aedilitatis annum ex altero quoque Ciceronis loco de Orat. III. c. 24 colligere possumus, ubi Crassus orator Philippo et S. Iulio Caesare (a. 91) Cos. de orationis ornatu disseruisse fingitur ad hunc Caesarem Strabonem praesentem, Aedilem designatum. Non multo post Cinnae iussu interfectus est, Cic. Orat. III. c. 3, Appian. bell. c. I. c. 72.

403) Hic C. Iulius Caesar, Dictatoris pater, quarto sive quinto anno post Aedilitatem Praetor factus, repentina morte exstinctus est, Plin. h. n. VII. c. 53, Sueton. in Caes. v. c. 1, Plutarch. Caes. c. 1.

404) Cn. Dolabella Praetor fuit a. 84, Consul a. 81, in Verr. II. l. 1. c. 24, ex Macedonia rediens triumphavit, sed a C. Iulio Caesare, qui postea Dictator fuit, accusatus, et a C. Aurelio Cotta atque Q. Hortensio defensus est, Cic. Brut. c. 92, Sueton. Caes. c. 4, Plutarch. Caes. c. 4.

405) P. Cethegus a Cicerone Brut. c. 48 sic laudatur, ut ei de re publica satis suppeditaret oratio, sed cum altero Cethego, Praetore a. 75, non permiscendum esse censeo, quod Ellendt. ad h. l. voluit, quia hic a. 74 primum Tribunatu Pl. functus est, Plutarch. v. Lucull. c. 5 et 6.

406) C. Hadrianus Africae Praeturam accepit a. 84, ac Quintum Metellum, optimatium partes sequentem ex provincia sua expulit, Liv. epit. l. LXXXIV, sed paullo post nimiae avaritiae cupidine cives Romanos graviter premens, immo etiam de principum nece cum servis conspirans, ab Uticensibus in praetorio combustus est; idque ita illi merito accidisse existimatum est, ut laetarentur omnes, neque ulla animadversio constitueretur, Cic. Verr. II. l. 1. c. 27 et l. 5. c. 56.

407) P. Varus Iurisconsultus famae optimae inter iudices in caussa P. Quinctii reperitur, Cic. pr. Quinct. c. 17, et homo

a. u. c.	a. Ch. n.	
666.	87.	P. Servilius Vatia, postea Isauricus [408]).
667.	86.	M. Aemilius Lepidus, Q. F. [409]), M. Fannius [410]).
668.	85.	[D. Iunius Brutus, num iterum Aed. Cur.?] [C. Annius Luscus, Pigh. Ann. III. p. 242.]
669.	84.	Cn. Cornelius Dolabella [411]), C. Claudius Nero [412]).

---

summma religione summaque auctoritate praeditus laudatur, Cic. pr. Cluent. c. 19.

408) P. Servilius, vir bellorum omnium maximarumque rarum peritissimus a Cicerone pr. leg. Manil. c. 25 laudatus, contra populi voluntatem a P. Cornelio Sulla Consul a. 79 renuntiatus est, Appian. de bell. civ. I. c. 105; deinde Proconsul provinciam Ciliciam tenuit, egregiasque res adversus Cilices, Isauros piratarumque urbes gessit 78—77, Liv. epit. l. XC et XCIII, Cic. Verr. II. l. 1. c. 21. Alterum Aedilem huius anni ob dignitatum perturbationem, iam tum temporis vulgarem, addere non conor.

409) M. Lepidus Praetor factus a. 81 Siciliam provinciam graviter vexavit, Cic. Verr. II. l. 5. c. 91, Consulatum accepit a. 78, sed a collega Catulo ax Italia pulsus est, et in Sardinia bellum frustra molitus periit, Appian. bell. c. I. c. 105, Liv. epit. l. XC, et Cic. Catil. III. c. 10.

410) M. Fannius Praetor fuit a. 80, Rosciique caussam quaesivit, Cic. pr. Rosc. Amerin. c. 5.

411) Cn. Dolabella Praetor urbanus factus est a. 81, quum alter Dolabella eiusdem gentis, praenominis atque cognominis obtineret Consulatum; attamen hi duo Dolabellae persaepe confunduntur et in unum quoque coalescunt, conf. Ascon. schol. ad div. in Caecil. c. 7 et Perizon. animadvers. hist. c. 2. p. 54; postea hic Dolabella Propraetor Ciliciam perverse administravit, quamobrem Romam rediens a M. Scauro de repetundis postulatus, damnationemque effugere non potuit, Cic. Verr. I. c. 4, II. l. 1. c. 56—59, et al. pl. l.

412) C. Nero Praetor Asiae factus est c. a. 79, Cic. Verr. II. l. 1. c. 19.

a. u. c.	a. Ch. n.	
670.	83.	P. Rupilius Lupus [413],
		[L. Titius.]
671.	82.	L. Gellius, L. F., Poplicola [414],
		M. Fonteius Capito [415].
672.	81.	L. Manlius Torquatus, L. F. [416],
		[C. Verres, C. F.?] [417].

---

413) P. Rupiiins Aedilitate Curuli fanctus est C. Norbano Consule, annonamque ex Sen. Cons. urbi procuravit, quemadmodum eius denarii cum Solis aut Veneris capite lauro coronato et eius mensa sacra inter duas spicas testantur. His signis consignati sunt: „P. Rupil. Lup. Aed. Cur. E. S. C. C. Norbano Cons." Conf. Pigh. Ann. ad h. a.

414) L. Gellius vir omnibus honoribus ad Censuram usque defunctus est, Val. Max. V. c. 9. §. 1. Ex eius Aedilitate Curuli nummi nobis relicti sunt, in quibus Iovis caput et aquila fulminifera aspiciuntur, iuxta quam simpulum ad sacrificandum cum hac inscriptione positum est: „L. Gell. L. F. Poplicola. Aed. Cur. Ex. S. C." Ex Iovis capite eiusque symbolis Pighius Ann. ad h. ann. non male coniectatur, Gellium sortitum fuisse ludos Romanos. Praetor fuit Gellius c. a. 76, tum provinciam Achaiam accepit cum imperio proconsulari, Cic. de leg. I. c. 20; Consul a. 72 a Spartaco proelio victus est, Liv. epit. l. XCVI, Plebisc. de Thermens. lin. 6 apud Dirksen Versuche z. Crit. d. Röm. R. p. 162 et 189; Censor a. 70—69, Liv. epit. l. XCVIII et Cic. pr. Cluent. c. 42.

415) M. Fonteius Praetor factus est a. 75, deinde Propraetor provinciam Galliam per triennium obtinuit a. 72—70, sed Romam rediens a M. Plaetorio repetundarum reus factus est a. 69, et a Cicerone Aedile huius a. defensus, eiusd. orat. pr. Font. c. 1 seq.

416) L. Torquatus Consulatum gessit a. 65, Dio Cass. XXXVII. c. 1, Cic. Catilin. III. c. 8, pr. leg. agr. II. c. 17; inde Macedoniae cum imperio proconsulari praefuit, rediens autem a Senatu Cicerone referente Imperator appellatus est, Cic. in Pison c. 19: de eius eloquentia Cic. Brut. c. 68.

417) C. Verres Ciceronis accusatione famosus, si quidem ex eius Praetura urbana a. 74 nobis concludere licet, Aedilitatem huius anni obtinere potuit, Cic. Verr. II. l. 1. c. 40—60.

a. u. c. a. Ch. n.

673. 80. Cn. Cornelius Lentulus Clodianus [418]),
M. Cascellius [418 a]).

674. 79. L. Licinius Lucullus, L. F., L. N. [419]),
M. Licinius Lucullus, L. F., L. N. [420]).

---

418) Cn. Lentulus Consul factus a. 72, Plebiscit. de Thermens. lin. 6 apud Dirksen loc. cit. p. 162 et 189, et Cic. Verr. II. l. 2. c. 38, adversus Spartacum male pugnavit, Liv. epit. l. XCVI, Censuram egit valde asperam, sexaginta quatuor Senatu motis, Liv. epit. l. XCVIII, Cic. pr. Cluent. c. 42.

418 a) Cascellii Aedilitas Curulis in fragmento lapidis Tiburtini, eruti in ruinis templi Dianae in Aventino apud Gruter. C. I. p. 59. nr. 5 reperitur, quae L. Cornelio Sulla ac Q. Caecilio Metello (80 a. Ch) Coss., porticus Minervae Aventinensis fundamentorum ponendorum honori exsculpta est.

419) L. Lucullus atque M. Lucullus fratres germani fuere, qui simul Aedilitatem gesserunt splendore valde magnifico, Cic. de offic. II, 16, inprimis elephantorum pugna contra tauros, Plin. h. n. VIII. c. 7, et scena primum versatile facta insignem, Valer. Max. II. c. 4. §. 6: sed M. Lucullus hunc honorem differens, quem ante fratris natu minoris annum legitimum capere noluit, absens eum eximio populi favore obtinuit, Plutarch. Lucull. c. 1. Praetor fuit a. 77, Africam administravit a. 76, Consul a. 74, contra Mithridatem admodum feliciter pugnavit, ita ut, imperium proconsulare quum ei diutius in Asia demandaretur, hoc bellum propemodum perficeret, Appian. de bell. Mithrid. c. 72 seq., Liv. epit. l. XCIV et XCV, Plutarch. Lucull. c. 6 seq.

420) M. Licinius Lucullus, postquam a M. Terentio Varrone adoptatus erat, M. Terentii Varronis Luculli nomen gessit, ut lex ipsa, quam communiter cum collega Cassio in Consulatu de re frumentaria tulit, l. Terentia Cassia diceretur, Cic. Verr. II. l. 3. c. 70 at Ernesti de h. lege. Hic Consul fuit a. 75, Cic. pr. Cluent. c. 49; deinde Proconsul Macedoniam administravit, Cic. Verr. II. l. 2. c. 8.

a. u. c.	a. Ch. n.	
675.	78.	L. Octavius Balbus, Cn. F., Cn. N. [421]), M. Octavius Ligur [422]).
676.	77.	[L. Valerius Flaccus,] [Q. Fabius Maximus.]
677.	76.	P. Sulpicius Galba [423]), P. Cornelius Lentulus, P. F., P. N., Sura [424]).
678.	75.	Q. Hortensius, L. F. [425]), Q. Caecilius Metellus, L. F., Q. N., post. Creticus [426]).

---

421) L. Balbus, homo et iuris et officii peritissimus, Cic. Verr. II. l. 2. c. 12, Consul factus est a. 75, ibid. l. I. c. 50, et e Macedonia rediens de Dardanis triumphavit, Cic. in Pison. c. 19.

422) M. Octavius, homo ornatissimus loco, ordine, nomine, virtute, ingenio ac copiis laudatur ap. Cic. Verr. II. l. 1. c. 48; Tribunatum Pl. obtinuit a. 81.

423) Ad P. Galbae Aedilitatem denarius consignatus: „P. Galb. Aed. Cur." apud Ekhel V. p. 317 descr. pertinere videtur; Senator dicitur a Cic. Verr. I. c. 7, Pontifex, Cic. de harusp. resp. c. 6, sed Consulatus honorem cum Cicerone petens, nullo favore populi frustra ambiit, Cic. pr. Muren. c. 8, ad Attic. I. ep. 1, Q. Cic. de pet. Cons. c. 2.

424) De P. Lentuli Surae cognomine ac propinquitate vid. Plutarch. vit. Cicer. c. 17. Hic Quaestor factus est a. 85, Cic. Verr. II. l. 1. c. 14, primum Praetor c. a. 75, Plutarch. Cic. c. 17 et Cic. Catil. III. c. 5; Consul a. 71, sed ob infamiam, quam duobus iudiciis contraxerat, Lentulus Clodianus ac Gellius Censores eum Senatu moverunt. Itaque ut dignitatem Senatoriam rursus recuperaret, iterum Praeturam petiit, eamque a. 63 obtinuit, Plutarch. l. cit.; sed coniurationis Catilinariae socius summo supplicio affectus est, Plutarch. Cic. c. 27 et Sallust. Catil. c. 55.

425) Q. Hortensius, cuius Aedilitatem Cur. inter sumtuosas atque magnificentia celebres sui temporis recenset Cic. de offic. II. c. 16 et Brut. c. 92, in hoc munere, magna annonae caritate populum premente, frumentum ei vili pretio praesti-

a. u. c. a. Ch. n.

679. 74. L. Caecilius Metellus, L. F., Q. N. [427]),
Q. Marcius Rex [428]).

680. 73. M. Seius, L. F. [429]),
M' Acilius Glabrio [430]).

---

tit. Sed Luzacius de hoc viro quum librum singularem Lugd. Bat. 1810 impr. conscripsit, nihil amplius quam magistratuum annos addere volo, Praeturae a. 72 et Consulatus a. 69, Dio Cass. XXXV. c. 2 et Cic. Brut. c. 94; mortuus est a. 50, ibid. c. 64 et Cic. ad Attic. VI. ep. 6.

426) Q. Metellus Creticus Tribunus Pl. factus est a. 80, Praetor a. 72, Consul a. 69, Dio Cass. XXXV. c. 2 et Cic. Verr. I. c. 9, Cretam subegit, liberaeque in id tempus insulae leges dedit, Liv. epit. l. XCIX et C. — Ex hoc anno annales Pighiani de Aedilibus Curulibus quam Plebeiis saepissime vacui sunt.

427) L. Metellus Praetor fuit a. 71, annoque sequenti Propraetor Siciliae praefuit, Cic. Verr. I. c. 9, deinde Consul a. 68, Cic. in Pison. c. 4, in Consulatu mortuus est, Dio Cass. XXXV. c. 4.

428) Q. Marcius Praetor factus a. 71, quo magistratu ex Senatusconsulto aquarum Appiae Anienis, Tepulae ductus reficere, novam a nomine suo Marciam appellatam, cuniculis per montes actis perfecit, Plin. hist. nat. XXXVI. c. 15; Consul a. 68, Cic. in Pison. c. 4, post collegae mortem solus munus obtinuit per reliquum anni spatium, Dio Cass. XXXV. c. 4; Censor c. a. 66, Cic. pr. dom. c. 50.

429) M. Seius in Aedilitate Curuli „olei denas libras singulis assibus praestitit populo Romano per totum annum", Plin. h. n. XV. c. 1, et ob annonae caritatem asse modium populo dedit, qua re magna et inveterata invidia se liberavit, Cic. de off. II. c. 17.

430) M' Glabrio Praetor creatus est a. 70, Cic. Verr. I. c. 2 et 17; Consul a. 67, Dio Cass. XXXV. c. 12, XXXVI. c. 7; Pontifex, Cic. de harusp. resp. c. 6.

a. u. c.	a. Ch. n.	
681.	72.	M' Aemilius Lepidus [431]),
		M. Caecilius Metellus, L. F., Q. N. [432]).
682.	71.	L. Aurelius Cotta, M. F. [433]),
		Q. Caecilius Metellus, Q. F., Celer [434]).
683.	70.	C. Antonius, M. F., Nepos [435]),
		[L. Licinius, L. F., P. N., Muraena] [436]).

431) M' Lepidus Praeturam gessit a. 69, Consulatum a. 66, Dio Cass. XXXVI. c. 25, Cic. Catil. I. c. 6, ad Attic. VIII. ep. 6.

432) M. Metellus Praeturam adeptus est a. 69, Cic. Verr. I. c. 9—10. Cum hoc L. Iulius Caesar Aedilitatem simul petens, repulsam expertus est, Cic. pr. Planc. c. 21, qui tamen quinto anno post (a. 64) sine novo periculo Consulatum adiit, Dio Cass. XXXVII. c. 6, Cic. ad Att. I. ep. 2.

433) L. Cotta Praetor factus a. 69 iudicia ad equites Romanos transtulit, Liv. epit. l. XCVII, Consul a. 65, Dio Cass. XXXVII. c. 1, Cic. Agrar. II. c. 17, sed sub eius administratione Consulari per decem dies ludi facti sunt ad placandum deos, quod complures in Capitolio res de coelo percussae, veterumque hominum statuae deiectae et legum aera liquefacta sunt, Cic. Catil. III. c. 8.

434) Q. Metellus Celer Praetor a. 63 Ciceronem in coniuratione Catilinaria fortiter adiuvit, Dio Cass. XXXVII. c. 32, Cic. Catil. I. c. 8, II. c. 5, pr. Sull. c. 25, Propraetor Galliam provinciam administravit, Cic. ad Fam. V. ep. 1 et 2, quae sunt Metelli ipsius ad Ciceronem eiusdemque responsio. Consul factus a. 60, Dio Cass. XXXVII. c. 49 seq., mortuus est veneno accepto, Cic. pr. Cael. c. 24. De eius eloquentia Cic. Brut. c. 70.

435) Hic C. Antonius, eximii oratoris filius, ludos in Aedilitate tam magnificos edidit (nam ludos scena argento praetexta fecit, Plin. hist. n. XXXIII. c. 3 et Valer. Max. II. c. 4. §. 6), ut Cicero etiam eum Consulatus metueret competitorem, Q. Cic. de pet. Cons. c. 2, Cic. pr. Muren. c. 19, ad Attic. I. ep. 1; sed post hoc munus confectum a Gellio ac Lentulo Censoribus mox ex Senatu eiectus est, Cic. de pet. Cons. c. 2. Praeturam obtinuit a. 67, Consulatum cum Cicerone a. 63, Dio Cass. XXXVII. c. 10 seq., post Consulatum provinciae Mace-

a. u. c. a. Ch. n.
684. 69. M. Tullius, M. F., Cicero [437]),
M. Caesonius [438]).

doniae praefuit, Cic. ad Fam. V. ep. 5 et 6, eamque per plures annos rexit (62—59), Cic. ad Attic. I. ep. 12, II. ep. 2: denique de maiestate ac repetundis accusatus et damnatus a. 59 in exsilium abiit in Cephaleniam, neque a M. Antonio postea Triumviro, etsi fratris filio, restitutus est, Cic. Phil. II. c. 23, conf. Cic. pr. Coel. c. 31.

436) De Licinii Muraenae Aedilitate Curuli testimonia manifesta non exstant. Praeterea Quaesturam gessit a. 75, Cic. pr. Mur. c. 3, Legatus L. Luculli in Asia a. 75, ibid. c. 7 et 9; Praeturam urbanam accepit a. 65, ibid. c. 17 et 20, denique Consulatum petiit a. 63, ambitus tamen a Servio Sulpicio, Consulatus competitore, et Catone accusatus est, sed a Cicerone Consule ipso defensus hunc honorem adeptus est a. 62, ibid. pl. loc., Dio Cass. XXXVII. c. 39.

437) M. Tullii Ciceronis honores legitimo quoque anno accepti manifeste tam ex ipsius operibus, quam ex Plutarchi recentiorumque commentariis de eius vita scriptis exstant, ibique satis larga exemplorum copia comprobati sunt. Quaesturam gessit Siciliensem a. 75, Plut. Cic. c. 6, e qua a. 74 urbem rediit; annos triginta septem natus Aedilitatem Curulem adeptus est, de cuius muneris curis ipse dixit Verr. II. l. 5. c. 14, de ludis Aedilitiis trinis pr. Muren. c. 19, nec magno sumtu in eos facto, de offic. II. c. 17. Praetor factus est a. 66, inter octo Praetores primus designatus, Plutarch. l. c. c. 9, Dio Cass. XXXVI. c. 26—27, quo magistratu orationes pro lege Manilia et in Cluentii Fundaniique caussis dixit. Consulatum gloriosum gessit a. 63, Dio Cass. XXXVII. c. 10 seq., Appian. bell. civ. II. c. 2 seq., Sallust. Cat. tot. lib., Liv. epit. l. CII, sed lege Clodia de civis indemnati interfectione lata in exsilium abiit a. 58, unde urbem rediit a. 57. Tum sexto anno postea provinciam Ciliciam administrandam obtinuit a. 51, et a. 49 m. Ian. in urbem rediens mense iam sequenti cum Pompeio Italiam reliquit, sed a. 48 regressus usque ad Caesaris mortem maxime litteris operam navavit. Postremo a. 44 adhuc semel rempublicam capessens, a Triumviris proscriptus atque occisus est, Dio Cass. XLV et XLVI, Appian. b. civ. III. c. 50 seq., Liv. epit. l. CXX.

438) Caesonius homo in rebus iudicandis spectatus et cogni-

a. u. c.	a. Ch. n.	
685.	68.	M. Valerius, M. F., Messala Niger [439]), L. Valerius Flaccus, L. F. [440]).
686.	67.	M. Plaetorius, M. F., Cestianus [441]), C. Flaminius, C. F. [442]).
687.	66.	C. Iulius Caesar, C. F. [443]), M. Calpurnius Bibulus, M. F. [444]).

tus a Cicerone ipsius Aedilitatis collega dicitur, Verr. I. c. 10, conf. Ascon. schol. ad h. loc. Deinde eiusdem, ut secum Consulatum petituri, meminit Cic. ad Attic. I. ep. 1, conf. ib. XII. ep. 11.

439) M. Messala Niger Praeturam petiit a. 65, Cic. pr. Sull. c. 14, Consulatu functus est a. 61, Dio Cass. XXXVII. c. 46 seq., Cic. ad Attic. I. ep. 12 et 13. De eius eloquentia Cic. Brut. c. 70, sed caveas, ne eum cum M. Valerio Messala, C. F., Consule a. 53 a. Ch., commutes.

440) L. Flaccus Quaestor factus est in Hispania a. 74, Cic. pr. Flacc. c. 5, Legatus in Macedonia c. a. 71, Cic. pr. Planc. c. 11, Praetor a. 63, Cic. pr. Flacc. 1 seq. et pr. Planc. c. 11, Sallust. Catil. c. 45, deinde Asiam provinciam per triennium (62—60) obtinuit, sed Romam rediens repetundarum a Laelio accusatus et a Cicerone defensus est a. 59, vid. eiusd. orat. pr. Flacc., quae reliquos Flacci honores pl. loc. prodit.

441) M. Plaetorius et C. Flaminius collegae in Aedilitate dicuntur ap. Cic. pr. Cluent. c. 45, ex quo loco, quum Cicero Praetura fungens apud hos Matrinium scribam Aedilicium nuper defendisset, horum etiam Aedilium annus colligi potest, qui vix aliter quam 67 a. Ch. adsignetur. Ex Plaetorii Aedilitate praeterea duos nummos Aedilicios diversos „M. Plaetorii. Aed. Cur." novimus ex Ekhel doctr. numm. vet. V. p. 274. Eiusdem Praetura acta est cum Cicerone a. 66, pr. Cluent. c. 53.

442) C. Flaminius in Aedilitate ac Praetura collega fuit Plaetorii, vid. Cic. pr. Cluent. c. 45 et 53, et not. anteced.

443) Quod ad C. Iulii Caesaris magistratus pertinet, idem modo de his repeti potest, quod apud Ciceronem memoratum est, ita ut frustra periculum fieret inutile, praecipuarum rerum ab eo gestarum annos hic rursus proferre in medium. Itaque praeter honorum gradus acceptos nil nisi Aedilitatis mu-

a. u. c. a. Ch. n.

688. 65. Q. Tullius, M. F., Cicero [445],
C. Sulpicius, P. F. [446].

---

nera eximia adiungere volo. Tribunatum militum gessit a. 75, Sueton. Caes. c. 5, Quaesturam adeptus est a. 72, ibid. c. 6, Aedilitatem a. 66 simul cum M. Calpurnio Bibulo, quem etiam in duobus muneribus sequentibus collegam habuit concedentem, sed priusquam eam iniisset, cum M. Crasso iam adversus rempublicam conspirasse dicitur, ibid. c. 9. At de hoc munere Aedilicio ibid. c. 10 narratur, „Caesarem praeter comitium ac forum, basilicasque etiam Capitolium ornavisse porticibus ad tempus exstructis, in quibus abundante rerum copia, pars apparatus exponeretur. Venationes autem ludosque et cum collega et separatim edidit, quo factum est, ut communium quoque impensarum solus caperet gratiam: nec dissimularet eius collega M. Bibulus, evenisse sibi quod Polluci, ut enim geminis fratribus aedes in foro constituta, tantum Castoris vocaretur: ita suam Caesarisque munificentiam, unius Caesaris dici. Adiecit insuper etiam Caesar gladiatorium munus, sed aliquanto paucioribus, quam destinaverat, paribus. Nam cum multiplici undique familia comparata inimicos exterruisset, cautum est de numero gladiatorum, quo ne maiorem cuiquam habere Romae liceret." Quod Plutarchus Caes. c. 5 his verbis testatur: „ἀγορανομῶν ζεύγη μονομάχων τριακόσια καὶ εἴκοσι παρέσχε, καὶ ταῖς ἄλλαις περὶ τὰ θέατρα καὶ πομπὰς καὶ δεῖπνα χορηγίαις καὶ πολυτελείαις τὰς πρὸ αὐτοῦ κατέκλυσε φιλοτιμίας, οὕτω διέθηκε τὸν δῆμον, ὡς καινὰς μὲν ἀρχὰς, καινὰς δὲ τιμὰς ζητεῖν ἕκαστον, αἷς αὐτὸν ἀμείψαιτο," et Dio Cass. XXXVII. c. 8, qui praeterea tradit, ludos et Romanos et Megalesios a Caesare esse celebratos. Plinius h. n. XXXIII. c. 3 splendoris Aedilitii mentionem faciens, Caesarem primum omni apparatu arenae argenteo esse usum narrat. Tandem in hoc munere Caesar quotidie fere accuratas orationes habuit, Cic. Brut. c. 89, quocum conf. Ellendt. proleg. ad Brut. p. 126—27. Praeturam obtinuit a. 62, Dio Cass. XXXVII. c. 57 et 44, primum Consulatum a. 59, Dio Cass. XXXVIII. c. 1 seq., secundum a. 48, Dictaturam a. 47, tertium Consulatum a. 46, quartum a. 45, in quinto denique Consulatu occisus est a. 44, Dio Cass. XLI—XLV, Appian. b. civ. II. c. 41 seq. — c. 118.

a. u. c.	a. Ch. n.	
689.	64.	Q. Valerius, Q. F., Orca 447), P. Licinius Crassus 448).
690.	63.	P. Cornelius Lentulus Spinther 449), Q. Caecilius, Q. F., Metellus Nepos 450).

444) M. Bibulus fuit Caesaris collega in Aedilitate, Praetura ac Consulatu, vid. testimonia in not. antecad.; deinde Proconsul Syriae praefuit a. 51, Cic. ad Attic. VI. ep. 1 at VII. ep. 5, adversus Parthos male pugnavit, Cic. ad Fam. VIII. ep. 6 et XII. ep. 14, in bello civili ante pugnam Pharsalicam morbo interiit a. 48, Caes. b. civ. III. c. 18.

445) Q. Ciceronis Aedilitas cognoscitur ex Cic ad Attic. I. ep. 4, Praetura a. 62, ad Quint. ips. III. ep. 1, post quam depositam Asiam provinciam pro Praetora per triennium obtinuit, ibid. et ad Attic. I. ep. 15; Legati munere apud fratrem in Cilicia functus est a. 51, ad Quint. III. ep. 7.

446) C. Sulpicius Praetor factus est a. 63, Plutarch. Cic. c. 19, et Cic. Catil. III. c. 3.

447) Q. Valerius Praetor factus est a. 57, Cic. in Sen. p. red. c. 9, Propraetor Africam provinciam rexit a. 56, deinde a. 45 a Caesare Legatus pro Praetore agris in Italia dividundis constitutus est, et ad eum hoc munere fungentem scriptae sunt Ciceronis epistolae ad Fam. XIII. ep. 4, 5 et 6.

448) P. Crassus Praeturam adeptus est a. 57, Cic. in Sen. p. red. c. 9.

449) P. Lentuli Spintheris Aedilitas Curulis cuncta munera anteacta superavit, Cic. de offic. II. c. 16, in quibus scenam choragiis argentatis adornavit, Valer. Max. II. c. 4. §. 6. De Aedilitatis anno sub Cicerone Consule certiores facti sumus e Cic. post redit. ad Quirit. c. 6 et Plin. h. n. IX. c. 39, ubi Spinther Aedilis Curulis, purpura dibapha Tyria primus in praetexta usus, improbatus est: quibus testibus accedit Sallust. Catil. c. 47, quo l. Praetor P. Lentulus Sura Lentulo Spintheri tum Aedili in custodiam datus est. Ceterum is Praetor factus est a. 60, Consul a. 57, Dio Cass. XXXIX. c. 1 seq., Cic. ad Quir. p. red. c. 6 et seq.; denique a. 43 a Triumviris proscriptus et occisus est, Appian. b. civ. IV. c. 12 seq., Dio Cass. XLVII. c. 6 seq., Liv. epit. l. CXX.

450) Q. Metellus Nepos populari dicendi genere versatus, Cic. Brut. c. 70, Tribunatum Pl. nactus est a. 62, Cic. ad

a. u. c.	a. Ch. n.	
691.	62.	Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, C. Marcell. F. [451]), C. Virgilius [452]).
692.	61.	L. Domitius Ahenobarbus, Cn. F., Cn. N. [453]), L. Cornelius, P. F., Lentulus Crus s. Cruscellus [454]).

Fam. V. ep. 2, Dio Cass. XXXVII. c. 42 et 45, Plutarch. Cic. c. 20 seq., Consulatum a. 57, Dio Cass. XXXIX. c. 1 et seq., ad quem annum Ciceronis ep. ad Fam. V. c. 4 ex exsilio scripta pertinet.

451) Cn. Lentulus Marcellinus cum collega Vibio in Aedilitate ex Sen. Cons. plebi urbanae frumentum menstruum gratis diviserunt, quae quidem largitio, metu ex Caesaris animo populari producta, annnis aerarii impensis decies septingenta quinquaginta sestertiorum millia adiecit, Plutarch. Caes. c. 8 et Cat. min. c. 26, ubi secundum aestimationem Graecam mille ducenta quinquaginta talenta enumerantur. Lentulus Praetor factus est a. 59, Cic. ad Quint. I. ep. 2. c. 5; Pontifex, Cic. de harusp. resp. c. 10, Consul a. 56, Dio Cass. XXXIX. c. 18 seq., in quo munere praecipue eloquentiae magnae specimina reddidit, Cic. Brut. c. 70.

452) C. Virgilius vir magnae existimationis, Cic. ad Quint. II. ep. 2, Praetor fuit Siciliae a. 58, Plutarch. Cic. c. 30, et Cic. pr. Planc. c. 40.

453) L. Domitius Ahenobarbus in Aedilitate ludos magnificos edidit, de quibus apud Plin. h. n. VIII. c. 36 ex annalibus notatum est, eum centum ursorum Numidicorum totidemque venatorum Aethiopum pugnam dedissa in circo, conf. Solin. Polyhist c. 59 et Dio Cass. XXXVII. c. 46. Praeturam adeptus est a. 59, Cic. ad Quint. I. ep. 2. c. 5, Consulatum a. 54, Dio Cass. XXXIX. c. 60 seq., attamen in Auguratu repulsam passus est a. 50, Coel. ad Cic. ep. 16 (Fam. VIII); in bello tandem civili pugna Pharsalica interiit, Caes. bell. civ. III. c. 99, Cic. ad Fam. VI. ep. 22. De eius eloquentia Cic. Brut. c. 77.

454) L. Lentulus Crus Praetor factus est a. 58, Cic. in Pison c. 51, in prima Consulatus petitione deiectus est a. 51,

a. u. c. a. Ch. n.
693. 60. App. Claudius Pulcher, App. F., C. N. [455]), L. Postumius Albinus [456]).
694. 59. P. Servilius, P. F., Vatia Isauricus [457]), Ser. Sulpicius, Q. F., Rufus [458]).

Coel. ad Cic. ep. 4, deinde anno secundo postea Consulatum accepit (a. 49), Dio Cass. XLI. c. 1 seq., Caes. b. civ. I. c. 4 seq., Cic. ad Fam. VI. ep. 6, Cic. Brut. c. 77, ex q. l. simul colligitur, eum periisse in bello civili, sed post pugnam Pharsalicam, Valer. Max. I. c. 8. §. 9.

455) App. Pulcher, P. Clodii frater, et antiquitatis et iuris publici studiosissimus ac bene peritus, et Augur, Cic. Brut. c. 77, Praeturam adeptus est a. 57, Cic. p. red. in Sen. c. 9, Consulatum a. 54, Dio Cass. XXXIX. c. 60 seq., Cic. ad Quint. II. ep. 6, III. ep. 2, tum Proconsul provinciam Ciliciam administravit, neque bene huic muneri incubuit, Cic. ad Attic. V. ep. 16 et 17 (conf. Ciceronis, qui Appio in hac provincia administranda successit a. 52, epist. ad eum script., tot. tert. lib. ad Fam.); denique Censuram obtinuit a. 50—49, Coel. ad Cic. ep. 14 (Fam. VIII). Mortuus est in Achaia ante proelium apud Pharsalum commissum, Valer. Max. I. c. 8. §. 10.

456) T. Postumius de re publica non minus vehemens orator quam bellator fuit, Cic. Brut. c. 77, Praeturam nactus est a. 56, septimo demum anno posthac Siciliam a Senatu decretam provinciam cepit, Cic. ad Attic. VII. ep. 15, sed bello civili mox exorto periit, Brut. loc. cit.

457) P. Servilius post Aedilitatem Legatus Caesaris in Galliam profectus est a. 58, Praetor fuit a. 55, Cic. ad Attic. IV. ep. 15, primum Consul a. 48, Dio Cass. XLI. c. 43 seq. et Caes. bell. civ. III. c. 21 seq., tum Asiam Proconsul administravit a. 47, Cic. epist. ad eum Fam. XIII. ep. 66—72, secundum Consulatum gessit a. 41, Dio Cass. XLVIII. c. 4 seq.

458) Ser. Sulpicius C. Pontinii, Praetoris in Transalpina, Legatus fuit c. a. 60, Caesaris Legatus in Gallia a. 58, Consul a. 51, Dio Cass. XL. c. 30 et c. 58 seq., Senatus Consultum apud Cic. ad Fam. VIII. ep. 8 et 10, post pugnam Pharsalicam Achaiam provinciam regendam accepit, Cic. ad Fam. VI. ep. 6, ex cuius muneris tempore scriptae sunt epistolae, Cic. ad Fam.

a. u. c. a. Ch. n.
695. 58. M. Aemilius Scaurus, M. F. [459]),
P. Plautius Hypsaeus, P. F. [460]).
696. 57. Q. Caecilius, Q. F., Metellus Pius Scipio [461]),
P. Vatinius [462]).

IV. ep. 3, 4, 5, 6. De eiusdem eloquentia vid. Cic. Brut. c. 40—42, conf. Ellendt. prolegom. p. 103—7.

459) De celeberrima Scauri Aedilitate copiosius tractavit Pigh. Ann. III. p. 561, sed Harduinus annum huius honoris dubitans (ad Plin. h. n. XXXVI. c. 8) eumque permutans cum a. 75 a. Ch., bene refutatur ab Eckhelio d. n. v. V. p. 152, qui duos eius collegaeque Aedilicii denarios ib. p. 576 accuratius descripsit. In suis ludis splendidissimis (Cic. de off. II. c. 16) Scaurus usus est centum quinquaginta pantheris variis, Plin. h. n. VIII. c. 17, primum Romanis quinque crocodilos temporario euripo ostendit, ibid. c. 26, tria millia signorum in scenam theatri temporarii produci iussit, ib. XXXIV. c. 7, quae praeterea trecentis sexaginta columnis marmoreis, etsi vix uno mense futurae in usu, ornata erat, ib. XXXVI. c. 2: itaque tam largiter Syllae vitrici sui thesauros effudit, ut Plin. postremo XXXVI. c. 15 addat, eum plane nescire, „num M. Scauri Aedilitas maxime prostraverit mores civiles, an maius fuerit Syllae malum, tanta privigni potentia, quam proscriptio tot millium": quibus verbis largior theatri Scauri descriptio adiuncta est. Conf. Valer. Max. II. c. 4. §. 6 de exquisitiore vestis genere in ludis adhibito, et §. 7 de praecipua athletarum certaminis munificentia. Caeterum Scaurus Praetor factus est a. 57, Cic. pr. Sext. c. 47 et 54, inde Sardiniam provinciam obtinuit, e qua rediens de repetundis accusatus et a Cicerone defensus est, v. Cic. pr. Scaur. fragm. et Ascon. argum., denique in Consulatus petitione reus de ambitu factus a. 54 repulsam passus est, Cic. ad Attic. IV. ep. 16.

460) Plautii Aedilitas in denariis, not. 450 laudatis, memoratur; partium Pompeianarum sectator, Cic. pr. Flacc. c. 9 et Cic. ad Fam. I. ep. 1, cum Milone Consulatum petit a. 55, Cic. ad Fam. II. ep. 6, sed deiectus est.

461) Q. Metellus Scipio Pontifex, Cic. de harusp. resp. c. 6, in medio ann. 52 Cn. Pompeio sine collega Consulatu fungenti in Consulis officio adiunctus est, Dio Cass. XL. c. 51.

a. u. c. a. Ch. n.

697. 56. P. Clodius, App. F., C. N., Pulcher [463]),
M. Claudius, M. F., Marcellus [464]).

698. 55. L. Aemilius Paullus, M. F. [465]),
[L. Sempronius Atratinus.]

699. 54. Cn. Plancius, Cn. F. [466]),
A. Plautius Silvanus [467]).

---

462) P. Vatinius Quaestor fuit a. 65, Tibunus Pl. a. 60, Cic. in Vat. c. 1 seq.; ad eius Aedilitatem alluditur ibid. c. 7; Consnl suffectus est a. 47, Dio Cass. XLII. c. 55.

463) De P. Clodii Aedilitatis petitione eiusque comitiis Cic. ad Att. IV. ep. 2 et 5, de muneribus Aediliciis Dio Cass. XXXIX. c. 18, Cic. ad Quint. II. ep. 2, ib. III, 2, de harusp. resp. c. 1, 5 seq. pl. l., Plutarch. Cic. c. 31—35, conf. Pigh. Ann. III, 380. Clodius ad plebem transiit, Tribunatuque ante Aedilitatem functus est, Liv. epit. l. CIII, Plutarch. Cat. min. c. 33, in tumultu notissimo a. 55 occisus est, Cic. pr. Ann. pl. l., Liv. epit. l. CVII, Dio Cass. l. cit. c. 21—30.

464) M. Marcellus Praetor factus est a. 55, Consul a. 51, Dio Cass. XL. c. 30 et 58 seq., Liv. epit. l. CVIII, Senatus Consult. h. ann. Cic. ad Fam. VIII. ep. 8; Pompeianas partes sequens et in exsilio vitam degens, Ciceronis oratione pro M. Marcello adhuc nobis exstante redeundi permissionem obtinuit, vid. ib. c. 1 seq., sed iam anno sequenti Athenis (a. 46) a cliente suo occisus est, Liv. epit. l. CXV.

465) L. Paullns Quaestor fuit a. 62, Cic. in Vatin. c. 10, Praetor a. 55, Cic. pr. Mil. c. 9, Consul a. 50, Dio Cass. XL. c. 63 seq., Cic. Fam. VIII. ep. 4, 10, 11, Plin. h. n. II. c. 43; a Triumviris proscriptus et occisus est a. 43, Liv. epit. l. CXX. Eius Aedilitatis mentio facta est apud Cic. ad Attic. IV. ep. 16 et Plin. h. n. XXXVI. c. 15.

466) Cn. Plancius Tribunatum militum habuit a. 62, Cic. ad Attic. I. ep. 12, Quaesturam a. 60, Cic. in Sen. p. red. c. 14, Aedilitatem accepit a. 54, sed statim a M. Iuventio Laterensi, competitore huius magistratus, de ambitu reus factus et a Cicerone defensus est, Cic. pr. Planc. c. 1 seq.

467) A. Silvanus Aedilitatem cum Plancio petiit, Cic. pr. Planc. c. 7, et eiusdem muneris denarii exstant apud Eckhel d. n. V. p. 278, qui consignati sunt: „Plaut. Aed. Cur. Ex.

a. u. c.	a. Ch. n.	
700.	53.	M. Favonius [468].
		[M. Livius Drusus.]
701.	52.	M. Aemilius Lepidus, M. F. [469],
		M. Claudius, M. F., Marcellus [470],
702.	51.	Q. Fabius, Q. F., Maximus [471],
		L. Manlius, L. F., L. N., Torquatus [472].
703.	50.	M. Coelius Rufus [473],
		M. Octavius, Cn. F., M. N. [474].

S. C." Tum Praetor factus est a. 51, Cic. ad Att. V. ep. 15. De T. Annio Milone Aedilitatem omittente Praeturamque iam hoc anno obtinente ludosque in hoc munere edente omnino consentio cum Pighio, (Ann. ad h. ann.).

468) Huius Favonii nummi Aedilitii memoratur apud Pigh. Ann. III. p. 404.

469) M. Lepidi eiusque collegae M. Marcelli denarii Aedilitii in fastis Golzianis et apud Vaillantium, num. famil. Roman. tom. I. Aemil. nr. 22, Claud. nr. 57 aspiciuntur, quibus templum et simulacrum Dianae fortasse huius templi restitutionem in Aventino ex S. Cons. factam significant, h. inscriptione: „M. Lepid. M. Marcell. Aed. Cur. Ex. S. C." Conf. Pigh. Ann. III, 412. Notissimum est, hunc Lepidum Magistrum equitum fuisse Dictatoris C. Iulii Caesaris a. 46, simulque eodem anno primum gessisse Consulatum, quem et in ann. sequentem continuatum accepit, tertium Consulem a. 42, Triumvirum reipublicae constituendae a. 45 usque ad a. 56, Dio Cass. XLIII seq. libri, Liv. epit. l. CXIX et CXX.

470) M. Marcellus solus in nummo not. 469 excitato memoratur, cf. Pigh. III. p. 412.

471) Q. Fabius post Aedilitatem Legatus Caesaris profectus est et in bello civili excelluit, quam ob rem Consul suffectus est a. 45, Dio Cass. XLIII. c. 55.

472) L. Torquatus, qui in iuventute accusator P. Sullae de ambitu gloria usus est, Praeturam obtinuit a. 49, Cic. Brut. c. 76 et pr. Sull. c. 2 seq.

473) M. Coelius Tribunus Pl. fuit a. 52, Cic. Brut. c. 79, Praetor peregrinus a. 48, Liv. epit. l. CXI, in bello civili propria culpa periit a. 48, Caes. bell. civ. III. c. 20 seq. Eius Ae-

Iam in capite secundo, Aedilium Plebeiorum nomina referente, admonuimus, h. a. concludi debere accuratam Romanorum hoc magistratu functorum seriem. Nil igitur nunc mihi restat, quam ut separatim perpauca nomina, quae in antiquis monumentis Aedilitate sive Curuli, sive simplici, ornatorum relicta sunt, his addam.

Ex a. u. c.	a. Ch. n.	
705.	48.	C. Albius Carrinas, C. Marcius Figulus, L. Cornelius Balbus Gaditanus [475]).
707.	46.	L. Cornelius Balbus, L. F., et Vopiscus Iulius Caesar [476]).
708.	45.	Q. Hortensius, P. Lentulus Sura [477]).
713.	40.	C. Sossius, C. F. [478]).

---

dilitas persaepe adtingitur in epistolis Ciceronis ad eum, hoc magistratu utentem, Cic. ad Fam. II. ep. 8—16, quarum quinque extremae Aedilitatis annum solum adtingunt, et Coelii epistolae ad Ciceronem, quae totum librum octavum ad Familiares suprascriptum componunt, ad Attic. V. ep. 25. Conf. Frontin. de aquaeduct. II. c. med. et Ellendt. proleg. ad Brut. p. 110—18.

474) M. Octavius Aedilitatem simul cum Coelio Rufo assequutus est, Cic. ad Attic. V. ep. 21, ad Fam. VIII. ep. 2.

475) Conf. Pighii Annal. III. p. 446.

476) Ille memoratur apud Plin. h. n. XXXVI. c. 7, hic quinquies reus et absolutus Cicerone defendente fuerat, sexta vice damnatus in exilium ivit; sed a C. Caesare rempublicam invadente cum aliis restitutus exsulibus Aedilitatem hoc fere anno gessit, Cic. Philipp. XI. c. 5; Caesare post biennium occiso, Antonii castra bello Mutinensi secutus ante tempus omissa Praetura ad Consulatum aspirare coepit, conf. Pigh. III. p. 455, et Varr. de r. r. I. c. 7.

477) Q. Hortensius et P. Sura in denariis argenteis reperiuntur, ap. Pigh. Ann. ad h. a., qui etiam siue teste L. Trebellium et L. Aelium Lamiam inter Aediles huius anni memorat.

478) C. Sossius Consul factus est a. 32, Dio Cass. L. c. 2.

Ex a. u. c.	a. Ch. n.	
715.	38.	P. Rutilius Lupus [479]).
716.	37.	M. Oppius [480]).
717.	36.	Q. Catulus [481]).
720.	33.	M. Vipsanius, L. F., Agrippa [482]).
726.	27.	M. Egnatius Rufus [483]).

479) P. Rutilius Lupus in denariis argenteis apud Golzium et Pigh. Ann. III. p. 488 aspicitur.

480) De M. Oppio, qui ob paupertatem a magistratu abiturus erat, sed ob suam animi probitatem a populo dilectus et voluntariis tributis sustentus, omnia munera et ludos etiam honorifice exsequi poterat, conf. Dio Cass. XLVIII. c. 53.

481) Q. Catuli Aedilitas colligitur ex denario argenteo in Golzii fastis a. u. c. 675, quem Pigh. Ann. III, 491 merito ad hunc attulisse videtur.

482) M. Agrippa, cuius res gestae magnam sui temporis historiarum partem reddunt, primum Consulatum iam quarto anno ante Aedilitatem (a. 57) gessit, Dio Cass. XL. c. 50. Munus Aedilitium ingenti sumtu eximioque splendore perfecit, quod fusius tertio capite tertii libri exponemus, vid. de eodem Plin. h. nat. XXXVI duobus locis, Dio Cass. XLIX. c. 45 et Frontin. de aquaeduct. II in fin. Secundum Consulatum accepit anno quinto post Aedilitatem, cui statim tertium a. 27 a. Ch. adiunxit, Dio Cass. LIII. c. 1 seq. Conf. Pigh. III. p. 498.

483) M. Egnatii vitam beviter complexus est Vell. Paterc. II. c. 91: „M. Egnatius per omnia gladiatori, quam Senatori propior, collecto in Aedilitate favore populi, quem exstinguendis privata familia incendiis in dies auxerat, in tantum quidem, ut ei Praetûram (a. 26 a. Ch.) continuaret, mox etiam Consulatum petere ausus: cum esset omni flagitiorum scelerumque conscientia mersus; nec melior illi res familiaris, quam mens foret; aggregatis simillimis sibi, interimere Caesarem statuit, ut, quo salvo salvus esse non poterat, eo sublato moreretur. Neque hic prioribus in occultando felicior fuit, abdicatusque carceri cum consciis facinoris, mortem dignissimam vita sua obiit." Conf. ibid. c. 92 et Dio Cass. LIII. c. 24, ex quo loco tamen patet, Velleium suo more Imperatoribus nimie blandiendi consueto, sedulo res tacuisse in hoc

Ex a. u. c. a. Ch. n.
729. 24. M. Claudius, M. F., Marcellus [484]).
731. 22. L. Domitius, Cn. F., Ahenobarbus [485]).

Circa hunc annum 731 a. u. c., 22 a. Ch. T. Septimius Sabinus Aedilitatem Curulem gessisse videtur,

---

munere laudabiliter gestas: „Ἀγορανομήσας καὶ ἄλλα τε πολλὰ καλῶς πράξας, καὶ ταῖς οἰκίαις ταῖς ἐν τῷ ἔτει ἐκείνῳ ἐμπρησθείσαις ἐπικουρίαν μετὰ τῶν ἑαυτοῦ δούλων καὶ μεθ᾽ ἑτέρων τινῶν μισθωτῶν ποιησάμενος, καὶ διὰ τοῦτο τά τε ἀναλώματα τὰ τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ προσήκοντα παρὰ τοῦ δήμου λαβών, καὶ Στρατηγὸς παρανόμως ἀποδειχθείς, ἐπήρθη τε ὑπ᾽ αὐτῶν τούτων κ. τ. λ.", unde Augustus indignatus hanc curam Aedilitati constituit propriam: „τοῖς δ᾽ Ἀγορανόμοις παραχρῆμα ἐπιμελεῖσθαί τε ὅπως μηδὲν ἐμπίπρηται, κἂν ἄρα τι τοιοῦτον συμβῇ, κατασβεννύναι τὸ πῦρ, προςέταξε".

484) M. Marcellus Octaviae Augusti sororis filius, Augusti edicto Aedilitatem ante annum legitimum cepit, Dio Cass LIII. c. 28, in quo munere forum velis, etiamsi nulli ludi celebrarentur, inumbravit, ut salubrius litigantes consisterent, aliaque munificentiae eximiae documenta ostendit: sed maximo Augusti dolore adhuc in Aedilitate mortuus est, Vell. Paterc. II. c. 93, Plutarch. vit. Marcell. c. 30, Dio Cass. l. cit. c. 30. Cum Marcello C. Calpurnius Aedilitate Curuli simul usus esse videtur, cuius iam in capite secundo ad ann. 23 a. Ch. mentio facta est, ut exempli singularis, quod p o s t maiorem Aedilitatem Plebeiam accepisset anni sequentis. Dio Cass. loc. c. c. 33.

485) L. Domitius, Neronis Caesaris avus, „arrogans, profusus ac immitis, in munere Aedilitio L. Plancum Censorem via sibi decedere iussit, Praeturae (a. 19 a. Ch.) Consulatusque (a. 16 a. Ch.) honore equites Romanos matronasque ad agendum mimum produxit in scenam, venationesque et in Circo maximo et in omnibus urbis regionibus dedit: munus etiam gladiatorium, sed tanta saevitia, ut necesse fuerit Augusto clam frustra monitum edicto coërcere", Sueton. v. Neron. c. 4. De huius Aedilitatis anno ex Planci Censura conf. Dio Cass. LIV. c. 2, ex quo loco praeterea patet, in eodem anno Aedilibus Curulibus incendiorum exstinguendorum curam, sexcentorum servorum publicorum auxilio administrandam, demandavisse Augustum; Domitii Consulatus memoratur apud Dion. Cass. LIV. c. 19.

qui Herculis statuam, iuxta rostra a Lucullis dedicatam, ex privato in publicum restituit [486].

Ex a. 732 a. u. c., 21 a. Ch. C. Ar. Flavianus Aedilis Curulis in antiquo monumento dicitur [486 a]).

Ex a. 733 a. u. c., 20 a. Ch. nomina quidem Aedilium Curulium non comperimus ex fontibus, sed eosdem in Augustalibus magnum equorum cursum privatim instituisse, ferarumque edidisse venationes nobis relatum est [487]).

Ex a. 735 a. u. c., 18 a. Ch. Aedilis cuiusdam nomen tacuit Dio Cassius [488]), quippe qui ex paupertate muneri sumtuoso non sufficiens, sua sponte hoc magistratu se abdicavit.

Ex a. 740 a. u. c., 13 a. Ch. Aediles Curules, quorum nomina identidem omissa sunt, sub malis auspiciis creati, magistratu se abdicare debuerunt, sed in eodem anno, comitiis denuo institutis, contra mores patrios Aedilitatem rursus ceperunt [489]).

In a. 744 u. c., 9 a. Ch. Senatusconsultorum custodia ex Aedilium curis ad Quaestores translata est [490]).

---

486) Plin. h. n. XXXIV. c. 8.

486 a) Huic Aedili annus certus apparet Consulibus citatis in inscriptione apud Gruterum p. 10. nr. 2, quae ita legitur:

I. O. M.
ET. LARIBUS. PUT. CIV.
C. AR. FLAVIANUS. AED. CUR.
CUM. BASI. ET. HYPOBASI.
D. D.
DEDICATUM.
L. ARRUNTIO. ET. C. CLAUD. MARCELLO. COSS.

487) Dio Cass. LIV. c. 8.

488) Ibid. c. 10.

489) Ibid. c. 24.

490) Ibid. c. 36.

At ex a. 758 u. c., 5 p. Ch. Dio Cassius iam testatur[491]), nullum sedulo Aedilitatem petere voluisse, unde quidam Quaestorii sive Tribunicii ad munera Aedilicia sumtibus publicis perficienda adacti sunt. C. a. 12 post Ch. n. (765 a. u. c.) L. Turpilius, L. F., Geminus inter Aediles reperitur[492]); a. 22 p. Ch. n. (775 u. c.) Brutidius Niger[493]); ex a. 25 p. Ch. n. Aedilium nominatim non relatorum, uti Cremuti Cordi libros cremantium, mentio fit apud Dionem Cassium[494]);

---

491) Ibid. LV. c. 24: „ἐπειδή τε μηδεὶς ἀγορανομῆσαι ἑκὼν ἤθελεν, ἠναγκάσθησαν ἔκ τε τῶν τεταμιευκότων καὶ ἐκ τῶν δεδημαρχηκότων κλήρῳ τινὲς αὐτὸ ποιῆσαι· καὶ τοῦτο καὶ ἄλλοτε πολλάκις ἐγένετο."

492) Ex antiqua inscriptione apud Pigh. Ann. s. a. 765 colligitur, statuam Germanico Caesari Consuli a L. Turpilio Aedile positam fuisse; huius titulus talis est:

GERMANICO. CAESARI.
TI. F. AUG. N.
DIVI. IULI. PRON.
COS.
L. TURPILIUS. L. F. GEMINUS.
AED. D. S. P.

493) Brutidius Niger Aedilis inter accusatores C. Silani Asiae Proconsulis, repetundarum a sociis postulati, nominatus est apud Tacit. Annal. III. c. 66: „artibus honestis copiosus, et, si rectum iter pergeret, ad clarissima quaeque iturus, sed festinatio eum exstimulabat, dum aequalis, dein superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parat: quod multos, etiam bonos, pessum dedit, qui spretis, quae tarda cum securitate, praematura vel cum exitio, properant." Meminerunt eius, ut rhetoris historiarumque auctoris et Seneca in suasoria de morte Ciceronis, et Iuvenalis Satyr. X. c. 82, ubi multa de Seiani damnatione, ob cuius amicitiam Brutidium paulo post supplicio affectum esse insinuat, cum dicit: „perituros audio multos. Nil dubium, magna est fornacula pallidulus mi Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram" e. q. s.

494) Dio Cass. LVII. c. 24, conf. Tacit. Agricol. c. 2 et Annal. V. c. 85.

denique a. 31 p. Ch. Abudius Rufo[495]), et a. 37 (790 u. c.) T. Flavius Vespasianus[496]), qui postea Imperator Augustus factus est, in hoc magistratu memorantur. Perpaucos Aediles adhuc serioris aevi, ex inscriptionibus apud Gruterum erutos, in capite ultimo libri primi pag. 131—32 iam nominavimus[497]).

495) Abndinm memorat Tacit. Ann. VI. c. 30 Aedilitate functum esse, et biennio post accusavisse Cn. Gaetulicum, sub quo legioni praefuerat, quod is Seiani filium destinasset generum: ob quam calumuiam Abudius tum damnatus et urbe pulsus fuit.

496) Vespasiani Aedilitatis, qnam non sine repulsa, sextoque demum loco adeptns est, mentionem faciunt Dio Cass. LIX. c. 12 et Sueton. Vesp. c. 2.

497) Sed hio schedis non diligenter perspectis nomina praetermissa sunt Q. Vibennae Quieti et Ti. Claudii Magni, Aedilium sub tertio Traiani Imperatoris Consulatu (i. e. 100 p. Ch.), qui in inscriptione quadam ap. Gruterum p. 41. nr. 7 exstant.

LIBER TERTIUS.

AEDILIUM MUNERA AC CURAE.

CAP. I.

QUONAM MODO AEDIUM SACRARUM CURAE, DEORUM CULTUI RITE OBSERVANDO ET SCRIPTORUM PUBLICORUM CUSTODIAE PRAEFUERUNT AEDILES?

Priusquam singulis Aedilium muneribus accuratius describendis accingimus, inprimis perquirendum videtur, quibus cum aliis magistratibus in officio peragendo saepe confundantur Aediles, quodque igitur discrimen in horum illorumque administratione e fontium auctoritate annotari possit. At praeter quosdam administros inferiores vix alii magistratus proferri possunt in medium, quam Censores ac Praetores, qui sane in variis muneribus tam communiter egerunt cum Aedilibus, ut difficillime cuiusque auctoritatis fines in rebus perficiendis segregare conaremur: unde etiam sine ullo periculo factum est, ut in reipublicae administratione labenti, Aedilitatisque existimatione simul cadenti, illi horum curas tam in aedificiis, quam in ludis faciendis ceterisque rebus ad urbem ornandam spectantibus prorsus susciperent atque explerent. Attamen nemo sufficientem Censurae ac Praeturae descriptionem exspectabit in hoc libro; nam nusquam horum magistratuum aliter mentio fiet, nisi, ut curae Aediliciae explicarentur, hoc loco necesse fuisse arbitratus sim. Sed prae ceteris ad Ciceronem de hac re

provocare assolent antiquarii, quod in libro tertio de legibus [1]) quoddam discrimen inter Censores ac Aediles statuere voluit, atque Praetoribus solam iurisdictionem vindicavit. Nam de Censoribus ait: „urbis templa, vias, aquas, aerarium, vectigalia tuento,....... mores populi regunto". Quae autem verba, notissimas Aedilium curas complectentia, nullo modo legum ipsarum loca, quemadmodum Creuzerus [2]) postulavit, existimarentur vellem, sed tantummodo Ciceronis sententiam de necessaria Censurae constitutione produnt, de qua certo optasse videtur, ut legis vim acciperet, quod et ipse inferius professus est, sicuti sententiam ipsam ex Romanorum magistratuum exemplo iam obversanti cepit. Porro si quidem Cicero in eodem capite Aediles per „curatores urbis, annonae ludorumque solennium", tanquam hae curae eidem officio maxime propriae essent, transtulit, haudquaquam tamen his verbis colligi potest, oratorem, legislatoris partes agentem, severiorem distinctionem inter utramque auctoritatem nobis proponere voluisse. Quid enim significant curatores urbis? Censoresne eodem iure, quia hos urbis templa, vias, aquas tuentes, populi mores regentes dixit, appellentur curatores urbis? Nonne scimus Praetores quoque iam in reipublicae florentis temporibus quibusdam praefuisse ludis solennibus? Neque melius faciemus, si Pomponium [3]), sive alium auctorem antiquum sequentes, ulla definitione rem ad finem perducere credamus. Sed potius antiquitatis testimoniis iusto perpensis, sine omni dubitatione pronunciare possumus, nullum magistratum

1) Cic. de leg. III. c. 3.

2) Röm. Antiquit. p. 100.

3) Qui de orig. iur. §. 17 et 22 Censores solummodo censui instituendo praefectos, sicuti Aediles nonnisi aedium cura occupatos novit.

fuisse apud Romanos, cuius officium arctis finibus penitus ita seclusum esset ab aliis, ne licitum fuisset, aut saepe etiam postulatum esset, ut alterius provinciae appropinquaret opitulareturque, sive quadam alterius muneris cura, sicuti propria antiquitus demandata, ipse fungeretur. Ex exemplis igitur peculiariter comprobare possumus, in quibus curis ac qua aetate res vulgariter perveniret ad Aediles, et qua ratione Aediles, interdum Censoribus subiecti, opera ab his incepta vel etiam eorum demandata persequerentur.

Quod quidem ad aedium sacrarum curam pertinet, nemo nunc sententia Hotomanni [4]) favebit, qui hanc s o l a m Aedilibus Curulibus oblatam esse censuit, qua quum et diu ante Curules institutos Aediles Plebeii usi essent [5]), et postea communiter administrata semper gauderent, quemadmodum ex pluribus exemplis constat. Sed Aediles in nulla cura proprium muneris officium transgredi poterant, i. e. providendi, ne quid mali in iis, quae tueri deberent, accideret, ac procurandi, ut omnia ex legibus statutis populique voluntate legitime pronuntiata, peragerentur. Primum igitur Aediles curabant, ut aedes sacrae, quotquot Romae essent, semper integrae servarentur [6]); neque autem eorum erat, maiora templorum vitia, ruinam ullius partis

---

4) De Roman. magistr. Graev. thes. A. Rom. II. p. 1863.

5) Dionys. Halicarn. VI. c. 90 de Aedilium Pl. institutione: „ἱερῶν τε καὶ δημοσίων τόπων καὶ τῆς κατὰ τὴν ἀγορὰν εὐετηρίας ἐπιμελησομένους". Magis etiam dignitatis nomine ipso, magistratui Plebeio iam diu adsueto, demonstratur, aedium sacrarum curam utrique Aedilitati esse demandatam. Conf. supra p. 153—54.

6) Videas de sacrarum aedium procuratione Ciceronis (Verr. II. l. 5. c. 14), Varronis (ling. lat. IV. c. 14), Festi ac Theophrasti Instit. testimonia iam supra prolata p. 152—56. Conf. praeterea Reizii not. ad h. Theophrast. locum.

aedificii testantia, propria reficere auctoritate, sed rem ad Senatum referre debebant, qui pecuniae publicae summam assignabat, et Censores [7]), tanquam summos redituum publicorum curatores, interdum etiam Consules [8]), iubebat, ut templa reficienda [9]), sive modo exornanda atque in tali statu semper tuenda [10]) locarent. Inde cura ad Aediles rediit, qui diligenter observare debebant, ut aedificium ex pacto publicoque commodo optime restitueretur, nec minus vulgariter opus perfectum a redemtoribus excipiebant. Raro quidem factum est, et, ut videtur, seculo demum ul-

7) At certo ante Censuram institutam Senatus rem statim Aedilibus reddidit, ut aedificium perficerent: sed ex hoc tempore ob fontium inopiam nulla exstant exempla.

8) Quod tamen ante bella civilia vix factum esse existimo; sed ex a. 75 a. Ch. Cicero exemplum praebet, Verr. II. l. 1. c. 50: „Quum L. Octavius, C. Aurelius Consules aedes sacras locavissent, neque potuissent omnia sarta tecta exigere, neque ii Praetores, quibus erat negotium datum".

9) Liv. XXIX. c. 37: „Censores sarta tecta acriter et cum summa fide exegerunt, viam e foro Boario ad Veneris et circa foros publicos, et aedem Matris magnae in Palatio faciendam locaverunt." Idem XLV. c. 15: „Censoribus petentibus, ut ex instituto ad sarta tecta exigenda, et ad opera, quae locassent, probanda, anni et bimensis tempus prorogaretur. Conf. Id. XLII. c. 3 et Fest. s. v. Sarta.

10) Censores per plures annos aedem locavisse tuendam, cognoscitur ex P. Iunii exemplo, Cic. Verr. II. l. 1. c. 50 seq., qui aedem Castoris habuit tuendam, unde post eius mortem filius pupillus totum aedis apparatum per tutorem Praetori, extra ordinem ad hoc negotium designato tradere debuit: „Iste (Verres) ad se Rabonium (tutorem) vocat; quaerit, ecquid sit, quod a pupillo traditum non sit, quod exigi debeat. Quum ille id quod erat diceret, facilem pupillo traditionem esse, signa et dona comparere omnia, ipsum templum omni opere esse integrum." Et paullo infra: „Venit ipse in aedem Castoris, considerat templum, videt undique tectum pulcherrime laqueatum, praeterea cetera nova atque integra."

timo reipublicae liberae, ut extra ordinem proprio Senatusconsulto Praetoribus [11]) negotium Aedilicium, operis a Censoribus locati traditionem suscipiendi ac inspiciendi daretur. Quam rem non male antiquum Asconii scholiastae testimonium [12]) verbis disertis reddit manifestam: „Harum rerum cura propria Censoribus datur, id est sartorum tectorum exigendorum. Verum haec tueri et procurare quum ceteris item tum publicis tum privatis operibus Aedilium cura est annua. Praetores, nisi Senatus decrevit, de hac re minus laborant." Quis autem ex prolatis exemplis non videt, officium Senatus, Censorum, Aedilium ac Praetorum plane diversum fuisse in aedibus sacris tuendis, etsi omnes templorum curatorum nomen mereantur? [13]) Neque igitur mirum est, nummos in memoriam templorum refectorum excusos Aedilium solummodo ostendere nomina [14]), quum eorum opera per quemque diem adiuvaret restitutionem, atque felix aedificii successus eos merito in honorem adduceret, Censores au-

11) Da hoc munere extraordinario optime edocemur a Cicerone, Verr. II. l. 1. c. 49—58, ubi c. 50 Senatusconsultum ipsum perhibetur: „factum est S. C., quibus de sartis tectis cognitum et iudicatum non esset, uti C. Verres, P. Caelius Praetores cognoscerent et iudicarent". Conf. ib. c. 40 et l. c. 4 et Ascon. schol. ad h. loc.

12) Ad Cic. Verr. II. l. 1. c. 51.

13) Aliter hanc rem tractat Dirksenius, Civil. Abhandl. I. p 151.

14) Videas nummum ab Aedilibus Curulibus M. Lepido et M. Marcello Aemiliis in Dianae templi Aventini restituti memoriam a. 52 a. Ch. recusum apud Vaillant. de numm. aut. fam. Rom. 703 fol. I. sub Aemil. nr. 22 et Claud. nr. 57; tum C. Sempronii Tuditani, in sella Curuli sedentis, nummum Aedilicium in memoriam cuiuspiam templi Iovis refecti consignatum a. 138 a. Ch. apud Vaillant. l. cit. II. p. 584 sub Sempron. Conferas, quae supra de his Aedilibus s. ann. notat. in fastis Aediliciis annotavi.

tem vix unius horae cura nil nisi operis redemtionem curarent.

In novis templis faciendis res plane alia erat. Nam plurima ex voto aedificabantur, sive proprio, sive reipublicae nomine facto, de quibus per se intelligitur, voventem inprimis ad opus perficiendum adhibuisse curam, quod in multis quoque exemplis, ubique nobis occurrentibus, apud Livium legitur [15]). Attamen in iis, quae publico voto, et Senatu consulto ex aerario publico [16]), vel pecunia a populo victo collata [17]), facienda erant, haud dubie Aedilium cura non deerat [18]).

---

15) Quoties factnm est, nt aedes, quam quidam in Praetura vel Consulatu voverat, in Censura demum sive Dictatura eiusdem facienda locaretur. Ex. gr. „L. Furius Purpureo in Consulatu Iovis aedem locavit, quam sex annis ante Praetor Gallico bello voverat", Liv. XXXIV. c. 45. „P. Sempronius Censor aedem Fortunae Primigeniae locavit, quam decem annis ante Punico bello in Consulatu voverat", ibid. c. 53. „M. Livius Censor Iuventatis aedem locavit, quam tribus annis ante in Consulatu ob victoriam de Hasdrubale reportatam voverat", ibid. XXXVI. c. 36. „Q. Fulvius Flaccus aedem Fortunae equestris, quam in Hispania Praetor voverat, in Censura usque ad finem perduxit", ibid. XLII. c. 3. Sed etiam reperitur, alios Duumviros proprie creatos aedem votam locavisse faciendam, Liv. VII. c. 28 et XL. c. 44; vid. not. 17.

16) Quemadmodum in ludis quoque votivis faciendis assuetum erat, conf. Liv. XXXI. c. 9, XXXVI. c. 36, et XL. c. 34.

17) Liv. XL. c. 44: „Q. Fulvius Consul prius quam ullam rem publicam ageret, liberare et se et rempublicam religione votis solvendis, dixit, velle; vovisse, quo die postremum cum Celtiberis pugnasset, ludos Iovi optimo maximo, et aedem Equestri Fortunae sese facturum: in eam rem sibi pecuniam conlatam esse ab Hispanis. Ludi decreti, et ut Duumviri ad aedem locandam crearentur."

18) Exemplum contrarium praebet ex tempore antiquo Macrobius Saturnal. I. c. 8 de aede Saturni, quam ad forum

Quaedam autem templa ex argento multaticio exstruebantur, inprimisque ex pecuariis populi iudicio damnatis, quae, quum hae mulctae iam per se Aedilium arbitrio permissae essent, peculiariter ex huius magistratus consilio condenda [19]) et ab iisdem locanda erant [20]). Sed simulatque aedificium perfectum erat, sive a Censoribus, sive a quodam magistratu vovente, sive ab Aedilibus ex multaticia pecunia locatum, eius dedicatio pertinuit ad superiores magistratus [21]), tum

---

faciendam ex Varronis Antiq. l. VI de sacris aedib. L. Tarquinius rex locasse, ex C. Gellii annalibus Senatus decrevisse dicitur. Huic aedificandae L. Furium Tribunum militum praefuisse traditur, qui haud dubie L. Furius Medullinus fuit, septies Tribunus militum Cons. potest. factus, Liv. V. c. 32. Sed si huius aetatis statum turbulentum, maiorem summo magistratu ornatorum numerum et rei gravitatem percenseas, sane fieri potuit, ut tum facillime exceptio vulgaris Aedilium officii exoptata esset.

19) Liv. XXXIII. c. 42: „Aediles Pl. ex pecuariorum multaticia pecunia aedem in insula Fauni fecerunt." Conf. quae infra c. 5 h. libri de argento multaticio disseremus.

20) Ibid. XXXIV. c. 53: „Aediles Pl. aedem in insula Fauni biennio ante ex multaticio argento faciendam locaverant."

21) Quod in temporibus antiquioribus tantummodo ex usu factum, neque propria lege sancitum erat. Itaque Cn. Flavius, ille notissimus Aedilis Curulis, qui ex infima gente ortus, magno populi favore ingentem Patriciorum iram adversus se excitavit, in hoc magistratu aedem Concordiae in area Vulcani summa invidia nobilium dedicavit: „coactusque consensu populi Cornelius Barbatus Pontifex Maximus verba praeire, quum more maiorum negaret, nisi Consulem aut Imperatorem, posse templum dedicare. Itaque ex auctoritate Senatus latum ad populum est, ne quis templum aramve iniussu Senatus aut Tribunorum Pl. partis maioris dedicaret." Liv. IX. c. 46.

Praetores [22]), tum Consules [23]), tum Censores [24]) ac Dictatores [25]), tum denique Duumviros, proprie ad aedem dedicandam creatos [26]), qui tamen semper e Consularibus Praetoriisve assumebantur, ac persaepe ex iis, qui ipsi in magistratu inferiore has aedes sacras faciendas vel voverant vel locaverant, aut ex filiis eorum [27]), qui praeterea, si duae aedes dedicarentur, cuique singuli fungebantur officio [28]): inde templa dedicata Aedilium curae, sicuti vetera, demandabantur. Quemadmodum autem haec omnia iam sub primo Imperatore Augusto permutata sunt, comperimus tum ex monumento Ancyrano [29]), tum ex Ta-

22) Liv. XXXIV. c. 53: „Cn. Domitius Praetor aedem Fauni dedicavit, quam Aediles biennio ante locandam curaverant."

23) Liv. VII. c. 5, IX. c. 46.

24) Liv. XXXIV. c. 53.

25) Liv. VII. c. 5, IX. c. 46.

26) Hi Duumviri antiquitus in universum sacris faciundis creabantur, Liv. III. c. 10, V. c. 13, VI. c. 7; tum proprio aedis dedicandae negotio, ibid. XXIII. c. 30, XXXIV. c. 53, XXXVI. c. 36, XL. c. 34, et p. a. l.

27) Quod apparet ex plurimis exemplis in notis antecedentibus prolatis, e. g. Liv. XL. c. 34, et al.

28) Liv. XXIII. c. 31: „interea Duumviri creati sunt, Q. Fabius Maximus et T. Otacilius Crassus, aedibus dedicandis, Menti Otacilius, Fabius Veneri Erycinae."

29) Quod vulgariter in maioribus Suetonii editionibus additum est. Vid. fragm. IV: „Curiam et continens et Calchidicum templumque Apollinis in palatio cum porticibus, aedem Divi Iulii, lupercal, porticum ad Circum Flaminium, quem sum appellari passus ex nomine eius, qui priorem aedem in solo fecerat, Octaviani pulvinar ad Circum Maximum, aedes in Capitolio Iovis Feretrii et Iovis Tonantis, aedem Quirini, aedes et Iunonis . . . . . et Iovis libertatis in Aventino, aedem Larum in summa sacra via, aedem Deum Penatium in Velia, aedem Iuventatis, aedem Matris Magnae Deae in Palatio feci." e. q. s.

cito [30]), e quibus et aedis sacrae reficiendae seu aedificandae consilium, et dedicationem semper fuisse in Imperatoris auctoritate apparet, ita ut sola Aedilium cura in aedificatione quotidie inspicienda restaret.

At non modo in externis aedium sacrarum rebus tenebantur Aediles, sed etiam religionis ipsius rituumque sacrorum sancte observandorum cura praecipue iisdem commissa erat, quod iam supra [31]) a nobis demonstratum est. Sed in hoc quoque munere aliorum magistratuum provincias Aediles attingere debebant, quum et Censores in universum de ritibus patriis observarent, atque in omnes hos excedentes animadverterent [32]); et Consules [33]) ac Praetores, praecipue qui-

---

30) Annal. II. c. 49 de Tiberio: „Iisdem temporibus Deum aedes, vetustate aut igni abolitas, coeptasque ab Augusto dedicavit, Libero Liberaeque et Cereri iuxta Circum Maximum, quem A. Postumius Dictator voverat; eodemque in loco aedem Florae, ab Lucio et Marco Publiciis Aedilibus constitutam; et Iano templum, quod apud forum olitorium C. Duilius struxerat, qui primus rem Romanam prospere mari gessit, triumphumque navalem de Poenis meruit. Spei aedes a Germanico sacratur; hanc Atilius voverat eodem bello."

31) Vid. p. 171—73 et 176—78.

32) Dionys. Halicarn. fragm. libr. XX. nr. 5: „Ῥωμαῖοι δὲ πᾶσαν οἰκίαν ἀναπετάσαντες, καὶ μέχρι τοῦ δωματίου τὴν ἀρχὴν τῶν Τιμητῶν προαγαγόντες, ἁπάντων ἐποίησαν ἐπίσκοπον καὶ φύλακα τῶν ἐν αὐταῖς γενομένων· οὔτε δεσπότην οἰόμενοι δεῖν ὠμὸν εἶναι περὶ τὰς τιμωρίας οἰκετῶν· . . . . οὐκ ἀσελγείας καὶ φθορᾶς ἡλικιῶν νέων· οὐχ ἱερῶν ἢ ταφῶν προγονικὰς τιμὰς ἐκλιπούσας."

33) Liv. XXXIX. c. 14: „Quaestionem deinde de Bachanalibus sacrisque nocturnis extra ordinem Consulibus mandant"; et ibid. c. 16 ex oratione Consulis alterius: „Senatus quaestionem extra ordinem de ea re mihi collegaeque meo mandavit".

dem urbanus 34), extra ordinem populum alienis religionibus prohibendi negotium acciperent. Nihilominus tamen illud discrimen notandum est, quod Aediles hanc curam semper exercerent, et quotidie custodirent, ne ritus sacri in locis publicis aut intra parietes aliter, quam patrio sanctoque more colerentur 35), unde eorum officium ab iis postulabat, ut statim in loco externa religione inquinato „adparatus sacrorum disiicerent, sacrificantesque vi emoverent e loco" 36): quod autem Censores poenam solam de huius criminis noxiis, ab Aedilibus iam notatis, pronuntiarent, et ex Romanorum civium moverent numero, sicuti Consules Praetoresque tantummodo in necessitate extrema, ubi Aedilium auctoritas non amplius sufficere potuit, at-

---

34) Liv. XXV. c. 1: „Ubi (a. 215 a. Ch.) potentius iam esse id malum adparuit, quam ut minores per magistratus sedaretur, M. Atilio Praetori urbis negotium ab Senatu datum est, ut his religionibus populum liberaret. Is et in concione Senatusconsultum recitavit et edixit, ut, quicunque libros vaticinos precationesve, aut artem sacrificandi conscriptam haberet, eos libros omnes litterasque ad se ante Calendas Apriles deferret: neu quis, in publico sacrove loco, novo aut externo ritu sacrificaret."

35) Liv. IV. c. 30 ex a. 425 a. Ch.: „datum inde negotium Aedilibus, ut animadverterent, ne qui, nisi Romani Dii, neu quo alio more, quam patrio, colerentur." Cic. de harusp. resp. c. 13. §. 27: „nihil te (P. Clodi) igitur, neque maiores tui, coniuncti cum his religionibus, neque sacerdotium ipsum, quo est haec tota religio constituta, neque Curulis Aedilitas, quae maxime hanc religionem tueri solet, permovit, quo minus castissimos ludos omni flagitio pollueres, dedecore maculares, scelere obligares?"

36) Conf. Liv. XXV. c. 1 (vid. not. 34), ubi primum Aediles socios assumserunt Triumviros capitales, quibus triginta quoque annis posterius in tali re mandatum est, ut vigilias disponerent per urbem, servarentque, ne qui nocturni coetus fierent, ibid. XXXIX. c. 14.

que superstitio non modo Romam, sed totam Italiam corruperat 37), quaestionem, et tum etiam semper ex proprio Senatusconsulto 38), de his coetibus vetitis haberent. Attamen quaestione perfecta res ulterius persequenda ac custodienda rursus ad Aediles veniebat, quod alterum Livii exemplum 39) luculenter nos docet: „Consules Aedilibus Curulibus imperarunt, ut sacerdotes eius sacri omnes conquirerent, comprehensosque libero conclavi ad quaestionem servarent; Aediles Pl. videre, ne qua sacra in operto fierent": sed negotii divisionem inter Aediles Curules et Plebeios tum factam, non nisi casu oblatam esse censeo.

Ad hanc sacrorum curam internam adtrahi debet, quod Aediles per totum reipublicae liberae tempus in supplicationibus potionem murratam Diis ad pulvinaria addere 40) solerent. Vulgariter etiam Aedilibus iuben-

---

37) Liv. XXXIX. c. 14: „sacerdotes eorum sacrorum, seu viri seu feminae essent, non Romae modo, sed per omnia fora et conciliabula conquiri, ut in Consulum potestate essent; edici praeterea in urbe Roma, et per totam Italiam edicta mitti, ne quis, qui Bacchis initiatus esset, coisse aut convenisse caussa sacrorum velit, neu quid talis rei divinae fecisse."

38) Quemadmodum Senatus in omnibus periculis gravissimis, ab magistratibus ordinariis ex eorum officio relatis, consuetum agendi modum, quasi tunc non efficacem, relinquere solitus est, et praesenti casui proprium destinavit.

39) Liv. XXXIX. c. 14, quibuscum extrema verba ex Consulis oratione c. 16 coniungas: „Quoties hoc patrum avorumque aetate negotium est magistratibus datum, ut sacra externa fieri vetarent, sacrificulos vatesque foro, circo, urbe prohiberent, vaticinos libros conquirerent comburerentque, omnem disciplinam sacrificandi, praeterquam more Romano, abolerent?"

40) Varron. antiq. human. libr. I. fragm. ep. Festum (legitur etiam Varr. oper. edit. Bipont. I. p. 204): „Murrata potione usos antiquos indicio est, quod etiam nunc Aediles per

tibus aeditui aedes sacras aperuisse videntur, si res extraordinariae praeter dies festos sacraque consueta populum ad Deos salutandos, gratiamque iis agendam adducerent: quod etiam Praetore urbano edicente interdum factum est, sicuti de egregia victoria de Carthaginiensibus reportata, atque Syphace Numidiae rege multisque primoribus captivis Romam adductis comperimus [41]). Sed vasa aurea argenteave quum ex populorum subactorum victoriis, aut a sociorum legationibus Romam deportarentur, ea per templa, in quibus necessaria viderentur, dividere ac in iis reponere, pro-

---

supplicationes Diis addunt ad pulvinaria et quod duodecim tabulis cavetur, ne mortuo indatur." Conf. Dirksen. Fragm. d. zwölf Tafeln p. 661 seq. et Boxmann de leg. sumtuar. p. 27. Sed hac occasione oblata duos alios Varronis locos, quorum alter persaepe cum rebus Aedilicis commixtus est, sed omnino non coniungi potest, alter saltem ad Romanos Aediles non adtrahi debet, omittere nolumus. Primus autem locus exstat in Catonis de liberis educandis fragm. Oper. I. p. 319: „Cum primores cibo et potione initiarent pueros, sacrificabantur ab Aedilibus (?) Edusae et a potione Potinae nutrices": quae verba sic lecta sane omni carent interpretatione. Sed vix dubie ita a Varrone scripta esse censeo: „Sacrificabant ab eduliis (quod iam Gesnerus in thes. ling. lat. emendavit, sacrificabantur tamen servavit, et nutrices in nutrici permutavit) Edusae, et a potione Potinae nutrices." Alter autem locus, quem non ex Romanorum Aedilitate illustrandum esse velim, exstat in satyr. Eumenides, fragm., quod legitur ap. Nonium sub v. gallare, Varr. oper. I. p. 275: „Cum illo vento video Gallorum frequentiam in templo, qui dum (ex Ausonii Popmae coniectura, cuius adnotationem aptissimam ad h. l. afferas velim ex edit. Bipont. II. p. 557) aes, sena phora iam adlata erat, imponeret Aedilis signosiae, Deam gallantes vario retinebant studio."

41) Liv. XXX. c. 17: „Itaque Praetor extemplo edixit, uti aeditui aedes sacras omnes tota urbe aperirent, circumeundi, salutandique Deos, agendique grates per totum diem populo potestas fieret."

prium erat Censorum [42]). Quod sane potius cura Aedilicia haberi posset, praesertim quum aedes signis ornandas curarent [43]), et alioquin malis prodigiis renunciatis, si Dii ex haruspicum responso dono votivo, sive statua, sive vase quodam ad usum sacrum destinato, placarentur, Aediles edicere deberent, quinam et quomodo stipem conferrent, et quodnam perficeretur donum [44]).

Denique in aedibus sacris Aediles tabulas publicas, ac inprimis Plebiscita, Senatusconsulta ac leges, asservandas ex prima eorum institutione curabant [45]):

---

42) Ibid. XLII. c. 6: „Quaestores urbani stipendium, vasa aurea Censores acceperunt: eisque negotium datum est, ut ponerent ea, in quibus templis videretur." Sed Censores etiam curarunt, ut sacella publica, quum Aedilium negligentia a privatis occupata essent, publica sacraque restituerentur, rursusque paterent populo, Liv. XL. c. 51.

43) Huc pertinere videtur Cic. de natur. deor. I. c. 9: „Quid autem erat (sciscitatur Epicuraeus Stoicum), quod concupisceret deus mundum signis et luminibus, tanquam Aedilis, ornare?" Certo enim lectio vulgaris h. l. vindicanda est, quam Schneiderus atque Heindorfius, annuente etiam Schützio, repudiarunt, coniecturamque tanquam aedes tueri voluerunt: eademque ex caussa contra Ernestium pugno, qui et luminibus se offendi censuit: nam utraque lectio integre servata, huic loco vitam praebet veriorem.

44) Liv. XXVI. c. 37: „Tacta de coelo aedes in Aventino Iunonis Reginae: prodigiumque id ad matronas pertinere, aruspices cum respondissent, donoque Divam placandam esse; Aedilium Curulium edicto in Capitolium convocatae, quibus in urbe Romana, intraque decimum lapidem ab urbe, domicilia essent, ipsae inter se quinque et viginti delegerunt, ad quas ex dotibus stipem conferrent. Inde donum pelvis aurea facta, lataque in Aventinum, pureque et caste a matronis sacrificatum."

45) Vid. supra p. 154—55 et 158—59, et Livii Zonaraeque locos ibi exscriptos, qui cuncti ad seculum quintum a. Ch. n.

cui muneri tamdiu iidem semper praeerant, quam respublica perstitit libera. Tum autem Octavianus Augustus a. 10 a. Ch. propter Aediliciorum scribarum viatorumque negligentiam, qui, ut dicebatur, magnam perturbationem tabulis immisceri publicis passi erant, hanc curam demandavit Quaestoribus aerarii [46]. Inde ea permansit huic magistratui usque ad Neronem, qui tabularum publicarum custodiam a Quaestoribus ad Praefectos aerarii tulit [47]: ex quo tempore utraque cura et tabularum publicarum et aerarii semper coniuncta exstitisse videtur [48], donec administra-

---

pertinent. Conf. et Pompon. de orig. iur. §. 21: „itemque ut essent, qui aedibus praeessent, in quibus omnia scita sua plebs deferebat, duos ex plebe constituerunt, qui etiam Aediles appellati sunt."

46) Dio Cass. LIV. c. 36: „καὶ τοῖς Ταμίαις τὰ δόγματα ἑκάστοτε γίγνομενα διὰ φυλακῆς ποιεῖσθαι ἐκελεύσθη· ἐπειδὴ οἵ τε Δήμαρχοι καὶ οἱ Ἀγορανόμοι οἱ πρότερον αὐτὰ ἐπιτετραμμένοι, διὰ τῶν ὑπηρετῶν τοῦτο ἔπραττον, καί τις ἐκ τούτου καὶ διαμαρτία καὶ ταραχὴ ἐγένετο." Sueton. Octav. Aug. c. 94: „curasse ne Senatusconsultum ad aerarium deferretur"; et ex Tiberii imperio Tacit. Ann. III. c. 51: „igitur factum Senatusconsultum, ne decreta Patrum ante diem decimum ad aerarium deferrentur". Sed Quaestores quoque valde negligenter huic muneri praefuerunt, quare Tiberius coactus est, ut tres viros Senatorios ad tabulas publicas partim renovandas, partim penitus describendas per quoddam tempus institueret, Dio Cass. LVII. c. 16: „ἐπεί τε πολλὰ τῶν δημοσίων γραμμάτων, τὰ μὲν καὶ παντελῶς ἀπολώλει, τὰ δὲ ἐξίτηλα γοῦν ὑπὸ τοῦ χρόνου ἐγεγόνει, τρεῖς βουλευταὶ προεχειρίσθησαν, ὥστε τά τε ὄντα ἐκγράψασθαι, καὶ τὰ λοιπὰ ἀναζητῆσαι."

47) Tacit. Annal. XIII. c. 28: „Dein Princeps curam tabularum publicarum a Quaestoribus ad Praefectos tulit." Conf. Lipsii excurs. ad h. loc.

48) Ex M. Aurelii imperio profert testimonium Capitolinus in vit. M. Ant. Ph. in med. libr.: „Inter haec liberales cau-

tionis forma in finem seculi tertii prorsus permutaretur.

---

sas ita munivit, ut primus iuberet apud Praefectos aerarii Saturni unumquemque civium natos liberos profiteri intra tricesimum diem, nomine imposito. Per provincias tabulariorum publicorum usum instituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romae apud Praefectos aerarii."

CAP. II.

AEDILIUM CURAE IN LUDIS FACIENDIS, LARGITIONISQUE AEDILITIAE EXEMPLA EMINENTISSIMA.

Contra meam propositionem in prodromo huius operis factam hoc caput proximum muneribus circa res sacras adiunxi, quod intima coniunctio harum curarum sic postulare videbatur: nec minus meis promissis infidus evasi, quia in universum de variis ludorum generibus apud Romanos disserere nunc destituo. Nam quo magis huic rei adparatum necessarium colligerem, magisque in ea elaborarem, eo magis mihi persuadebatur, ut mei libri fines, utique tamen eximie extensos, prorsus transgrederer, si prodromo meo satisfacerem. Huc accedit, ut in libri primi capite quinto, ad Aedilitatis historiam externam, inprimisque ad discrimen inter Aediles Curules ac Plebeios, maxime in diversis ludis faciendis constitutum [1]), accuratius comprobandum cogerer, ut plurima exempla de istis Aedilium curis iam huic capiti involverem. Unde autem factum est, ut Aedilium munere in ludis faciendis iam supra plenius exposito, nunc nil nisi appendicem documentorum, simulque relationem ceterorum magistratuum ludis operam dantium nunc addam necesse erit.

---

1) Vid. p. 185 seq.

At neque Bulengerus [2]), qui Romanorum republica libera omnes ludos ab Aedilibus editos esse censuit, neque Hotomannus [3]), qui illi annuens ludorum procurationem inter Aediles Curules et Plebeios ita esse divisam existimavit, ut illi omnes ludos praeter Plebeios, hi autem Plebeios solos facerent, ex fontium auctoritate opinionem suam certiorem reddere potuerunt. Contra hunc iam supra disputavimus, contra Bulengerum exempla ipsa nunc proferenda nos tuebuntur. Cuncti ludi, quotquot ante Aedilium dignitatem magis elatam instituerentur, semper sub summorum magistratuum auctoritate celebrabantur, sicuti e regni tempore a regibus ipsis [4]), aut posterius a Consulibus [5]) factum esse scimus. Tum autem ex ineunte quarto seculo ante Chr. n. ludi solemnes annui a ludis votivis acriter discerni debent: nam illi praeter Apollinares ex officio Aedilium semper edendi erant, et eo quidem discrimine, quemadmodum id iam supra (p. 185) a nobis comprobatum est; ludi autem Apollinares, quoties ab eorum prima institutione eos factos esse vidimus, tantummodo Praetoris urbani officio demandabantur [6]).

---

2) De venat. Circ. in Graev. thes. Ant. Rom. IX. p. 682 et 685.

3) De magistr. Rom. apud Graev. loc. c. II. p. 1864.

4) A Romulo, Liv. I. c. 9, a Tarquinio Prisco, ibid. c. 35.

5) Liv. II. c. 36.

6) Liv. XXV. c. 12, XXVI. c. 23, XXVII. c. 11, inprimis autem eiusdem libri c. 23: „Ludi Apollinares, Q. Fulvio, App. Claudio Consulibus, a P. Cornelio Sulla Praetore urbis primum facti erant: inde omnes deinceps Praetores urbani fecerant, sed in unum annum vovebant, dieque incerta faciebant. Eo anno pestilentia gravis incidit in urbem agrosque: quae tamen magis in longos morbos, quam in perniciales evasit. Eius pestilentiae caussa et supplicatum per compita tota urbe est, et P. Licinius Varus Praetor urbis legem ferre ad populum iussus, ut hi ludi in perpetuum in statam diem voverentur. Ipse pri-

At ludi votivi duplici modo fieri poterant; ii enim aut ab quodam privato funeris [7]), aut mali ullius morbive Deorum gratia remoti [8]) caussa vovebantur, quos igitur vovens ipse faciebat, aut a superioribus magistratibus sive pro concordia populi recuperata [9]), sive pro reipublicae salute in bello conservanda eiusque eventu felici [10]), sive in peste avertenda [11]), sive denique reli-

mus ita vovit, fecitque ante diem tertium Nonas Quinctiles: is dies deinde sollemnis servatus." Ibid. XXXIX. c. 59, ubi C. Decimio Praetore urbano mortuo, P. Cornelio Cethego Praetori peregrino demandatum est, ut utramque in urbe iurisdictionem haberet, Apollinique ludos faceret. Plin. hist. nat. XXXV. c. 10 med.

7) Prima gladiatorum munera in ludorum funebrium occasione Romae spectata sunt, Valer. Max. II. c. 4. §. 7: „Gladiatorum munus primum Romae datum in foro boario, App. Claudio, M. Fulvio Coss. (a. 264 a. Ch.): dederunt M. et D. Bruti, funebri memoria patris cineres honorando." Ludi funebres per triduum in mortem M. Aemilii Lepidi, qui duobus Consulatibus functus erat, a tribus filiis cum viginti duobus gladiatorum paribus in foro editi sunt, Liv. XXIII. c. 30. Ludi funebres in Hispaniensis exercitus castris a Scipione Africano Maiore in patris honorem celebrati sunt, Liv. XXVIII. c. 21; per quatriduum mortis M. Valerii Laevini caussa a duobus filiis cum quinque et viginti gladiatorum parium munere in foro dati, Liv. XXXI. c. 50; per triduum in honorem P. Licinii cum centum et viginti gladiatoribus pugnantibus in foro facti, et post ludos epulo dato, Liv. XXXIX. c. 46. Non raro in his ludis fabulae scenicae edebantur, sicuti Terentii Adelphi atque Hecyra tali occasione actae sunt, conf. antiquiss. titul. har. fabul.

8) Valer. Max. II. c. 4. §. 5: „Valesius ludos et lectisternia continuis tribus noctibus, quia totidem filii periculo liberati erant, fecit."

9) A Decemviris ex Senatusconsulto voti et facti, Liv. IV. c. 12.

10) A Dictatore voti, Liv. IV. c. 27, V. c. 19, VII. c. 11, XXII. c. 9 et 10, XXVII. c. 33, XXX. c. 27; a Consule voti,

gionis caussa [12]) dicabantur. Sed de his observandum est, num voventes extra officii ordinem ludos ipsi fecerint in magistratu, in quo voverant, quod contra omnem dubitationem et de Dictatoribus, et de Consulibus Praetoribusque Livius pluribus testatur locis [13]), sicuti etiam ludi ob dedicationem aedis ex Senatusconsulto instituti a magistratibus dedicantibus fiebant [14]):

Liv. XXXI. c. 9 et 49, XXXVI. c. 2, XXXIX. c. 22, XL. c. 44 et 45, XLII. c. 28; a Praetore urbano, Liv. XXVII. c. 33.

11) A Consulibus voti, Liv. VII. c. 2 et 3; a Praetore, ib. XXVII. c. 23.

12) Liv. XXXIX. c. 22: „Per eos dies ludi Taurii per biduum facti religionis caussa." Conf. Fest. s. voc. Taurii.

13) De Dictatore, qui etiam ludorum caussa creatus est, Liv. XXVII. c. 33: „Dictatore comitiorum ludorumqne faciendorum caussa dicto T. Manlio Torquato .... Senatus, quo die primum est habitus, ludos magnos facere Dictatorem iussit, quos M. Aemilius Praetor urbis, C. Flaminio, Cn. Servilio Consulibus fecerat et in quinquennium voverat. Tum Dictator et ludos fecit, et in insequens lustrum vovit"; tum ibid. XXX. c. 39. De Consule, Liv. XL. c. 44: „Q. Fulvius Consul, prius quam ullam rem publicam ageret, liberare et se et rempublicam religione votis solvendis, dixit, velle: vovisse, quo die postremum cum Celtiberis pugnasset, ludos Iovi Optimo Maximo, et aedem Equestri Fortunae sese facturum: in eam rem sibi pecuniam conlatam esse ab Hispanis. Ludi decreti sunt", et c. 45: „Ludi deinde votivi Q. Fulvii Consulis per dies decem magno adparatu facti"; tum ibid. XXXVI. c. 2. De Praetore, Liv. XXVII. c. 25, conf. not. 6 h. cap. De Magistro equitum, Liv. XXX. c. 39.

14) Liv. XXXVI. c. 36 duobus locis, quod tamen adhuc melius elucet de Censoribus, ibid. XL. c. 52: „Et alter ex Censoribus M. Aemilius petiit ab Senatu, ut sibi dedicationis templorum Reginae Iunonis et Dianae, quae bello Ligustino ante annis octo vovisset, pecunia ad ludos decerneretur. Viginti millia aeris decreverunt: dedicavit eas aedes, utramque in circo Flaminio; ludosque scenicos triduum post dedicationem templi Iunonis, biduum post Dianae, et singulos dies fecit in Circo."

an voventes ludos per alios magistratus inferiores, quemadmodum Dictator vovens per Consules [15]), sive per Praetorem [16]), prae ceteris autem per Aediles faciundos curarint [17]): an denique voventes ipsi quidem, sed demum post magistratum gestum, ad privatorum ordines iam regressi [18]), aut etiam maiorem dignitatem

15) Liv. XXX. c. 27: „Et ut placatis Diis omnia inciperent agerentque, ludos, quos M. Claudio Marcello, T. Quinctio Consulibus, T. Manlius Dictator, quasque hostias maiores voverat, si per quinquennium illud respublica eodem statu fuisset, ut eos ludos Consules, priusquam ad bellum proficiscerentur, facerent. Ludi in Circo per quatriduum facti." Conf. ibid. XXX. c. 2.

16) Liv. XXVII. c. 35, conf. not. 13 h. cap. et Liv. XXII. c. 9.

17) Quod autem interest inter verba ludos facere et ludos faciundos curare, iam Dirksenius egregie monuit, Civilist. Abhandlung. II. p. 318, exemplo apud Valerium Probum de not. Rom.: Domic. Cos. XIII. Lud. Saec. F. C. (faciundos curavit); ut formula ulterior magis magistratibus superioribus respondeat, qui non ipsi ludos facerent. Quodque discrimen et Livii loco illustretur, XXII. c. 9: „Senatus, quoniam Fabium belli cura occupatura esset, M. Aemilium Praetorem, ex collegii Pontificum sententia, omnia ea ut mature fiant, curare iubet." Sed omnino non dici potest, formulam ludos faciendi nunquam adhiberi posse de magistratibus summis, sed potius in ludis votivis saepissime reperitur, uti exempla in notis 13—15 sufficienter demonstrant, simulac ipsi ludos sine ullo alius magistratus adminiculo parassent. Conf. Liv. XXXVI. c. 2 exscript. in not. 29 h. cap.

18) Liv. XXXI. c. 49: „Ludi deinde a P. Cornelio Scipione, quos Consul in Africa voverat, magno adparatu facti sunt"; ibid. XXXVI. c. 36: „Ludos P. Cornelius Scipio, quos Propraetor in Hispania inter ipsum discrimen pugnae voverat, ipse per decem dies fecit"; ibid. XXXIX. c. 22: „Q. Fulvius ludos, quos voverat Aetolico bello, decem adparatos fecit, eodemque tempore L. Scipio ludos, quos bello Antiochi vovisse sese dicebat, ex conlata ad id pecunia ab regibus civitatibusque per dies decem fecit."

adeuntes [19]), ludos fecerint, ut rempublicam voti publici vinculis solverent.

Quod autem ad ludorum sumtus adtinet, sine omni dubio cuncti ludi publici, sive reipublicae nomine vel commodo voti, nunquam sola pecunia privata [20]) celebrabantur, sed potius iam ex antiquissimis temporibus ludis solemnibus vel annuis certa pecuniae summa statuta erat, ac Romanis quidem sive ludis Magnis ex aerario publico, Plebeiis autem, ut mihi videtur ex plebis impensis, quae interdum (quod tamen seculum quartum a. Ch. n. non excedere videtur) argento multaticio pecuariis damnatis pro his ludis auctae sunt [21]). Forsan quoque haec pecuniae publicae copia, ante Italiam inferiorem subactam, primis parvis ludorum principiis iam satis larga sine privato sumtu suffecit [22]). Quam vero parsimoniam solum-

---

19) Liv. XXVIII. c. 38: „P. Scipio in Consulatu ex Senatusconsulto ludos, quos (proconsulari modo imperio utens) inter militarem seditionem in Hispania voverat, ex ea pecunia, quam ipse in aerarium detulerat, fecit."

20) Conf. quae supra pag. 180—81 scripsimus, et ad Fabii Pictoris testimonium (apud Dionys. Halic. VII. c. 71) de pecuniae publicae summa usque ad bellum Punicum primum constituta annotavimus. At contra omnia alia exempla cognita, quae in ludis Aediliciis nunquam sociorum Latini nominis aut externarum provinciarum tributa produnt, pugnat Ti. Sempronii Aedilitas, de qua refert Liv. XL. c. 44: „Decreverat id Senatus propter effusos sumtus, factos in ludos Ti. Sempronii Aedilis, qui graves non modo Italiae ac sociis Latini nominis, sed etiam provinciis externis fuerant."

21) Liv. X. c. 23: „Et ab Aedilibus Plebeiis ex multaticia pecunia, quam exegerunt pecuariis damnatis, ludi facti."

22) Liv. VII. c. 2 duobus loc.: „Ceterum (de ludis scenicis) parva quoque (ut ferme principia omnia) et ea ipsa peregrina res fuit. Sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruria adciti, ad tibicinis modos saltantes,

modo omisit Senatus, simul atque res inaudita animos perturbaverat, Deosque iratos ostenderat: nam in tali casu proprio motu, ergo pecunia publica aucta, censuit, ut unus pluresve dies ludorum celebritati adiicerentur [23]). Attamen per se intelligitur, hanc pecuniae publicae summam fuisse non ita grandem, ut ludorum celebratio cum splendore exquisitissimo apparari posset, sed semper Aedilium liberalitati campus aperiretur latissimus, in quo copiosis divitiis instructi populi gratiam in posterum sibi obligare experirentur, ut facilius feliciusque superiorum magistratuum creationem exspectarent. Inde factum est, ut ludorum diebus constitutis privata munificentia unus pluresve [24])

---

haud indecoros motus more Tusco dabant. . . . . . Inter aliarum parva principia rerum, ludorum quoque prima origo ponenda visa est; ut adpareret, quam ab sano initio res in hanc vix opulentis regnis tolerabilem insaniam venerit."

23) Liv. XXXIX. c. 7: „Ludis Romanis eo anno, quos P. Cornelius Cethegus, A. Postumius Albinus Aediles Cur. faciebant, malus in Circo instabilis in signum Pollentiae procidit, atque id deiecit: ea religione moti Patres, et diem unum adiiciendum ludorum celebritati censuerunt, et signa duo pro uno reponenda."

24) Cic. de offic. II. c. 16, ubi profusam perstringit liberalitatem: „quamquam intelligo, in nostra civitate inveterasse iam a bonis temporibus, ut splendor Aedilitatum ab optimis viris postuletur". Praeterea in ludis Plebeiis unus dies Deorum celebrationi satisfecisse videtur, conf. Liv. XXVIII. c. 10, XXVII. c. 6, XXX. c. 39, XXXI. c. 4, XXXII. c. 7, XXXIX. c. 7. Nihilominus tamen adhuc intra bellum Punicum secundum per biduum instaurati memorantur, Liv. XXV. c. [illegible], XXVII. c. 36, XXIX. c. 38, et XXXIII. c. 42: eodemque etiam tempore per triduum vel etiam ter toti ab iisdem Aedilibus facti sunt, Liv. XXIII. c. 59, XXV. c. 2, XXX. c. 26, XXXI. c. 4, XXXI. c. 50. Atque perpaucis annis quinquies, ibid. XXXVIII. c. 35, et septies deinceps in uno anno instaurati sunt, ibid. XXIX. c. 11 et XXXIII. c. 25. In ludis Magnis itidem unus modo dies ex usu postulari poterat, quem-

adderentur, ut largitiones olei atque salis in vicos singulos datas cum ludis coniungerent Aediles [25]), ita ut tandem populus ipse venationum varietate, ac sumtuosissima profusione in aliis donis sibi multifariam contributa [26]), libertatem etiam amissam minus doleret. Ad quantum vero incrementum res ascendebat usque ad C. Iulium Caesarem et Octavianum Augustum, donec ludi in una Aedilitate per undesexaginta dies ederentur! [27]) Itaque ob eandem caussam inter res ma-

---

admodum hoc in antiquiore tempore vulgariter factum, sed raro post tertii seculi a. Ch. finem observatum est, ibid. II. c. 36, XXVII. c. 6, 21 et 36, XXX. c. 26, XXXI. c. 50, XXXIX. c. 7. Quum autem hi ludi cum scenicis semper coniungerentur, honorumque cupido magis magisque exardescens ad altissimos gradus celerius capiendos excitaret, et eodem modo Aedilium divitias eo rapidius exhauriret, mox biduum cum magnifico adparatu facti sunt, Liv. XXIX. c. 38, XXXI. c. 4, sive etiam per triduum vel ter toti instaurati, ibid. XXIII. c. 30, XXVIII. c. 10, XXIX. c. 11, XXX. c. 39, XXXVIII. c. 35, et a Livio magnificentiores quam unquam alias dicti, XXXIII. c. 25 et 42: tandem etiam per quatriduum celebrati et quater toti instaurati, ibid. XXIV. c. 43 et XXXII. c. 27.

25) De Scipione Africano Maiore, Liv. XXV. c. 2: „Ludi Romani pro temporis illius copiis magnifice facti et diem unum instaurati, et congii olei in vicos singulos dati." De M' Acilio Glabrione, quum Censuram peteret, ibid. XXXVIII. c. 57: „in hunc maxime, quod multa congiaria habuerat, quibus magnam partem hominum obligaverat, favor populi se inclinabat." De M. Vipsanio Agrippa, Dio Cass. XLIX. c. 43: „Ἀγορανόμος ἑκὼν γενόμενος . . . . καὶ προςέτι καὶ ἔλαιον καὶ ἅλας πᾶσι διέδωκε." De oleo per Aedilitatem viliore pretio vendito Plin. hist. nat. XV. c. 1: „et mox anno sexcentesimo octogesimo (u. c.) M. Seius, L. F., Aedilis Curulis olei denas libras singulis assibus praestitit populo Romano per totum annum."

26) Dio Cass. XLIX. c. 43, et conf. finem huius capitis.

27) Sueton. Caes. c. 10, Dio Cass. loc. cit. et Plin. hist. nat. XXXVI. c. 15 de Agrippa: „Adiicit ipse in Aedilitatis suae

xime memorabiles refertur, si quis in ultimo reipublicae liberae seculo sine larga pecuniae privatae liberalitate, in muneribus manifestata, ad amplissimos pervenerit honores [28]).

Sed ludi votivi ex Senatusconsulto aut certa pecunia statim cum voto definita edebantur [29]), quod usque ad finem belli Punici secundi semper in usu fuerat,

---

commemoratione, et ludos undesexaginta diebus factos, et gratuita praebita balnea centum septuaginta, quae nunc Romae ad infinitum auxere numerum."

28) Cic. de offic. II. c. 17. §. 59: „L. quidem Philippus magno vir ingenio inprimisque clarus gloriari solebat, se sine ullo munere adeptum esse omnia, quae haberentur amplissima": id ast sine privata largitione, quae in assuetis venationnm, fabularum scenicarum editarum ceteraeque donationis muneribus, ludis annuis vulgariter adiunctis, maxime adspici poterat. Neque minus Cicero eodem loco laetatur de suis parvis impensis privatis — „nam pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adepti sumus, nostro quidem anno, quod contigit eorum nemini, quos modo nominavi, sane exiguus sumtus Aedilitatis fuit" — unde ergo merita sua amplius elucerent, quibus duntaxat honores amplissimos ipse debere vellet. Conf. Aurel. Vict. de vir. ill. c. 72 de M. Aemilio Scauro maiore: „Aedilis iuri reddendo magis, quam muneri edendo studuit."

29) Liv. XXII. c. 11: „Eiusdem rei caussa (ob bonum belli Carthaginiensis eventum) ludi Magni voti aeris trecentis triginta tribus millibus." Ibid. XXXVI. c. 2: „Senatusconsultum factum est, ut M' Acilius Glabrio Consul ludos Magnos Iovi voveret, et dona ad omnia pulvinaria. Id votum in haec verba, praeeunte P. Licinio Pontifice Maximo, Consul nuncupavit: Si bellum .... confectum erit; tum tibi, Iupiter, populus Romanus ludos Magnos dies decem continuos faciet; donaque ad omnia pulvinaria dabuntur de pecunia, quantam Senatus decreverit. Quisquis magistratus eos ludos, quando ubique faxit, hi ludi recte facti, donaque data recte sunto."

aut de incerta pecunia [30]), quam post rei eventum prorsus exoptatum Senatus ex aerario publico tradebat: qui autem ab imperatoribus in bellis, periculo saepe exercitui repente minitante, igitur sine Senatus auctoritate voti erant, aut e manubiis [31]), aut e pecunia, quae a populo victo imperatore iubente conlata, tamenque proprio Senatusconsulto L. Aemilio, Cn. Baebio Consulibus (183 a. Ch.) intra certos fines coërcita erat [32]), aut saltem ex pecunia ex iisdem terris sub-

30) Liv. XXXI. c. 9: „civitas religiosa . . . . . . ludos Iovi donumque vovere Consulem, cui provincia Macedonia evenisset, iussit. Moram voto publico Licinius Pontifex Maximus adtulit, qui negavit, ex incerta pecunia vovere debere, si ea pecunia non posset in bellum usui esse; reponi statim debere, nec cum alia pecunia misceri, quod nisi factum esset, votum rite solvi non posse. Quanquam et res et auctor movebat, tamen ad collegium Pontificum referre Consul iussus, si posset recte votum incertae pecuniae suscipi: posse, rectiusque etiam esse, Pontifices decreverunt. Vovit in eadem verba Consul, praeeunte Maximo Pontifice, quibus antea quinquennalia vota suscipi solita erant; praeterquam quod tanta pecunia, quantam tum, quum solveretur, Senatus censuisset, ludos donaque facturum vovit. Toties ante ludi Magni de certa pecunia voti erant: ii primi de incerta."

31) Liv. XXXVI. c. 36 de P. Scipione, Praetore ludos in Hispania vovante, quibus faciendis pecuniam deficientem a Senatu postulavit: „Novum atque iniquum postulare est visus: censuerunt ergo Patres, quos ludos inconsulto Senatu ex sua unius sententia vovisset, eos uti de manubiis, si quam pecuniam ad id reservasset, val sua ipse impensa faceret: eos ludos per dies decem P. Cornelius fecit."

32) Liv. XXXIX. c. 5 exemplum valde memorabile affert: „M. Fulvius quum gratias Patribus conscriptis egisset, adiecit „„Ludos magnos se Iovi Optimo Maximo eo die, quo Ambraciam cepisset, vovisse; in eam rem sibi centum poudo auri a civitatibus conlatum: petere, ut ex ea pecunia, quam in triumpho latam in aerario positurus es-

actis in aerarium reipublicae delata 33), instituebantur. Sin autem neque manubiae sufficerent, neque pecunia conlata ad hunc finem reservata esset, sua impensa vovens ludos institueret, necesse erat 34). Quia autem in ludis votivis pecuniae tam ingentis collatio imperatores celebrantes sustinebat, eorum instauratio fere semper per plures dies, quam vulgares annui, perhibebatur, ut etiam decem ludorum dies non valde extra ordinem assuetum assumti apparerent 35).

Nunc perpauca adhuc monere volumus, qua ratione, et quo ordine, et quo tempore constituto praecipuos ludos a magistratibus Romanis, dum respublica libera staret, procuratos esse vetera testimonia produnt; etsi accuratiorem certaminum descriptionem 36)

---

set, id aurum secerni iuberent."" Senatus Pontificum collegium consuli iussit, num omne id aurum in ludos consumi necessum esset? Quum Pontifices negassent, ad religionem pertinere, quanta inpensa in ludos fieret; Senatus Fulvio, quantum impenderet, permisit, dum ne summam octoginta millium excederet." Ibid. c. 22 duobus locis, quos iam in not. 18 h. cap. adtuli; tum XL. c. 44, (conf. not. 15). De pecunia ludorum a Senatu iam decretorum finitur: „ne maior caussa ludorum consumeretur, quam quanta Fulvio Nobiliori post Aetolicum bellum ludos facienti, decreta esset, neve quid ad eos ludos arcesseret, cogeret, acciperet, faceret adversus id Senatusconsultum, quod L. Aemilio, Cn. Baebio Consulibus de ludis factum esset."

33) Liv. XXVIII. c. 38 et XXXIX. c. 5, quae exempla iam exstant in not. 19 et 32 h. cap.

34) Liv. XXXVI. c. 36, conf. not. 31.

35) Ibid. XXXVI. c. 2 et 36, XXXIX. c. 22, conf. not. 18 et 29. De Pompeii ludis votivis per quindecim dies factis vid. Cic. in Verr. I. c. 10.

36) Quamvis de hac re nullo modo omnia subsidia, quae legendo digna videantur, enumerare velim, non possum quin quaedam eminentiora in medium proferam. Apud Romanos iam Sisinnius Capito libros quosdam de spectaculis conscripsit,

prorsus omittere ex proposito nobis in animo est. Ludi Plebeii, mox post Tarquinium Superbum ad populi victoriam libertatemque acceptam celebrandam instituti [37]), quoad Romae ederentur, ex Aedilium Plebeiorum auctoritate in mense Novembri facti sunt [38]): sed eorum vestigia adhuc in secundo Imperatorum se-

quorum Lactantius de div. cult. VI. c. 20 in fin. mentionem facit. E recentioribus Onuphrius Panvinius (Veronensis frater Eremita Augustinianus) de ludis Circensibus libros duos composuit, qui inter doctissimos labores, ut tum tempora erant, numerandi sunt; melius eosdem quibusdam additamentis instruxit Nicol. Pinelli, in Graev. thes. A. R. IX. p. 1 — 576: eiusdem autem liber singularis de ludis secularibus exstat apud Graev. loc. cit. p. 1067 — 94, sed valde minoris pretii. Neque ita aestimari potest Nic. Calliachii de ludis scenicis Mimorum et Pantomimorum syntagma posthumum apud Sallengr. thes. A. R. II. p. 699 — 768, quod praeterea fere per omnia capita de Graecis tantummodo tractat. Melius copiosiusque rem attingunt Iul. Caes. Bulengerus de Circo Romano ludisque Circensibus, de venatione Circi et amphitheatri apud Graev. thes. A. R. IX. p. 577 — 824, eiusdem de theatro libri II, ibid. p. 825 seqq.; Iusti Lipsii Saturnalium sermonum libri duo, qui de gladiatoribus, ibid. p. 1161 — 1266; tum I. C. Cramerus de ludis Romanorum Circensibus in Walcbii Act. soc. lat. Ienens. vol. V, et I. A. M. Nagel de ludis saecularibus veterum Romanorum in Martini thes. dissertat. tom. I. p. I. Sed C. Ph. Moritzii Anthusa, Berol. 1790. 8., cuius argumentum proprium erat de ludis festisque Romanorum conscribere, res tam obiter leviterque csrpsit, ut vix primo laicorum — venia sit verbo — impetui satisfacere posset.

37) Institutionis tempus ex Asconii testimonio sexdecim annis differebat in antiquissimis annalibus, schol. ad Cic. in Verr. I. c. 10: „Plebeios ludos, quos exactis regibus pro libertate plebis fecerunt, aut pro reconciliatione plebis post secessionem in Aventinum". Conf. Dionys. Halic. VI. c. 90.

38) Ex veteribus Calendariis, quibuscum ludorum dierum computatio apud Cic. in Verr. I. c. 10 Plebeiorum dies ad mensem Novembrem pertinentes comprobavit.

culo evanescunt, quod ex aucta potestate imperatoria non difficile derivari potest. Cum his L. Cornelius Sylla post Marianos in Italia exstinctos novos ludos Victoriae ita coniunxit [39]), ut proxime illis praeeuntes eorum celebrationem saltem uno die longiorem redderent. In his ludis equorum cursus in honorem Cereris praecipue consueti erant, qui demum in secundi Triumviratus aetate interdum cum gladiatorum pugnis commutabantur [40]), quanquam illae exinde non semper equorum certamina explebant [41]). Sed praeter hos peculiares Cereris ludi sive Cerealia in mense Aprili per unum diem celebrabantur [42]), qui ab initio non annui, sed extra ordinem ex peculiari Senatusconsulto a summis magistratibus huius anni instituebantur [43]), sed non multo post bellum Punicum secundum Aedilium Plebeiorum et Curulium auctoritati committebantur [44]): quum autem duo novi Aediles Cereales seculo

---

39) Cic. in Verr. I. c. 10: „Deinde se ducturos et dicendo et excusando facile ad ludos Victoriae; cum his Plebeios esse coniunctos"; et Asconii veterisque Anonymi schol. ad h. loc. „ludos Victoriae Sulla instituit bello civili victor". Conf. Appian. de bell. civ. I. c. 99.

40) Dio Cass. XLVII. c. 40: „καὶ οἱ Ἀγορανόμοι τοῦ πλήθους ὁπλομαχίας ἀγῶνας ἀντὶ τῆς ἱπποδρομίας τῇ Δήμητρι ἐπετέλεσαν." Conf. ibid. XLVIII. c. 55.

41) Quemadmodum posterius Taciti exemplum demonstrat, Annal. XV. c. 74: „Decernitur, ut Circensium Cerealium ludicrum pluribus equorum cursibus celebraretur."

42) Ovid. in Fast. IV. v. 589 seq. Conf. Tacit. Hist. II. c. 55. De ludorum mense ex veteri Calendario et hac Ovidii descriptione.

43) A Dictatore et Magistro equitum a. 202 a. Ch. n., Liv. XXX. c. 39.

44) De C. Memmio Gallo, Aedili Plebeio a. 177 a. Ch. n. (vid. supra p. 317), hos ludos faciente, exstat adhuc nummus

postea crearentur [45]), certo horum cura fiebat, ut Cerealium ludos moderarentur. At quando hi ludi faciendi transierunt ad Praetorum officium, incertum est! Hi tamen ludi Plebeii atque Cereales pari modo, ac Magni sive Romani Circenses appellabantur [46]), quoniam eorum certamina in Circo semper aspicerentur: itaque plane erratum est in quodam Asconii scholio [47]), quod iam reipublicae liberae tempore Circensium nomen solummodo ludis Magnis vindicare vult, etsi negari non potest, hos inprimis ab auctoribus veteribus ludos Circenses dictos reperiri [48]), et, sub Imperatorum dominatione, pluribus ludis ac praecipue Plebeiis cum his contractis, hos plerumque solos Circenses esse editos.

Ludi Magni, Plebeiis etiam antiquiores, itaque κατ' ἐξοχήν Romani appellati, originem suam usque ad reges ducunt, et annui quidem inde ab Tarquinii

---

„Memmius. Aed. Cerialia. Preimus. Fecit.", Eckhel. doctr. n. v. V. p. 252. De M. Tullio Cicerone Aedili Curuli ipse testatur in Verr. II. l. 5. c. 14: „mihi ludos sanctissimos maxima cum caeremonia Cereri, Libero Liberaeque faciundos". Plerumque ludorum Cerealium celebrationem anniversariam iam ante bellum Punicum secundum exstitisse existimatur, quod tamen nonnisi ex permutatione cum sacro Cereris quotannis religiose celebrando factum est, conf. Liv. XXII. c. 56 et Dionys. Halicarn. VII. c. 72 in fin.

45) Conf. libri primi caput sextum p. 198—203.

46) De Plebeiis Circensibus Valer. Max. I. c. 7. §. 4, de Cerealibus Tacit. Annal. XV. c. 55: „Tandem statuere Circensium ludorum die, qui Cereris celebrabatur, exsequi destinata", et ibid. c. 74, iam in not. 41 exscript.

47) Ad Cic. in Verr. I. c. 10: „Nam et magni et Circenses iidem sunt."

48) Exempli gratia Liv. XLIV. c. 18, ubi loquitur de ludis Circensibus Aedilium, qui sane, etsi accuratiore designatione carentes, Magni intelligi debent; tum Valer. Max. I. c. 1. §. 16.

Prisci regno fiebant [49]). In his iam antiquissimi erant equorum cursus ac quorundam pugilum certamina, tum medio quarto seculo ante Ch. n. ludi scenici ex eadem patria, qua priores, ex Etruria adciti, cum iisdem consociabantur [50]), et in hac muneris extensione Aediles Curules, tum primum instituti, annuos in mense Sextili aut Septembri [51]) faciendos suscipiebant. Deinde vero in tertio seculo a. Ch. n. gladiatorum parium pugnae [52]), et ex secundo bello Punico finito fe-

---

49) Qui a Romulo iam antea cum antiquissimis Consualibus eximie celebratis coniuncti esse dicuutur, Liv. I. c. 9, et c. 35: „Ludicrum fuit equi pugilesque, ex Etruria maxime adciti: sollemnes deinde annui mansere ludi, Romani Magnique varie adpellati."

50) Liv. VII. c. 2: „Quum vis morbi nec humanis consiliis nec ope divina levaretur, victis superstitione animis, ludi quoque scenici, nova res bellicoso populo (nam Circi modo spectaculum erat) inter alia coelestis irae placamina instituti dicuntur. Ceterum parva quoque (ut ferme principia omnia) et ea ipsa res peregrina fuit. Sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruria adciti," e. q. s. - De coniunctione horum ludorum Liv. XXIV. c. 43, XXXI. c. 4.

51) Cic. in Verr. I. c. 10: Nonae sunt hodie Sextiles; hora nona convenire coepistis. Hunc diem iam ne numerant quidem. Decem dies sunt ante ludos votivos, quos Cn. Pompeius facturus est. Hi ludi dies quindecim auferent; deinde continuo Romani consequentur." Mensis Sextilis memoratur in Calendario veteri pro his ludis.

52) Cic. pr. Muren. c. 69; Sueton. Caes. c. 10: „Adiecit insuper Caesar etiam gladiatorium munus, sed aliquanto paucioribus, quam destinaverat paribus. Nam cum multiplici undique familia comparata inimicos exterruisset, cautum est de numero gladiatorum, quo ne maiorem cuiquam habere Romae liceret." Conf. Plutarch. Caes. c. 5, Lipsii Saturnal. in Graev. thesaur. A. R. IX. p. 1191. Quare postarius adhuc totae gladiatorum familiae ex Aedilium mercede viventes reperiuntur, Cic. de off. II. c. 17. §. 58, quibuscum conferantur inscriptio-

rarum bestiarumque venationes ac spectacula [53]) in iisdem ludis accedebant. Tandem autem immensis privatorum copiis coacervatis, pecuniarum profusio vaga in iisdem ludis, ut cum votivis post magnas victorias factis aemulatione contenderent, occasionem reperiebat exoptatissimam, qua ingenium vastum excellendique cupido, nullos sumtus ac ne immanissimos quidem reiiciens, tam rudiores quam cultiores populi classes non modo pro tempore oblectari, sed diuturniorem etiam muneris memoriam splendidis documentis comparare posset, quemadmodum infra e quibusdam eminentibus largitionis Aediliciae exemplis elucebit. Quamobrem m a g n a s i m p e n s a s his ludis M a g n o r u m nomen praebuisse existimo, neque verbi etymologiae adsentiar, quae ex Deorum magnorum celebratione in his communiter facta significationem derivavit [54]); praesertim quum Iovi Optimo Maximo prae ce-

---

nes Pompeianae in Real Museo Borbonico, Fascicolo IV cum I. Bechii illustrationibus p. 7 seq.: „A. Suetii. Cerii. Aedilis. Familia. Gladiatoria. Pugnabit. Pompeis. Pr. K. Iunias. Venatio. Et. Vela. Erunt."

53) Liv. XXXIX. c. 22: „Athletarum quoque certamen tum primo Romanis spectaculo fuit, et venatio data leonum et pantherarum; et prope huius seculi copia ac varietate ludicrum celebratum est." Ibid. XLIV. c. 18: „Ludis Circensibus P. Cornelii Scipionis Nasicae et P. Lentuli Aedilium Curulium sexaginta tres Africanas, et quadraginta ursos et elephantos lusisse". Plutarch. Syll. c. 5: „*φησὶ γὰρ αὐτοὺς εἰδότας τὴν πρὸς Βόκχον φιλίαν, καὶ προςδεχομένους, εἰ πρὸ τῆς στρατηγίας ἀγορανομήσει, κυνηγέσια λαμπρὰ, καὶ Λιβυκῶν ἀγῶνας θηρίων, ἑτέρους ἀποδεῖξαι στρατηγοὺς, ὡς αὐτὸν ἀγορανομεῖν ἀναγκάσοντας.*" Plin. h. nat. VIII. c. 16: „Leonum simul plurium pugnam, Romae princeps dedit Q. Scaevola P. Fil. in Curuli Aedilitate" e. q. s.

54) Ascon. schol. ad Cic. loc. cit.: „Romani ludi sub regibus instituti sunt M a g n i q u e appellati, quod magnis im-

teris in his gratiae agerentur, ludique ipsi etiam Capitolini ob eam rem Capitolini antiquitus appellarentur [55]), et a Cicerone disertis verbis solummodo Iovi, Iunoni et Minervae adsignarentur [56]): „Nunc sum designatus Aedilis; mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate ac religione, Iovi, Iunoni, Minervaeque esse faciundos."

Ad hos ludos ornatissimos reddendos, Aediles statuas signaque praestantissima colligere studebant, variumque ornatum e provinciis externis coëmere iubebant [57]), unde etiam iisdem licitum erat, e sociis terrisque vicinis signa mutua Romam deportare [58]), quae post ludos

---

pensis dati sunt; tunc enim primum ludis impensa sunt ducenta millia nummum; alii ideo Magnos ludos dictos putant, quod Conso, Consiliorum secretorum deo, id est, Neptuno laticum regi et rerum conditarum, et Diis magnis id est Laribus urbis Romae dati sunt."

55) Liv. V. c. 50: „Ludi Capitolini fierent, quod Iupiter Optimus Maximus suam sedem atque arcem populi Romani in re trepida tutatus esset." Conf. Valer. Max. I. c. 1. §. 16, et Plutarch. quaestion. nr. 52.

56) Cic. in Verr. II. l. 5. c. 14.

57) Quod tamen mox in abusum venit, ut mercatores Graeci turpissimum commercium signorum sanctissimorum ex aedibus sacris direptorum inciperent cum Aedilibus, quare Cicero in Verr. II. l. 4. c. 59 exacerbatus est: „posteaquam iudicia severa Romae fieri desierint, Graecos homines haec venditare coepisse, quae tum non modo non venditabant, cum iudicia fiebant, verum etiam coëmebant, aut nisi arbitramini L. Crasso, Q. Scaevolae, C. Claudio, potentissimis hominibus, quorum Aedilitates ornatissimas vidimus, commercium istarum rerum cum Graecis hominibus non fuisse; iis, qui post iudiciorum dissolutionem Aediles facti sunt, fuisse."

58) Ascon. schol. ad Cic. in Verr. II. l. 1. c. 19: „Licebat enim mutua haec signa deportare Romam Aedilibus ad ornatum ludorum et rursum sociis reportare nec hoc crimen distulit in

factos statim reportare debebant, ita ut Cicero pluribus locis Verri opprobrio faceret [59]), quare haec signa vi neque libera oppidorum voluntate sublata in aede sua retinuisset. Sed quamvis ludi Magni faciendi tam magnam aestimationem apud Romanos nacti essent, iam tamen sub Tiberii imperio annua esse desiverat, Praetoribusque etiam subtracta erat; deinde enim quibusdam modo casibus gravioribus ex peculiari Senatus decreto iubebatur, ut hi ludi per Pontifices, Augures, Quindecimviros et Feciales iisdem praesidentes fierent [60]).

At praeter hos ludos adhuc Florales sive Floralia [61]) in mense Aprili [62]), Liberalia [63]), quae Libero ac

---

orationem, quae est de signis; quia specialiter crimen et breve est, nec habet, quod adiici possit."

59) Cic. in Verr. II. l. 4 pl. loc.

60) Tacit. Ann. III. c. 64: „Sed tum supplicia Diis, ludique Magni ab Senatu decernuntur, quos Pontifices et Augures et Quindecimviri, Septemviris simul et Sodalibus Augustalibus ederent. Censuerat L. Apronius, ut Feciales quoque iis ludis praesiderent."

61) Cic. in Verr. II. l. 5. c. 14, qui locus iam supra exstat p. 185—86, ubi praeterea not. 81 imprimis conferenda est, atque Eckhel. doctr. n. v. V. p. 508—11, quibus Spanhemii opinio contraria (de praest. numm. II. p. 146 seq.) plerumque refellitur. Hi ludi iam antiquitus maxime lascivi erant, ut Val. Max. satis docet II. c. 10. §. 8: „M. Porcio Catone Minore ludos Florales, quos Messius Aedilis faciebat, spectante, populus ut mimae nudarentur postulare erubuit: quod cum ex Favonio, amicissimo sibi, una sedente cognovisset, discessit e theatro, ne praesentia sua spectaculi consuetudinem impediret. Quem abeuntem ingenti plausu populus prosecutus, priscum morem iocorum in scenam revocavit": et Ovid. Fast. V. v. 551—54:

Liberae dicata erant in mense Martio, Aediles tam Plebeii quam Curules, Megalesia autem [64]), quae in ultimo seculo ante Augustum per sex dies continuos, postea tamen rursus per unum diem, in mense Aprili cele-

---

„Quaerere conabar, quare lascivia maior
His foret in ludis, liberiorque iocus;
Sed mihi succurrit, numen non esse severum,
Aptaque deliciis munera ferre Deam."

Conf. Pers. Satyr. V, 176—79. Sed iidem sub Imperatoribus adhuc magis turpiusque degenerabant, ut Lactantius de falsa relig. I. c. 20 Floralium descriptionem vere foedam nobis relinqueret, quae vix multum a veritate aberraret: „Celebrantur illi ludi cum omni lascivia; nam praeter verborum licentiam, quibus obscoenitas omnis effunditur, exuuntur etiam vestibus, populo flagitante meretrices, quae tunc mimarum funguntur officio et in conspectu populi usque ad satietatem impudicorum luminum cum pudendis motibus detinentur". Conf. Pancirolli descript. urb. Rom. in Graev. thes. III. p. 543—44.

62) Annui ludi Florales, a prioribus e pecunia multaticia extra ordinem factis (Liv. X. c. 23) prorsus distincti, primi medio tertio seculo a. Ch. n. facti sunt, Vell. Paterc. I. c. 14 fin.; tum Plin. h. n. XVIII. c. 29: „itaque iidem Floralia quarto Calendas Maias instituerunt, urbis anno quingentesimo sextodecimo ex oraculis Sibyllae, ut omnia bene deflorescerent". Conf. vet. Calendar.

63) Cic. in Verr. II. l. 5. c. 14: „Nunc sum designatus Aedilis; mihi ludi sanctissimi maxima cum caerimonia Libero Liberaeque faciundi." Conf. Festus s. v. Liberalia, Ovid. Fast. III. v. 713 seq., Varro de ling. Lat. V. c. 3. ed. Bipont. p. 55.

64) Varro de ling. Lat. l. cit., Ovid. Fast. IV. v. 357—60, Liv. XXXIV. c. 54 et XXXVI. c. 5, Valer. Max. II. c. 4. §. 3, Dio Cass. XXXVII. c. 8 et XLIII. c. 48, inprimis autem Cic. de harusp. resp. c. 11—12, et quae ad Dionis Cassii locos illustrandos iam supra p. 185. not. 78 monuimus. Cum his praecipue ludos scenicos Aediles coniungebant, Liv. XXXIV. c. 54 et antiquissim. titul. Terentii Eunuch., Heautontimoroum. et Hecyr., quae fabulae actae sunt ludis Megalensibus.

brabantur [65]), ex usu Curules soli quotannis moderari solebant, donec Augustus hanc quoque provinciam Praetoribus demandaret [66]), simulque, ne populi favor a privatis appeti posset, vetaret, quominus alter altero maiorem pecuniae summam ludis impenderet, aut gladiatorum certamen, nisi quodque speciale Senatusconsultum permisisset, ederet, aut denique idem plus quam bis in uno anno, aut cum pluribus quam centum viginti paribus repeteret. Sed de seriore aetate, quantum nostro argumento sufficiat, iam libri primi capite septimo absolvimus [67]).

Hos autem ludos nonnisi cives et liberti spectare poterant, quare Aediles cavere debebant, ne servi spectatoribus se inmiscerent, quod tamen intra primum Triumviratum iam ita in abusum venit, ut etiam castissimi Megalesiorum ludi servorum abundantia polluerentur [68]). Sed in ludis scenicis, in quibus Aediles

---

65) Ex veteribus urbis Calendariis. Conf. Tacit. Annal. III. c. 6, et ex postrema eorum aetate Herodian. I. c. 10. §. 11: „ἦρος ἀρχῇ ἑκάστου ἔτους, ὡρισμένης ἡμέρας Μητρὶ θεῶν πομπὴν τελοῦσι Ῥωμαῖοι· καὶ πάντα, ὅσα παρ᾽ ἑκάστοις πλούτου σύμβολα, κειμήλιά τε βασιλέων, ὕλης τε ἢ τέχνης θαύματα, τῆς θεοῦ προπομπεύει."

66) Dio Cass. LIV. c. 2: „καὶ τοῖς μὲν Στρατηγοῖς τὰς πανηγύρεις πάσας προςέταξεν, ἔκ τε τοῦ δημοσίου δίδοσθαί τι αὐτοῖς κελεύσας· καὶ προςαπειπὼν μήτε ἐς ἐκείνας οἴκοθέν τινα πλεῖον τοῦ ἑτέρου ἀναλίσκειν· μήτ᾽ ὁπλομαχίαν, μήτ᾽ ἄλλως εἰ μὴ ἡ βουλὴ ψηφίσαιτο μήτ᾽ αὖ πλεονάκις ἢ δὶς ἐν ἑκάστῳ ἔτει, μήτε πλειόνων εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἀνδρῶν ποιεῖν." De Floralibus a Praetore factis singulariter scriptum est apud Sueton. Galba c. 6: „honoribus ante tempus legitimum initis, Praetor commissione ludorum Floralium novum spectaculi genus, elephantos funambulos edidit." De Praetore ludos adhuc quarto seculo sub Valentiniano edente, Ammian. Marcell. XXVII. c. 3.

67) Pag. 235—41

68) Cic. de harusp. resp. c. 12, ubi acriter in Clodii Aedilitatem invehitur: „Istiusmodi Megalesia fecit pater tuus?

non modo apparatum instruebant, sed etiam fabulam psam edendam ab auctoribus [69]) emere, histrionesque mercede conducere debebant: quare in histrionum licentiam, iam ea aetate persaepe cognitam, coërcitio Aedilibus omni tempore ac loco erat, donec Augustus nihilominus eam quoque auctoritatis Aediliciae partem diminueret usque ad scenam et ludos [70]), in quibus iisdem potestatem plane liberam de laudandis ac puniendis histrionibus permisit, ut ipsi multo adhuc serius palmam darent [71]) histrionibus. Quibus in ludis non minus totum populum retinebant Aediles, ne nimie molesta favoris vel malevolentiae documenta de fabula edita histrionibusque in spectaculis ostenderent [72]):

Istiusmodi patruus? Illi cum ludos facerent, servos de caves exire iubebant; tu in alteram servos immisisti, ex altera liberos eiecisti: itaque qui antea voce praeconis a liberis semovebantur, tuis ludis non voce, sed manu liberos a se segregabant."

69) Terent. Eunuch. prolog. v. 19—20:
. . . . „quam nunc acturi sumus
Menandri Eunuchum, postquam Aediles emerunt," e. q. s. Ceterum conferas, quae noster elegantissimus Lessingius in Hamburg. Dramaturg. sec. edit. Berol. p. 275—76 (oper. vol. XXV) et Plauti vita p. 270 (oper. v. XXII) de hac re commentatus est.

70) Sueton. v. August. c. 45: „coercitionem in histriones, magistratibus in omni tempore et loco lege vetere permissam ademit, praeterquam ludos et scenam." Conf. Valer. Max. I. c. 1. §. 16 et Bulenger. de theatr. Graev. thesaur. IX. p. 957.

71) Tertullian. in Marcionem IV.

72) Cuius rei exemplum valde iocosum affert Macrobius, Saturn. II. c. 6: „Cascellius iurisconsultus urbanitatis mirae libertatisque habebatur, praecipue tamen is iocus eius innotuit. Lapidatus a populo Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat, ut Aediles edicerent, ne quis in arenam nisi pomum misisse vellet: forte his diebus Cascellius consultus

qua cum cura quodammodo coniungendum est officium, populum spectantem per certos ordines et a Senatu discernendi in locis; quod sane demum Scipionis Africani Maioris aetate eiusdemque consilio factum est [73]). Novi autem ludi, qui deinde a duobus primis Imperatoribus instituti sunt, nunquam Aedilibus permittebantur, sed, si eorum celebrationem extraordinariam a Tribunis Pl. factam excludimus, statim ad Praetores, et prae ceteris ad Praetorem urbanum transibant: tales autem erant ludi Martiales in mense Sextili [74]), et Augustales in mense Octobri [75]) faciundi.

At postremo eximiae Aedilitatis munificentiae exempla singula adnotantes, animadvertimus omnino usque ad bellum Punicum secundum finitum sumtus Aedilicios vix unquam egressos esse liberalitatem valde modicam, tum autem in quinquaginta annis proxime sequentibus interdum nimie auctos accrevisse, quod iam comperimus ex P. Scipionis Nasicae et P. Lentuli Aedilitate Curuli a. 168 a. Ch. [76]). Sed deinde Asiae,

---

a quodam, an nux pinea pomum esset, respondit: si in Vatinium missurus es, pomum est."

73) Valer. Max. II. c. 4. §. 5, et Liv. XXXIV. c. 54.

74) Dio Cass. LVI. c. 27, Sueton. v. Claud. c. 4.

75) Dio Cass. LIV. c. 10, 26 et 34, LV. c. 26, LVI. c. 25, 29 et 47, LVII. c. 14, inprimisque Tac. Annal. I. c. 15: „Inter quae Tribuni Pl. petivere, ut proprio sumtu ederent ludos, qui de nomine Augusti, fastis additi, Augustales vocarentur; sed decreta pecunia ex aerario, utque per Circum triumphali veste uterentur, curru vehi haud permissum mox celebratio annua ad Praetorem translata, cui inter cives et peregrinos iurisdictio evenisset." Conf. ibid. c. 54.

76) Liv. XLIV. c. 18: „Et iam magnificentia crescente notatum est, ludis Circensibus P. Cornelii Scipionis Nasicae et P. Lentuli Aedilium Curulium sexaginta tres Africanas, et quadraginta ursos et elephantos lusisse."

Graeciae, Africae Hispaniaeque opibus Romae congestis, mox liberalitas modesta cum effusa largitione commutata [77]), non amplius intra fines facultatum privatarum retinebatur, sed alterum modo exemplum luxus illiciti altero adhuc maiore vincebatur, ita ut postea Imperatores prodigi, quod etiam Plinius, horum tamen Imperatorum aequalis, confessus est [78]), Aediles ultimae aetatis reipublicae liberae vix superare possent. Ad quod probandum haec modo documenta respicere volumus. „M. Livius Drusus munus Aedilitium magnificentissimum, quo verbo Aurelius Victor diserte usus est [79]), dedit, unde suas divitias immensas exhausit, posteaque egens largiendi cupidine multa contra dignitatem suam facere seductus est." Fere eodem tempore Q. Lutatius Catulus Aedilis [80]), Campanam imitatus luxuriam, primus spectantium consessum in ludis velorum umbraculis texit, idemque totam scenam ebore praetexuit. Non multo post C. Claudius Pulcher in ludis scenam, vacuis ante pictura tabulis

---

77) Valer. Maxim. II. c. 4. §. 6: „Religionem ludorum crescentibus opibus secuta lautitia est"; tum Liv. VII. c. 2 et Cic. de offic. II. c. 17—18.

78) Hist. nat. XXXVI. c. 15: „Non patiemur duos Caios vel duos Nerones ne hac quidem gloria famae frui: docebimusque etiam insaniam eorum victam privatis operibus M. Scauri, cuius nescio an Aedilitas maxime prostraverit mores civiles, maiusque sit Syllae malum, tanta privigni potentia, quam tot proscriptio millium."

79) De vir. illustr. c. 66.

80) Aedil. Curul. a. 112 a. Ch., vid. supra lib. II. cap. 5. not. 367; Valer. Max. II. c. 4. §. 6 et Ammian. Marcell. XIV. c. 6 in fin.

extensam [81]), primum colorum varietate adumbravit, ac pictura admirationis tam magnae, ut ad tegularum similitudinem corvi imagine decepti advolarent [82]). Quid P. et L. Licinios Crassos, quid duos Lucullos, Aedilitate Curuli una fungentes [83]) laudibus efferam? Quid de C. Iulio Caesare Magno dicam, qui iam in Aedilitate, munere patris funebri fungens, omni apparatu arenae argenteo usus est, ferasque argenteis vasis incessere tum primum Romae iussit? [84]) Attamen hos omnes, Cicerone ipso teste [85]), Aedilitatis splendore P. Cornelius Lentulus Spinther superavit [86]), et hunc rursus M. Aemilius Scaurus [87]), qui tamen non

81) Aedil. Curul. a. 99 a. Ch. et not. 588 supra; Cic. de offic. II. c. 16, id. in Verr. II. l. 4. c. 59, et Valer. Max. II. c. 4. §. 6.

82) Plin. h. nat. XXXV. c. 4.

83) Vid. quae supra l. II. cap. 5 de his Aedilibus Cur. ad ann. 106, 105 et 79 a. Ch. not. 576, 582, 419 et 420 notavimus.

84) Plin. h. nat. XXXIII. c. 5. Conf. de ceteris huius Aedilitatis muneribus sumtuosis iam supra Aed. Cur. a. 66 a. Ch. et not. 445.

85) De offic. II. c. 16.

86) Vid. Aedil. Cur. a. 63 a. Ch. et not. 449.

87) De huius Aedilis Cur. a. 58 a. Ch. muneribus singulis tractavimus supra not. 459, sed huic loco reservavimus eiusdem theatrorum descriptionem ex Plin. h. nat. XXXVI. c. 15: „Scaurus fecit in Aedilitate sua opus maximum omnium, quae unquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, verum etiam aeternitatis destinatione. Theatrum hoc fuit. Scena ei triplex in altitudinem CCCLX columnarum, in ea civitate, quae sex Hymettias non tulerat, sine probro civis amplissimi. Ima pars scenae e marmore fuit, media e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriae. Summae tabulis inauratis columnae, ut diximus: imae duodequadragenûm pedum. Signa aerea inter columnas, ut indicavimus, fuerunt tria millia numero. Cavea

modo in splendidissimis muneribus admirabiliter excelluit, sed etiam melioribus Aedilitatis impensis, de quibus in hoc magistratu plerumque adhibitis Cicero ipse gloriatus est [88]), „muris reficiendis, navalibus, portubus, aquarum ductibus, omnibus quae ad usum reipublicae pertinent" operam magnam navavit. Nihilominus tamen in utramque partem, et utilitatem et splendorem, M. Vipsanius Agrippa prae ceteris, qui unquam Aedilitatem gesserunt, nominari debet, etsi quidem vix amplius Aedilis officium ei vindicari potest, quum idem tantummodo sub Aedilitatis specie quarto anno post primum Consulatum gestum [89]), ac tertio anno ante pugnam Actiacam, tum Augusti, tum Romanorum commodo publico, populi favorem comparaturus, opera splendoris memoria praestantique posteritatis laude dignissima relinquere voluit. Audiamus finem huic capiti ponentes vetera testimonia ipsa, audiamus Plinium de muneribus Agrippae disseren-

---

ipsa cepit hominum octoginta millia, cum Pompeii amphitheatri toties multiplicata urbe, tantoque maiore populo, sufficiat large quadringentis millibus. Sed et reliquus apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, ceteroque choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis, quae superfuerant quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis servis, concremaretur ad H-S millies." Conf. ibid. XXXIV. c. 7, XXXVI. c. 2 et 6. — Caeterum autem plane edituris licitum erat, in locis ponere publicis, quae ad ludos opus essent, qua de re nos certiores facit tabul. Heracleens. aer. Neapolit. lin. 5—5; „Quos ludos quisque Romae, propiusve urbem Romam passus (mille) faciet, quominus ei, eorum ludorum causa, scenam, pulpitum ceteraque, quae ad eos ludos opus erunt, in loco publico ponere, statuere, eisque diebus, quibus eos faciet, loco publico uti liceat, ex hac lege nihil rogatur." Vid. Dirksen. ad h. l. Civilist. Beiträg. II. p. 318—21, quocum viro doctissimo contra Mazochium atque Marezollium prorsus consentio.

88) De offic. II. c. 17.

89) Vid. supra sub Aed. Cur. a. 53 a. Ch. et not. 48a.

tem [90]): „Agrippa vero in Aedilitate sua, adiecta Virgine aqua, ceteris corrivatis atque emendatis, lacus septingentos fecit: praeterea salientes centum quinque: castella centum triginta, complura etiam cultu magnifica: operibus iis signa trecenta aerea aut marmorea imposuit, columnas ex marmore quadringentas, eaque omnia annuo spatio [91]). Adiecit ipse in Aedilitatis suae commemoratione, et ludos undesexaginta diebus factos, et gratuita praebita balinea centum septuaginta [92]), quae nunc Romae ad infinitum au-

---

90) Hist. nat. XXXVI. c. 15, quocum conf. ibid. XXXI. c. 5.

91) Cum his Agrippae munera eodem modo laudantem Dionem Cass. XLIX. c. 43 conferas: „*Τῷ δ' ὑστέρῳ ἔτει Ἀγορανόμος ὁ Ἀγρίππας ἑκὼν ἐγένετο· καὶ πάντα μὲν τὰ οἰκοδομήματα τὰ κοινὰ, πάσας δὲ τὰς ὁδοὺς, μηδὲν ἐκ τοῦ δημοσίου λαβὼν, ἐπεσκεύασε· τούς τε ὑπονόμους ἐξεκάθηρε, καὶ ἐς τὸν Τίβεριν δι' αὐτῶν ὑπέπλευσε. κἂν τῷ ἱπποδρόμῳ σφαλλομένους τοὺς ἀνθρώπους περὶ τὸν τῶν διαύλων ἀριθμὸν ὁρῶν, τούς τε δελφῖνας καὶ τὰ ὠοειδῆ δημιουργήματα κατεστήσατο, ὅπως δι' αὐτῶν αἱ περίοδοι τῶν περιδρόμων ἀναδεικνύωνται. τά τε βαλανεῖα προῖκα δι' ἔτους καὶ τοῖς ἀνδράσι καὶ ταῖς γυναιξὶ λούεσθαι παρέσχε· καὶ τοὺς κουρέας ἐν ταῖς πανηγύρεσιν, ἃς πολλὰς καὶ παντοδαπὰς ἐποίησεν, ὥςτε καὶ τοὺς τῶν βουλευτῶν παῖδας τὴν Τροίαν ἱππεῦσαι, ἐμισθώσατο, ἵνα μηδεὶς μηδὲν αὐτοῖς ἀναλώσῃ. καὶ τέλος, συμβολά τέ τινα ἐς τὸ θέατρον κατὰ κορυφὴν ἔῤῥιψε, τῷ μὲν ἀργύριον, τῷ δὲ ἐσθῆτα, τῷ δὲ ἄλλο τι φέροντα· καὶ ἄλλα πάμπολλα ὤνια ἐς τὸ μέσον καταθεὶς, διαρπάσαι σφίσιν ἐπέτρεψεν.*" Quibus adiungas ibid. LIII. c. 27, LIV. c. 8, ibid. c. 29: „*Ἀγρίππας τῷ Αὐγούστῳ τὴν μοναρχίαν, ὡς καὶ δυναστείας ὄντας ἐπιθυμητῇ, συνέστησε, καὶ τὸν δῆμον εὐεργεσίαις, ὡς καὶ δημοτικώτατος, προςεποιήσατο. καὶ τότε γοῦν κήπους τε σφίσι καὶ τὸ βαλανεῖον τὸ ἐπώνυμον αὐτοῦ κατέλιπεν, ὥςτε προῖκα αὐτοὺς λοῦσθαι· χωρία τινὰ ἐς τοῦτο τῷ Αὐγούστῳ δούς· καὶ ὃς οὐ μόνον ταῦτ' ἐδημοσίευσεν, ἀλλὰ καὶ καθ' ἑκατὸν δραχμὰς τῷ δήμῳ, ὡς καὶ ἐκείνου κελεύσαντος, διένειμε.*" Tum ibid. LV. c. 8.

92) De thermis praeterea vid. Plin. h. n. eod. l. c. 25 in fin.,

xere numerum." Alio autem loco eiusdem capitis: „A M. Agrippa in Aedilitate post Consulatum, per meatus corrivati septem amnes, cursuque praecipiti torrentium modo rapere atque auferre omnia coacti, insuper mole imbrium concitati, vada ac latera quatiunt: aliquando Tiberis retro infusi recipiunt fluctus, pugnantque diversi aquarum impetus intus, et tamen obnixa firmitas resistit." „Sed post Aedilitatem quoque gestam, operum suorum et munerum curam perpetuam retinuit Agrippa, familiamque propriam habuit, aquarum quae tueretur ductus, atque castella et lacus. Hanc Augustus hereditatem ab eo sibi relictam publicavit." [93]) „Praeterea Agrippa copia iam permittente descripsit, quid aquarum publicis operibus, quid lacubus, quid privatis daretur: quare Augustus edicto complexus est, quo iure uterentur, qui ex commentariis Agrippae aquas haberent, tota re in sua beneficia translata." [94])

Quid grandius aut memorabilius praestiterunt Imperatores, si totum imperii tempus tali largitioni dicatum, si communes totius imperii opes in eorum manus confluentes, cum illorum divitiis privatis comparare conamur? Certo hac ratione sumtuum publicorum habita, neque Tiberii valde parcentis [95]), neque

---

et XXXIV. c. 8, et XXXV. c. 4, quae Tito regnante corruptae sunt, Dio Cass. LXVI. c. 24. — Conf. Laur. Jouberti de balneis antiquorum dissertat. in Salengr. thes. A. Rom. v. I. p. 573—84.

93) Frontin. de aquaeductib. II. med. edit. Keuchen. p. 249.

94) Ibid. et Dio Cass. citat. in not. 91.

95) Sueton. Tiber. c. 7, et c. 34: „Ludorum ac munerum impensas corripuit, mercedibus scenicorum rescissis, paribusque gladiatorum ad certum numerum redactis."

Caligulae ac Neronis insaniae prodigae [96]), nec etiam Vespasiani Domitianique [97]) munera — posterioris autem aetatis splendore quoque laudatissima Commodi atque Severi [98]) plane taceo — digna videntur, quae maiora dicantur: vix hanc laudem Octaviani Augusti [99]), et Traiani ac Hadriani spectaculis aedificiisque [100]) concedere nobis licet.

---

96) De Caligulae spectaculis magnificis, Sueton. Calig. c. 18 — 19, Dio Cass. LIX. c. 6 et 11, a quo Imperatore Saturnalia praecipue aucta sunt. De Neronis profusione, Sueton. Ner. c. 11 e. q. s.

97) De Vespasiani muneribus, Dio Cass. LXVI. c. 10; de Domitiani, Sueton. Domit. c. 4.

98) De Commodi ludis refert Herodian. I. c. 9 et 15; de Severi, Xiphilin. Excerpt. Dio. Cass. LXXVI. c. 1.

99) Augusti ludos descripsit Sueton. Aug. c. 43 — 45.

100) De Traiani largitione conf. Xiphilin. Excerpt. Dio. Cass. LXVIII. c. 15 — 16 et Plin. epistol. IX. ep. 6; de Hadriani, Dio Cass. LXIX. c. 4 et 10, atque Spartian. in vit. Hadrian. med. p. 26.

CAP. III.

AEDILIUM CURAE IN AEDIBUS TAM PUBLICIS QUAM PRIVATIS FACIENDIS AC CONSERVANDIS, IN FORO LOCISQUE PUBLICIS ORNANDIS, DENIQUE IN VIIS PUBLICIS, AQUARUM DUCTIBUS ET CLOACIS OBSERVANDIS.

Hae Aedilium curae, quas tertio capite complectimur, ex Hotomanni sententia [1]) non minus, quam priores, quoddam discrimen inter utramque Aedilitatem constituisse dicuntur, nempe ea ratione, ut Curules aedibus publicis, Plebeii solummodo privatis praeessent; porro ut Curules soli vias publicas curandas haberent, et Plebeii vilissima cura Aedilicia cloacarum inspiciendarum tenerentur. Sed ex exemplis ipsis hae argutiae investigatorum nobilitati nimie faventium prorsus concidunt, colligiturque, quemadmodum id iam supra a nobis libri primi capite quinto demonstratum est, has etiam curas promiscuas ab Aedilibus Curulibus et Plebeiis esse administratas.

Quod autem ad opera publica facienda adtinet, ad primum huius libri caput lectores mittere mihi liceat,

---

1) De magistrat. Roman. in Graev. thes. R. Ant. II. p. 1863.

quo discrimen inter verba aedes facere et aedes faciendas curare, et inter Censorum aedium faciendarum locationem ac Aedilium curas in aedificatione ipsa occupatas iam expositum est. Eadem quidem cura, quae in aedibus sacris exstruendis observanda erat, in publicis quoque aedificiis Aedilibus demandabatur, ut cuncta urbana aedificia integra, munda, lauta atque expedita semper essent: quare in curiis, porticibus, portubus aliisque aedificiis publicis sive exstruendis [2]), sive reficiendis [3]), quae cuncta Censores locare debebant [4]), tum in viis

---

2) Liv. XXXV. c. 10: „Aediles Curules porticum unam extra portam Trigeminam, emporio ad Tiberim adiecto; alteram a porta Fontinali ad Martis aram, qua in Campum iter esset, perduxerunt." Inprimis autem huius rei testimonia gravissima praebentur, ibid. XLI. c. 27: „Censores vias sternendas silice in urbe, glarea extra urbem substruendas marginandasque primi omnium locaverunt, pontesque multis locis faciendos; et scenam Aedilibus Praetoribusque praebendam et carceres in circo, et ova ad notas curriculis numerandis: . . . . . . et clivum Capitolinum silice sternendum curaverunt, et porticum ab aede Saturni in Capitolium ad senaculum, ac super id curiam. Et extra portam Trigeminam emporium lapide straverunt, stipitusque sepserunt: et porticum Aemiliam reficiendam curarunt: gradibusque adscensum ab Tiberi in emporium fecerunt: et extra eamdem portam in Aventinum porticum silice straverunt, et eo publico ab aede Veneris fecerunt." Conf. Liv. XLV. c. 15.

3) Liv. XXXIV. c. 44: „Atrium Libertatis et villa publica ab eisdem refecta amplificataque."

4) Liv. XXXIX. c. 44: „Censores opera deinde facienda ex decreta in eam rem pecunia, lacus sternendos lapide, detergendasque qua opus esset cloacas; in Aventino et in aliis partibus, qua nondum erant, faciendas locaverunt. Et separatim Flaccus molem ad Neptunias aquas, ut iter populo esset, et viam per Formianum montem. Cato atria duo, Maenium et Titium in lautumiis, et quatuor tabernas in publicum emit;

novis ac pontibus faciendis veteribusque restituendis [5]),

basilicamque ibi fecit, quae Porcia adpellata est." Ibid. XL. c. 46: „Censoribus deinde postulantibus, ut pecuniae summa sibi, qua in opera publica uterentur, adtribueretur, vectigal annuum decretam est." Ibid. c. 51: „Opera ex pecunia adtributa divisaque inter se haec confecerunt. Lepidus theatrum et proscenium ad Apollinis, aedem Iovis in Capitolio, columnasque circa poliendas albo locevit: et ab his columnis, quae incommode obposita videbantur, signa amovit; clipeaque de columnis, et signa militaria adfixa omnis generis demsit. M. Fulvius plura et maioris locavit usus; portum et pilas pontis in Tiberim: quibus pilis fornices post aliquot annos P. Scipio Africanus et L. Mummius Censores locaverunt imponendos: basilicam post argentarias novas et forum piscatorium, circumdatis tabernis, quas vendidit in privatum: et forum et porticum extra portam Trigeminem et aliam post navalia et ad fanum Herculis et post Spei ad Tiberim aedem Apollinis Medici. Habuere et in promiscuo praeterea pecuniam. ex ea communiter locarunt aquam adducendem, fornicesque faciendos." At Censores opera publica non Romae modo, sed in tota Italia facienda locaverunt, quod eodem capite Livius testetur: „Lepidus molem ad Tarracinam, ingratum opus, quod praedia habebat ibi, privatamque publicae rei impensam imposuerat": tum idem XLI. c. 27: „iidem Censores Calatiae et Auximi muros faciendos locaverunt: venditisque ibi publicis locis, pecuniam, quae redacta erat, tabernis utrique foro circumdandis consumserunt. Et alter ex iis Fulvius Flaccus (nam Postumius, nisi Senatus Romani populive iussu, se locaturum ipsorum pecunia) Iovis aedem Pisauri, et Fundis, et Pollentiae etiam aquam adducendam, et Pisauri viam silice sternendam, et Sinuessam" e. q. s. Sed Aedilium euctoritas in his operibus plane deerat, neque unquam in aedificiis observandis extra urbis fines extendebatur.

5) Liv. XXIX. c. 37: „Sarta tecta acriter et cum summa fide exegerunt; viam e foro Boario ad Veneris, et circa foros publicos, et aedem Matris Magnae in Palatio faciendam locaverunt"; tum conf. exempla in not. antecedentibus, tabulae Heracleensis aer. Brittan. lin. 24—51, quas iam supra p. 184 exscripsi, et Dirksen. Civil. Beiträg. II. p. 225—35. — De

denique in foro locisque publicis ornandis [6]), hunc magistratum eodem modo occupatum reperimus. Ex quibus operibus publicis soli muri turresque Aedilium curae subtrahebantur, quum proprii curatores iis condendis reficiendisve in comitiis crearentur, et a Livio [7]) „Quinqueviri muris turribusque reficiendis" proderentur. Sed opera publica minora, quorum procuratio Aedilibus peculiariter adtributa erat, ipsi locare solebant, cuius rei negotium plenum in tabulae Heracleensis aere Brittanico [8]) copiose descriptum,

---

pontibus vid. ex Papiniani libro singulari de officio Aedilium, de quo iam supra p. 85 locutus sum, in Digest. XLIII. tit. 10. §. 1: „Aediles studeant, ut quae in urbe sunt viae, adaequentur, et effluxiones non noceant domibus, et pontes fiant, ubicnmque oportet".

6) Liv. IX. c. 40. Quum permagna Samnitium clade scuta partim auro, partim argento caelata sibi compararent Romani (a. 308 a. Ch.), „tantnm magnificentiae visum in iis, ut aurata scuta dominis argentariarum ad forum ornandum dividerentur: inde natum initium dicitur fori ornandi ab Aedilibus, quum tensae ducerentur." Plin. h. nat. XXXV. c. 14: „Lacedaemone quidem excisum lateritiis parietibus opus tectorium propter excellentiam picturae ligneis formis inclusum, Romam deportavere in Aedilitate ad comitium exornandum Muraena et Varro." Sueton. Caes. c. 10: „Caesar Aediles praeter comitium ac forum, basilicasque, etiam Capitolium ornavit porticibus ad tempus exstructis; in quibus abundante rerum copia, pars apparatus exponeretnr."

7) Liv. XXV. c. 7; conf. Gruchii de comit. Romanor. II, 11.

8) Lin. 32 — 49. Inprimis de his consulas Dirksen. Civilist. Beiträg. II. p. 209 seq., cuius commentario egregio aliquid addere vix oonari possem, si quidem ex meis prioribus promissis in prodromo hano tabulae Heracleensis partem in universum illustrare vellem. Eo magis nnnc libri mei volumine excusabor, ut hoc loco, nihil ipse praebens magis magisque libri finem accelerans, ad hunc virum, in fontibus historicis aeque ac in iuridicis versatissimum prorsus revocem.

optime ex huius antiquissimi documenti verbis propriis illustratur: „Quae via inter aedem sacram, item aedificium locumve publicum, et inter aedificium privatum est, erit, eius viae partem dimidiam is Aedilis, cui ea pars urbis obvenerit, in qua parte ea aedes sacra erit, sive aedificium publicum, sive locus publicus, tuendam locato." „Quemcunque ante suum aedificium viam publicam hac lege tueri oportebit, qui eorum eam viam, arbitratu eius Aedilis, cuius oportuerit, non tuebitur, eam viam Aedilis, cuius arbitratu eam tueri oportuerit, tuendam locato, isque Aedilis diebus ne minus decem, antequam locet, apud forum, ante tribunale suum, propositum habeto, quam viam tuendam, et quo die locaturus sit, et quorum ante aedificium ea via sit: eisque, quorum ante aedificium ea via erit, procuratoribusve eorum, domum denuntietur facito, se eam viam locaturum, et quo die locaturus sit: eamque locationem palam in foro per Quaestorem urbanum, eumve, qui aerario praeerit, facito. Quanta pecunia eam viam locaverit, tantae pecuniae eum, eosve, quorum ante aedificium ea via erit, pro portione quantum cuiusque ante aedificium via in longitudine et in latitudine erit, Quaestor urbanus, quive aerario praeerit, in tabulas publicas pecuniae factae referundum curato." „Ei, qui eam viam tuendam redemerit, tantae pecuniae eum eosve adtribuito, sine dolo malo: si is, qui adtributus erit, eam pecuniam diebus triginta proxumis, quibus ipse aut procurator eius sciet, adtributionem factam esse, ei, cui adtributus erit, non solverit, neque satisfecerit, is, quantae pecuniae adtributus erit, tantam pecuniam et eius dimidium ei, cui adtributus erit, dare debeto: inque eam rem is, quocunque de ea re aditum erit, iudicem iudiciumque ita dato, uti de pecunia credita (iudicem) iudiciumque dari oportebit." „Quam viam hac lege tuendam locari oportebit, Aedilis, quem eam viam tuendam locare oportebit, is eam viam

per Quaestorem urbanum, quive aerario praeerit, tuendam locato, uti eam viam arbitratu eius, qui eam viam locandam curaverit, tueatur. Quanta pecunia ita quaeque via locata erit, tantam pecuniam Quaestor urbanus, quive praeerit aerario, redemtori, cui e lege locationis dari oportebit, heredive eius, dandam adtribuendam curato." — Rarissimum autem exemplum nobis obviam se fert, quod Aediles ipsi omnia opera publica maiora minorave, quae intra muneris administrati annum aedificanda erant, privata pecunia facienda suscepissent, quemadmodum id M. Vipsanius Agrippa fecit [9]).

Nec minus ex eadem tabula Heracleensi Aedilium curae in aedibus privatis observandis cognoscuntur, quae tales fuisse videntur, ut ex domorum aedificatione sive amplificatione ac refectione, aut ex commercio quotidiano ante aedes acto, neque civium singulorum securitas laedi, neque locorum publicorum viarumque spatium accommodatum vel assuetum coërceri, neque commodum publicum [10]) ulla ratione prohiberi aut penitus tolli pos-

9) Dio Cass. XLIX. c. 43: „τῷ δ' ὑστέρῳ ἔτει Ἀγορανόμος ὁ Ἀγρίππας ἑκὼν ἐγένετο· καὶ πάντα μὲν τὰ οἰκοδομήματα τὰ κοινά, πάσας δὲ τὰς ὁδούς, μηδὲν ἐκ τοῦ δημοσίου λαβών, ἐπεσκεύασε"

10) Conf. Digest. XVIII. tit. 6. l. 12: „Lectos emtos Aedilis, cum in via publica positi essent, concidit: si traditi essent emtori, aut per eum stetisset, quo minus traderentur, emtoris periculum esse placet." Et tabul. Heracl. aer. Britt. l. 20 — 25: „Quae viae in urbe Roma, propiusve urbem Romam passus (mille), ubi continenti habitabitur, sunt, erunt, cuius ante aedificium earum quae viae erunt, is eam viam, arbitratu eius Aedilis, cui ea pars urbis hac lege obvenarit, tueatur, isque Aedilis curato, uti, quorum ante aedificium erit, quamque viam hac lege quemque tueri oportebit, ei omnes arbitratu eius tueantur, neve eo loco aqua consistat, quo minus commode populus ea via utatur."

set. Legis enim verba sunt [11]): „Quae loca publica, porticusve publicae, in urbe Roma, propiusve urbem Romam passus (mille) sunt, erunt, quorum locorum, cuiusve porticus Aedilium, eorumve magistratuum, qui viis locisque publicis urbis Romae, propiusve urbem Romam passus (mille) purgandis praeerunt, legibus procuratio est, erit: ne quis in iis locis inve iis porticibus quid inaedificatum immolitumve habeto, neve ea loca, porticumve quam possideto, neve eorum quod septum clausumve habeto, quominus eis locis porticibusque populus utatur, pateantve: nisi quibus utique legibus, plebisve scitis, Senatusve consultis concessum, permissumve est." „Quibus locis ex lege locationis, quam Censor aliusve quis magistratus, publicis vectigalibus ultrove tributis fruendis tuendisve dixit, dixerit: eis, qui ea fruenda tuendave conductas habebunt, ut uti frui liceat, uti ea ab eis custodiantur, cautum est, ei quominus eis locis utantur, fruantur ita, uti cuique eorum (ex lege locationis iisdem) uti frui licebit, ex hac lege nihil rogatur." His adnectas leges, quas Iustiniani Digesta [12]) ex Papiniani libro de officio Aedilium nobis servaverunt: „Aediles studeant etiam, ne eorum aut aliorum parietes, etiam domorum, qui ad viam ducunt, sint caduci: sed ut oportet, emundent domini domorum et construant." „Si autem non emundaverint, neque construxerint, multent eos, quousque firmos effecerint." „Curent autem, ut nullus effodiat vias, neque subruat, neque construat in viis aliquid." Si autem servus quidem fuerit, ab

---

11) Tab. Heracl. aer. Britann. lin. 68—74, aer. Neapolit. lin. 1 — 2, et Dirksen. loc. cit. p. 292 seq.

12) Digest. XLIII. tit. 10 §. 2 — 5.

obviante fustigetur: si liber, demonstretur Aedilibus; Aediles autem multent secundum legem, et quod factum est, dissolvant." „Construat autem vias publicas unusquisque secundum propriam domum, et aquaeductus purget, qui sub dio sunt, id est coelo libero, et construat ita, ut non prohibeatur vehiculum transire: quicumque autem mercede habitant, si non construat dominus, ipsi construentes computent dispendium in mercedem." „Aediles studeant autem, ut ante officinas nihil proiectum sit, vel propositum, praeterquam si fullo vestimenta siccet, aut faber currus exterius ponat: ponant autem hi, ut non prohibeant vehiculum ire." „Non permittant autem rixari in viis, neque stercora proiicere, neque morticina, neque pelles iacere."

Ex his iam patet, Aedilium etiam fuisse officium, ut in viis nihil illicitum deportaretur, ad quod in postrema reipublicae liberae aetate plaustra etiam numerabantur, quae post solem ortum usque ad decimam diei horam in urbe vehebantur, neque sacrorum ludorumque caussa, neque aedium sacrarum operisve publici apparatui adducendo adhibebantur [13]): porro ut

---

13) Quam curam Aedilium auctoritati iustissime Dirksanius loc cit. p. 275 seq. ex interpretat. tab. Heracl. lin. 56—67 adtribuit: „Quae viae in urbe Roma sunt, erunt, intra ea loca ubi continenti habitabitur, ne quis in iis viis post Calendas Ianuarias primas, plostrum interdiu post solem ortum, neve ante horam decimam diei ducito, agito, nisi quod aedium sacrarum deorum immortalium caussa aedificandarum, operisve publici faciundi caussa advehi, portari oportebit: aut quod ex urbe, exve iis locis, earum rerum, quae publice demoliendae locatae erunt, publice exportari oportebit, et quarum caussa plostra hac lege certis hominibus, certis de caussis, agere, ducere licebit." „Quibus diebus virgines Vestales, Regem sacrorum, Flamines plostris in urbe, sacrorum publicorum populi Romani caussa, vehi oportebit, quaeque plostra triumphi

vias ipsas, quoties iis necessarium appareret, purgandas curarent [14]). Quo in munere tamen quosdam administros habebant Aediles, nempe „Quatuorviros viis in urbe purgandis", et „Duumviros viis extra propiusve urbem Romam passus mille purgandis" [15]): quorum illos Augustus tanquam magistratum ordinarium urbis administrationi sub Imperatoribus recepit [16]), hos autem ex eadem prorsus sustulit [17]). At ab his Romae ipsius viarum curis

caussa, quo die quisque triumphabit, duci oportebit, quaeque plostra ludorum, qui Romae aut urbi Romae publice fient, iuve pompam ludis Circensibus, duci, agi opus erit, quove minus earum rerum caussa, iisque diebus plostra interdiu in urbe ducantur, agantur, eorum hac lege nihil rogatur." „Quae plostra noctu in urbem inducta erunt, quominus ea plostra inania, aut stercoris exportandi caussa, post solem ortum horis decem diei, bobus iumentisve iuncta in urbe Roma, et ab urbe Roma passus mille, esse liceat, eorum hac lege nihil rogatur."

14) Praeterea vid. Sueton. Vespas. c. 5 et Dio Cass. LIX. c. 12; sed de viarum cura inter utramque Aedilitatem distribuenda et de posteriore Aedilitatis tempore conf., quae supra p. 185 et 230 admonui.

15) Tabul. Heracleens. lin. 50: „Quominus Aediles et Quatuorviri viis in urbe purgandis, Duumviri viis extra propiusve urbem Romam passus (mille) purgandis, quicumque erunt, vias publicas purgandas curent, eiusque rei potestatem habeant, ita uti legibus, plebisve scitis, Senatusve Consultis oportet, oportebit, eorum hac lege nihil rogatur." Pompon. de orig. iur. §. 30: „Eodem tempore (Praetoris peregrini primum instituti) et Quatuorviri, qui curam viarum gererent, creati sunt."

16) Dio Cass. LIV. c. 26: „οἱ τῶν ἐν τῷ ἄστει ὁδῶν ἐπιμελούμενοι"; tum Sueton. August. c. 57.

17) Dio Cass. LIV. c. 26: „οἱ γὰρ δὴ δύο οἱ τὰς ἔξω τοῦ τείχους ὁδοὺς ἐγχειριζόμενοι, οἵ τε τέσσαρες οἱ ἐς τὴν Καμπανίαν πεμπόμενοι, κατελέλυντο."

omnino discerni debet procuratio viarum clarissimarum in Italia, quae ex urbe Roma initium capiebant: nam harum quaeque peculiarem procuratorem e viris Senatoriis vulgariter assumtum nanciscebatur [18]).

Sed nullam Aedilium tam copiose relatam ex antiquitatis fontibus accepimus, quam aquaeductuum aquarumque dandarum munus, quum Frontinus [19]) accuratius, quam tales res ab auctoribus antiquis describi solent, non modo cuiusdam temporis magistratuum curas in his rebus procurandis, sed etiam administrationis permutatae modos paullatim in iis factos commemoraret. Itaque nihil nos posse melius facere censemus, quam ut hunc testem aequalem (nam sub Imperatore Nerva aquaeductuum curam gessit), de rebus antiquioribus severius iam perscrutantem, ipsum loquentem in medium proferamus: „Sequitur ut indicemus, quod ius ducendae sit aquae, quaeve cura ductuum sit habenda; quorum alterum ad cohibendos intra modum impetrati beneficii privatos, alterum ad ipsorum ductuum pertinet tutelam, in quibus dum altius repeto leges de singulis, quas late quidem apud veteres observatas inveni, earum aequitatem prudentiamque reticendam non censui." „Apud antiquos omnis aqua in publicos usus erogabatur; legeque cautum ita fuit, ne quis privatus aliam ducat, quam quae ex lacu humum accedit (haec enim verba sunt eius legis), id est, quae ex lacu abundavit; eam nos caducam

---

18) Thermus, curator viae Flaminiae, Cic. ad Attic. I. ep. 1; Caesar, curator viae Appiae, Plutarch. Caes. c. 5; Cornutus Tertullus, curator viae Aemiliae, Plin. min. Epist. V. ep. 15; conf. insuper Plutarch. Cai. Grach. c. 7. De caeteris viarum curis sub Imperatoribus legas, quae supra p. 217 seq. scripsi.

19) De aquaeduct. Rom. l. II. edit. Keuchen. p. 247—49, cum quibus conf. Brissonium de verbor. significat. I. s. voc. aquar. seq.

vocamus. Et haec ipsa non in alium usum, quam in balnearum aut fullonicorum dabatur, eratque vectigalis statuta merces, quae in publicum penderetur; aliquid et in domos Principum dabatur, concedentibus reliquis." „Ad quem autem magistratum ius dandae vendendaeque aquae pertinuerit, in iis ipsis legibus variatur." „Interdum enim ab Aedilibus, interdum a Censoribus permissum invenio [20]): sed apparet quoties Censores in republica erant, ab illis potissimum petitum, cum ii non erant, Aedilium eam potestatem fuisse." „Ex quo manifestum est, quanto potior cura maioribus communium utilitatum, quam privatarum voluptatum fuerit, cum ad usum publicum pertineret etiam ea aqua, quam privati ducebant." Tutelam autem singularum aquarum locari solitam invenio, positamque redemtoribus necessitatem, certum numerum circa ductus extra urbem, et certum in urbe servorum opificum habendi, et quidem ita, ut nomina quoque eorum, quos habituri erant in ministerio, per quasque regiones in tabulas publicas deferrent, eorumque operum probandorum curam fuisse penes Censores aliquando et Aediles, interdum etiam Praetoribus [21]) eam

20) Conf. Frontin. de aquaeduct. I in init. Sed in hoc quoque munere inter Censorum Aediliumque potestatem non parvum diserimen eo exstitisse videtur, ut ius dandae vendendaeque aquae ex novis ductibus nuper factis, aut ex refectis atque nondum denuo locatis pertinuerit ad Censores, quotidianum tameu negotium, quod dandae vendendaeque aquae rationem inspicere deberet, num ea semper recte ageretur, haud dubie solum in Aedilium potestate sit positum.

21) Sic emendandum esse puto pro vulgari lectione Censoribus: facile enim concedetur, hoc in loco magistratum extra vulgarem ordinem hoc negotio occupatum reperiendum esse, quod autem neque de Censoribus, neque de Aedilibus, qui aquarum procurationi peculiariter praefuerunt, dici potest: at praeterea tum Censores, tum Aediles in versu proxime ante-

provinciam obvenisse, ut apparet ex S. C. [22]), quod factum est C. Licinio Geta et Q. Fabio Consulibus [23]). „Quantopere autem curae fuerit, ne quis violare ductus, aquamve non concessam derivare auderet, cum ex multis apparere potest, tum ex hoc, quod Circus Maximus ne diebus quidem ludorum Circensium, nisi Aedilium aut Censorum permissu, irrigabatur: quod durasse etiam res ad curatores [24]) transiit sub Augusto, apud Atteium Capitonem legimus." „Agri vero qui aqua publica contra legem essent irrigati, publicabantur; mancipia etiam, sicut ea, quae adversus legem mulcta loco fecisse dicebantur." „In iisdem legibus

---

cedenti iam nominati sunt, itaque omnino alius magistratus sequi debuit, certoque a Frontino proditus est, quem tamen malus librarius pessime ex proximo verbo Censores repetiit. Nihilominus tamen nunc quaestio exoriri possit, num Consules aut Praetores Frontinus hoc loco scripserit; hos elegi, quod etiam in aliis auctorum veterum testimoniis iidem in quibusdam curis, ex Senatusconsulto demandatis, aquaeductibus praefuisse repariuntur, sicuti ex. gr. Plinius h. nat. XXXVI. c. 15 comprobat: „Q. Marcius Rex iussus a Senatu aquarum Appiae, Anienis, Tepulae ductus reficere, novam a nomine suo appellatam cuniculis per montes actis intra Praeturae suae tempus adduxit."

22) In altero codice male legitur e o.

23) Consules fuerunt a. 116 a. Ch. Meliorem lectionem a Keuchenio iam editam sequutus sum pro vulgari omnino corrupta C. Liciano Cesula (quod nomen ne in Romanis quidem gentibus antiquis aspicitur) et M. Fabio Censoribus, quique insuper unius anni neque Consules, neque Censores dicti sunt.

24) Vid. Frontini de aquaeduct. libri secundi partem dimidiam alteram inde ex pag. 249, inprimisque Senatusconsulta ibidem exstantia; tum quae equidem de his aquarum curatoribus iam supra pag. 219 annotavi. Conferas insuper Raph. Fabretti de aquis et aquaeductibus veteris Romae dissertationes tres, in Graev. thesaur. Ant. Roman. IV. p. 1677 — 1778.

adiectum est ita, ne quis aquam oletato dolo malo, ubi publice salit; si quis oletarit, sestertiorum decem millium mulcta esto: oletato, videtur esse olidam facito, cuius rei caussa Aediles Curules iubebantur per vicos singulos ex iis, qui in unoquoque vico habitarent praediave haberent, binos praeficere, quorum arbitratu aqua in publicum saliret. Primus M. Agrippa post Aedilitatem [25]), quam gessit Consularis operum suorum et munerum veluti perpetuus curator fuit." . . . . „Habuit et familiam propriam [26]), aquarum quae tueretur ductus atque castella et lacus: hanc hereditatem Augustus ab eo sibi relictam publicavit." „Post eum Q. Aelio Tuberone, P. Fabio Maximo iterum Coss. in re, quae usque in id tempus, quasi potestate acta, certo iure eguisset, Senatusconsulto acta sunt, ac lex promulgata."

Sed iam in primo seculo post Chr. n. aquaeductuum perducendorum cura superior (nam inspiciendi officium solum permansit penes curatores aquarum) transiit ad Imperatores ipsos, quorum exempla plu-

25) De hac Aedilitate in fine capitis antecedentis copiosius tractavi: sed his adhuc addas Frontinum ipsum de aquaed. I. edit. Keuch p. 224, ubi horum aquaeductuum descriptio accuratior usque ad eorum mensuram reddita est.

26) De his familiis Frontinus eodem libro mox infra p. 256 maiorem reddit copiam: „Superest tutela ductuum, de qua prius quam dicere incipiam, pauca de familia, quae huius rei causa parata est, explicanda sunt." „Familiae sunt duae, altera publica, altera Caesaris; publica antiquior, quam ab Agrippa Augusto relictam, et ab eo publicatam diximus: habet homines circiter ducentos quadraginta. Caesaris familiae, quam Claudius cum aquas in urbem perduceret constituit, numerus est quadringenti sexaginta." „Utraque autem familia in aliquot ministeriorum species diducitur: villicos, castellarios, curatores, silicarios, tectores, aliosque opifices." „Ex his aliquos extra urbem esse oportet ad ea, quae non sunt magnae molitionis." e. q. s.

rima et Plinius [27]), Suetonius [28]) scriptoresque historiae augustae [29]), et inscriptiones antiquae de primis Imperatoribus [30]) praebent. — Eodem modo administranda persimillima cloacarum cura Aedilium potestati tradita erat, dum respublica perstaret libera, Augustique deinde imperium vigeret [31]); sed mox postea eadem, sicuti priores, propriis curatoribus cloacarum demandabatur [32]).

---

27) Hist. nat. XXXVI. c. 15: „vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati a C. Caesare et peracti a Claudio."

28) Caligul. c. 21 et Claud. c. 19—20.

29) Capitolin. in v. M. Anrel., edit. Boxhorn. p. 90.

30) Monument. Ancyran. s. 4: „rivos aquarum compluribus locis vetustate labentes refeci, et aquam quae Martia appellatur, duplicavi fonte novo in rivum eius immisso." Conf. quas vulgariter in appendice Suetonii editionum invenies, de Augusto nr. 8, de Claudio nr. 2, de Vespasiano nr. 5 et 6, de Tito nr. 4, easque illustres ex Frontino l. c.

31) Conf. Liv. V. c. 55, et ex Agrippae Aedilitate Dio Cass. XLIX. c. 43: „τούς τε ὑπονόμους ἐξεκάθηρε, καὶ ἐς τὸν Τίβεριν δι᾽ αὐτῶν ὑπέπλευσε."

32) Quales iam supra p. 219 ex inscriptionibus antiquis in medium protuli.

CAP. IV.

AEDILIUM CURAE IN ANNONAE RERUMQUE VENALIUM COMMERCIO, IN AGRIS PECUARIISQUE OBSERVANDIS, IN FRUMENTO OLEOQUE DIVIDENDO, IN FOENORE COERCENDO AC ARGENTO MULTATICIO ADMINISTRANDO [1]).

De his curis, quas supra in libro primo [2]) ad discrimen inter Aediles Curules Plebeiosque exponendum ac fere ubique denegandum iam accuratius attigimus, Everardus Otto [3]) plerumque satisfacientem exemplorum copiam congessit, quod eaedem tam Romae, quam in municipiis coloniisve Aedilibus communes erant. Ex his luculenter patet, Aedilium fuisse offi-

1) Cui capiti simul dissertationem de Aedilium iurisdictione universa, quam supra pag. 190. not. 90 me latius exponere velle pollicitus sum, adiungere deberem, nisi nunc accommodatius censerem, rem pro meis viribus iam supra pag. 167—71 et pag. 187—97 me protulisse absolutam, copiosiorem autem huius rei elaborationem, a meis studiis magis remotam, melius me posse ampliori eruditioni permittere iuridicorum.

2) Vid. pag. 165—67.

3) De Aedilibus municip. c. 10. p. 559—67.

cium prospiciendi, ut omnium rerum non frumentariae tantum, sed et ceterarum inprimisque olei [4]) semper adesset copia, ut iusto pretio venirent [5]), neve rancida aut vitiosa pro sinceris, fracta pro integris venum exponerentur, aut mala mancipia pro bonis, iumentave morbosa pro sanis, ceteraque vitio sedulo celato venderentur: itaque laniones aliique rerum venalium obsoniorumque mercatores, si fraude circumvenissent emtores, ab Aedilibus damnabantur [6]), Aedilicioque

4) Plin. hist. nat. XV. c. 1: „Et mox anno sexcentesimo octogesimo M. Seius, L. F., Aedilis Curulis olei denas libras singulis assibus praestitit populo Romano per totum annum."

5) Qua de re Apuleii testimonium bene laudavit Otto; exstat in metamorphos. I in fin., ubi de Pythea, Hypatae civitatis Thessalicae Aedile sermo est: „Nam et lixas et virgas et habitum prorsus magistratui congruentem in te video. Annonam curamus, ait, et Aedilitatem gerimus, et si quid obsonare cupis, utique commodabimus. Abnuebam, quippe qui iam coenae affatim piscatus prospexeramus. Sed enim Pytheas visa sportula, succussisque in aspectum planiorum piscibus; at has quisquilias quanti parasti? Vix, inquam, piscatori extorsimus accipere viginti denarios. Quo audito, statim arrepta dextra postliminio me in forum cupedinis reducens, et a quo, inquit, istorum nugamenta haec comparasti? Demonstro seniculum in angulo sedentem; quem confestim pro Aedilitatis imperio, voce asperrima increpans, inquit: tam iam nec amicis quidem nostris, vel omnino ullis hospitibus parcitis? Quid tam magnis pretiis pisces frivolos venditatis, et florem Thessaliae regionis instar solitudinis scopuli edulium caritate ducitis? Sed non impune, iam enim faxo scias, quemadmodum sub nostro magisterio mali debeant coërceri. Et profusa in medium sportula, iubet officialem suum insuper pisces inscendere, ac pedibus suis totos obterere."

6) Plaut. Rudens Act. II. sc. 5. v. 42—45:

„Novi, Neptunus ita solet: quamvis fastidiosus
Aedilis est; si quae improbae sunt merces, iactat omnes."

Digest. L. tit. 2. l. 12: „Eos, qui utensilia negotiantur et vendunt, licet ab Aedilibus caeduntur, non oportet quasi viles per-

edicto cogebantur, ut vitiosarum rerum venditarum pretium redhiberent [7]). Quamobrem inprimis iustum

sonas neglegi. Denique non snnt prohibiti huiusmodi homines, Decurionatum vel aliquem honorem in sua patria petere; nec enim infames sunt, sed ne quidam arcentur honoribus, qui ab Aedilibus flagellis caesi sunt, qnanquam iure suo ita Aediles officio isto fungantur." Conf. Sueton. Tiber. c. 54 et Cland. c. 58, quae exempla capite proximo in medium proferimus.

7) Quae redhibitio confirmatur edicti Aedilium Curulium verbis disertis, quae in Digest. XXI. tit. 1 ex Ulpiani libr. I et II ad h. edict. servata sunt, inprimis l. 1, 57 et 58: „Labeo scribit, edictum Aedilium Cur. de venditionibus rernm esse, tam earum, quae soli sint, quam earnm, qnae mobiles aut se movantes." „Aiunt Aediles, qui mancipia vendunt, certiores faciant emtores, quid morbi vitiive cuique sit, quis fugitivus errové sit, noxaque solutus non sit: eademque omnia cum ea manoipia venibunt, palam recte pronuntianto. Quod si mancipium adversus ea venisset, sive adversus quod dictum promissumve fuerit, cum veniret, fuisset: quod eius nomine praestari oportere dicetur, emtori omnibusque ad quos ea res pertinet, iudioium dabimus, ut id mancipium redbibeatur. Si quid autem post venditionem traditionemque deterius emtoris opera, familiae procuratorisve eius factum erit, sive quid ex eo post venditionem natum, adquisitum fuerit, et si quid aliud in venditione ei accesserit, sive quid ex ea re fructus pervenerit ad emtorem, ut ea omnia restituat." „Item si quod mancipium capitalem fraudem admiserit, mortis consciscendae sibi caussa quid fecerit, inve arenam depugnandi caussa ad bestias intromissas fuerit: ea omnia in venditione pronuntianto, ex his enim caussis iudicium dabimus." „Hoc amplius, si quis adversus ea soiens dolo malo vendidisse dicetur, iudicium dabimus." Tum Ulpianus: „Caussa huius edioti proponendi est, ut occurratur fallaciis vendentium et emtoribus succurratur, quionmque decepti a venditoribus fuerint: dummodo sciamus venditorem, etiam si ignoravit ea, quae Aediles praestari iubent, tamen teneri debere." Tum l. 57: „Praecipiunt Aediles, ne veterator pro novicio veneat:" „et hoc edictum fallaciis venditorum occurrit, ubiqua enim curant Aediles, ne emtores a

mensurarum ponderumque modum ita inspicere debebant Aediles, ut iniquas mensuras statim perfringerent [8]), omniaque metiendi vasa ac pondera ad

venditoribus circumveniantur." e. q. s. Tum l. 38: ,, Aediles aiunt, qui iumenta vendunt, palam recte dicunto, quid in quoque eorum morbi, vitiique sit; utique optime ornata vendendi caussa fuerint, ita emtoribus tradentur: si quid ita factum non erit, de ornamentis restituendis, iumentisve ornamentorum nomine redhibendis, in diebus sexaginta: morbi autem vitiive caussa inemptis faciendis, in sex mensibus; vel quo minoris, cum venirent, fuerint, in anno iudicium dabimus. Si iumenta paria simul venierint, et alterum in ea caussa fuerit, ut redhiberi debeat, iudicium dabimus, quo utrumque redhibeatur." Denique ,, quae de iumentorum sanitate diximus, de cetero quoque pecore omni venditores faciunto." Conf. Codic. repet. leet. IV. tit. 58.

8) Digest. XIX. tit. 2. l. 15. §. 8: ,, Si quis mensuras conduxerit, easque magistratus frangi iusserit, si quidem iniquae fuerunt, Sabinus distinguit, utrum scit conductor, an non; si scit, esse ex locato actionem, si minus, non: quodsi aequae sunt, ita demum eum teneri, si culpa eius id fecit Aedilis: et ita Labeo et Mela scribunt." Quibuscum conferas Persii satyr. I. v. 129—30 de Aedilibus municipii Arretii in Tuscia:

,, Sese aliquem crêdens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Areti Aedilis iniquas."

Sane Pighius hunc locum ad Aedilium munus generale pertinentem censet, cui adsentior, quod poeta municipalem superbientem minoris Romanorum Aedilium officii mentione perstringere in animo habet. — Huc insuper pertinet Varron. satyr. fragm. apud Nonium s. voc. convenire, Opp. I. p. 285: ,, Solus rex, solus rhetor, solus Formosus fortis, secus vel ad Aedilitium modius, purus putus: si ad hunc charactera Cleophantus conveniet, cave attigeris hominem." Quem locum Auson. Popma Varr. oper. II. p. 556 sic illustravit: ,, Ita libri veteres omnes, quos leviter emendandos censeo, assensus Turnebo aequus vel ad Aedilitium modium, purus. Aediles praeerant mensuris, et ipsi aequas iustasque habebant, ad quas exigebant reliquas. Quo pertinet Iuvenal. satyr. X. v. 101—2:

,, Et de mensuris ius dicere, vasa minora
Frangere, pannosus vacuis Aedilis Ulubris."

exemplaria publice deposita ordinarent ac designarent [9]).

„Cum ergo hnno Stoicum sapientem valda aequum et intagrum Varro ostendare vellet, ait, illum val pro modio esse, tam vero, quam Aedilitio." Neque vero mihi placet Ioseph. Scaligeri coniectura nimis arguta, quae a Lipsio quoqua laudata secus in securus, at modius in munus emendari vult, ita interpretans, ut Stoicus ille sapians, etiamsi ad Aedilitium munus, i. a. ad bestias dandus sit, securus tamen et constanti animo asse persavaret.

9) Quam ram testantur tum Plabiscitum apud Fastum s. voc. publica pondara, ex Scaligeri emendatione ita corractum: „Publica pondera, quibus populus Romanus uti solet ax ea caussa. M. Iunius . . . . . dicta sic ait, quod duo Silii P. et M. Tribuni Pl. rogarint his verbis. Ex ponderibus publicis, quibus hac tempestate populus oetier (pro uti) solet, uti coaequetur cedulum. M. quadrantal vini octoginta pondo siet; congius vini decem P. siet, sex sextarii congius siet vini; duodequinquaginta sextarii quadrantal siet vini. Sextarius aequus cum librario siet, sexdacimque librae in medio sient. Si quis magistratus adversus haec DM pondara modiosque vasaqua poblica modica minora maiorave faxit, iussitve fieri, dolumve adduit, quod ea fiant, eum quis volet magistratus multare, dum minore patris familias taxat, liceto, sive quis in sacrum iudicare voluerit, licato." Tum Ammian. Marcellin. XXVII. c. 9 de Valentiniano: „pondera per regiones instituit universas, cum aviditati multorum ex libidine trutinas componentium occurri naquiret." — De mensuris ponderibusque publicis in curiis aedibusqua sacris asservatis vid. Ev. Ottonem da Aedil. municip. c. 10. p. 549—51, qui simul bena ostendit, in imperio Romano axtra Italiae fines, non omnes mensuras ponderaque ad exemplaria urbis Romae accurate esse composita, quamquam posterioris aetatis Imperatores persaepe legibus severis plenam aaqualitatem mansurarum pondarumque per totum imperium iusserunt. — De materia universa conf. Bevarini (Barth.) syntagma da ponderibus et mensuris, quo vaterum nummorum pretium ao mansurarum quantitas demonstratur, Lucae 1711. 8.; et Wurm (I. F.) de ponderum, nummorum, mensurarum ac da anni ordinandi rationibus apud

Sed prae ceteris Romae Aedilibus annonae cura demandata erat, ut frumento semper largiter advecto modicoque pretio constituto caverent, ne unquam plebs annonae caritate laboraret. Quod munus iam ex prima institutione exercebant Aediles, tanquam suae potestati maxime proprium, de quo Livius [10]) ex Q. Fabii Maximi Rulliani exemplo c. a. 300 a. Ch. n. nos certiores facit, quum is imperator, in multis civitatis tempestatibus valde comprobatus, secundam Aedilitatem post summos magistratus iam gestos ob eam caussam accepisse diceretur, „ut qualis in bellicis rebus, talis domi tum in annonae dispensatione, praeparando ac convehendo frumento esse posset". Tum eiusdem rei permulta testimonia usque ad primi Triumviratus aetatem in auctoribus relata veteribus accipimus [11]). Ex his autem colligitur, ne-

---

Romanos et Graecos, Stuttg. 1821. 8., opus admodum utile, quod arcte tamenque satis plenas, meliores auctorum antecedentium disquisitiones repetiit, scriptorum veterum perscrutationem de his rebus iteravit, aptissimamque compositionem perfecit.

10) Lib. X. c. 11.

11) Liv. XXXI. c 4: „Frumenti vim ingentem, quod ex Africa P. Scipio miserat, quaternis aeris populo cum summa fide et gratia diviserunt Aediles Curules" a. 201 a. Ch. Ibid. c. 50: „Annona eo anno (200 a. Ch.) pervilis fuit; frumenti vim magnam ex Africa advectam Aediles Curules binis aeris in modios populo diviserunt." Ibid. XXXIII. c. 42: „Aediles Curules M. Fulvius Nobilior et C. Flaminius tritici decies centum millia binis aeris populo diviserunt; id C. Flaminii honoris caussa ipsius patrisque advexerant Siculi Romam, Flaminius gratiam eius communicaverat cum collaga." Cic. de offic. II. c. 17. §. 58: „Ne M. quidem Seio vitio datum est, quod in annonae caritate asse modium populo dedit; magna enim se at inveterata invidia, nec turpi iactura, quando erat Aedilis, nec maxima liberavit." Plin. hist. nat. XVIII. c. 5: „M' Marcius Aedilis Pl. (de quo iam supra p. 165 not. 26 disserui) primum

cesse fuisse, ut Aediles in frumentarios, qui frumento compresso annonae caritatem artificiosam producere conati essent, non modo accusandi, sed etiam eos culpae istius convictos puniendi nanciscerentur potestatem [12]). Unde etiam eorum cura in agrorum quantitate observanda derivari potest: nam ea prohibebant, quo minus ullus plus, quam quod lege finitum esset, agri possideret, atque propria auctoritate huius culpae obnoxios in iudicium adducebant, condemnatosque mulcta ex suo arbitrio puniebant [13]). Nec minus alia ratione in pecuarios, qui certo in his locis Livianis non per pecora vendentes illustrari, sed ex vulgari verbi significatione, non raro Ciceronis orationibus comprobata, per pascuis communibus utentes intelligi debent, animadvertere solebant, et contra leges delinquentes mulctabant [14]).

---

frumentum populo in medios assibus donavit." „Trobius in Aedilitate assibus populo frumentum praestitit: quam ob caussam ei statuae in Capitolio ac Palatio dicatae sunt; ipsa supremo die populi humeris portatus in rogum est."

12) Liv. XXXVIII. c. 55: „Et duodecim clipea aurata ab Aedilibus Curulibus, P. Claudio Pulchro et Ser. Sulpicio Galba, sunt posita ex pecunia, qua frumentarios ob annonam compressam damnarunt." „Et Aedilis Pl. Q. Fulvius Flaccus duo signa aurata, uno reo damnato, nam separatim accusaverant, posuit; collega eius A. Caecilius neminem condemnavit." De annonae cura posterioris aetatis vid. supra pag. 221 — 22.

13) Liv. X. c. 13: „Eo anno (298 a. Ch. n.) plerisque dies dicta ab Aedilibus, quia plus, quam quod lege finitum erat, agri possiderent: nec quisquam ferme purgatus."

14) Liv. X. c. 23: „Ab Aedilibus Plebeiis L. Aelio Paeto et C. Fulvio Curvo ex multaticia pecunia, quam exegerunt pecuariis damnatis, ludi facti, pateraeque aureae ad Cereris positae." Ibid. XXXIII. c. 42: „Aediles Pl. Cn. Domitius et C. Scribonius multos pecuarios ad populi iudicium adduxerunt; tres ex his condemnati sunt; ex eorum multaticia pecunia aedem in insula Fauni fecerunt" (a. 196 a. Ch. n.). Ibid. XXXV.

Sed in largitione frumenti [15]) oleique, sive e legibus frumentariis sumtibus publicis data, sive reipublicae libertate amissa ab Imperatoribus populo concessa, Aedilium curae non summae erant. Nam Consules, aut sin iidem Romae non essent, Praetor urbanus, tum Praetor peregrinus, tum, si hi quoque urbem reliquissent, Tribuni Plebis negotium habebant [16]) ci-

---

c. 10: „Multos pacuarios damnarunt Aediles (a. 193 a. Ch. n.); ax ea pecunia clipea inaurata in fastigio Iovis aedis posuerunt." De mulcta antiquissima conf. Plin. h. n. XVIII. c. 5: „Mulctatio quoque non nisi ovium boumque impendio dicebatur; non omittenda priscarum legum benevolentia," e. q. s. Festus s. voc. Publicius: „Publicius clivus appellatur, quem duo fratres L. at M. Publicii Malleoli Aediles Curules (quod vero e Varrone da ling. L. IV. p. 44 in Aediles Pl. corrigatur necesse est) pecuariis condemnatis ex pecunia, quam ceperunt, munierunt, ut in Aventinum vehiculi Velia venire possit." Conf. Ovid. Fast. V. v. 285—88, et supra p. 186; praeterea Festus s. voc. Plebei Aediles.

15) Quam commentationibus copiosis iam tractaverunt et Contarenus (Vincent.), de frumentaria largitione Romanorum et de militari stipendio commentarius, Venet. 1609. 4., qui inter antiquiores libros singulares non immerito iis adnumerari debet, qui graviore arte critica, nec non largiore antiquitatis cognitione compositi sunt; et Beseke (I. M. G.), de frumentaria largitione et legibus frumentariis, Mitav. 1775. 8., qui tamen pro suo tempore minus docta scripsit, et Dirksen, Civilist. Versuche II. p. 169—201, in commentationa tabul. Heracl. aer. Brittan. lin. 1—19 hanc rem egregie explicans.

16) Vid. tabul. Heracl. aer. Britt. lin. 1—16: „Quem hac lege ad Consulem profiteri oportebit, si is, cum eum profiteri oportebit, Romae non arit, tum qui eius negotia curabit, is eadem omnia, quae eum, cuius negotia curabit, si Romae asset, hac lega profitari oporteret, item iisdemque diebus ad Consulem profitemino." „Si Consul, ad quem hac lege professiones fieri oportabit, Romae non erit, tum is, quem profitari oportebit, quod eum profiteri oportabit, ad Praetorem urbanum, aut, si is Romaa non arit, ad eum Praetorem, qui inter peregrinos ius dicet, profitemino, ita, uti ad eum Con-

vium singulorum qui ex largitione perciperent, nominum accipiendi professionem, qua facta iidem singulis accipiendi veniam concedebant: inde Aedilibus nihil aliud in hac re relictum erat, quam ut peculiarem largitionis divisionem ipsam metiendi negotio suscipiendam procurarent [17]). At res plane alia fuit in largitionibus civium ditissimorum, qui publico munere fungentes has populo concedebant [18]): ii enim, quemcunque gererent magistratum, id negotium soli exsequebantur, quum sibi modo populi favorem comparare vellent.

---

sulem, si tum Romae esset, hac lege profiteri oporteret." „Si ex iis Consulibus et Praetoribus, ad quos hac lege professiones fieri oportebit, nemo eorum Romae erit, tum is, quem profiteri oportebit, et quod eorum eum profiteri oportebit, ad Tribunum Plebis profitemino, ita, uti ad eum Consulem, Praetorem urbanum, eumve, qui inter peregrinos ius dicet, si tum Romae esset, hac lege profiteri oporteret." „Quod quemque hac lege profiteri oportebit, is, apud quem ea professio fiet, eius, qui profitebitur, nomen, et ea, quae professus erit, et quo die professus sit, in tabulas publicas referunda curato, eademque omnia, quae utique in tabulas retulerit, ita in tabulam, in album referunda, idque apud forum, et cum frumentum populo dabitur, ibi, ubi frumentum populo dabitur, quotidie maiorem partem diei propositum habeto, unde de plano recte legi possit." Vid. Dirksen ad h. loc.

17) Coelius in epist. ad Ciceronem, ad Famil. VIII. ep. 6, quam iam supra pag. 167 explicui: „Curio ad populum transfugit, legemque Viariam, non dissimilem agrariae Rulli, et Alimentariam, quae iubet Aediles metiri, iactavit." Quibuscum conferas Tab. Heracl. aer. Britt. l. 17—18: „Quicumque frumentum populo dabunt, dandumve curabunt, ne cui eorum, quorum nomina hac lege a Consule, Praetore, Tribuno Pl. in tabula, in albo proposita non erunt, frumentum dato, neve dari iubeto, neve sinito." Conf. Sueton. Caes. c. 41, et August. c. 41—42.

18) Cic. de offic. II. c. 17—18; conf. Sueton. Aug. c. 41.

Cum punitione mercatorum, qui res venales, quas vitae sustentandae usus maxime necessarius postulat, aut vitiabant, aut falsis mensuris vendebant, satis arcte coniuncta est cura in foeneratores exercenda, qui ratione simillima publico commodo, inprimisque pauperioribus populi classibus infesti erant. Foenus autem [19]) quum a Tacito [20]) iamiam vetus Romae malum et seditionum discordiarumque creberrima caussa diceretur, vix antiquis quoque et minus corruptis moribus cohiberetur, primum Romae duodecim tabulis coercitum erat, ne quis unciario foenore amplius exerceret [21]), cum antea ex libidine locupletium agitaretur. Dein rogatione Tribunicia ad semuncias redacta [22]), postremo prorsus vetita est versura [23]).

---

19) De foenore ac usuris apud Graecos Romanosque plures commentationes singulares nacti sumus, inter quae maiorem merentur famem: Claud. Salmasii liber de usuris, Lugd. Bat. 1638. 8., eiusdem de modo usurarum liber, ibid. 1639. 8., et de foenore trapezitico, ibid. 1640. 8.; G. Noodt de foenore et usuris libri tres, ibid. 1698. 4.

20) Annal. VI. c. 16.

21) Tab. VIII. fragm. 18; conf. Dirksen, Uebersicht der bisherigen Versuche zur Critik u. Herstellung des Textes der 12 Tafelfragmente, Lips. 1824. p. 736; et Liv. VII. c. 16: „haud aeque laeta Patribus insequenti anno, C. Marcio, Cn. Manlio Consulibus, de unciario foenore a M. Duilio, L. Maenio Tribunis Pl. rogatio est perlata, et plebs aliquanto eam cupidius scivit accepitque."

22) Liv. VII. c. 27: „T. Manlio Torquato, C. Plautio Cons. (a. 345 a. Ch. n.) semunciarium tantum ex unciario foenus factum, et in pensiones aequas triennii, ita ut quarta praesens esset, solutio aeris alieni dispensata est: et sic quoque parte plebis adfecta, fides tamen publica privatis difficultatibus potior ad curam Senatui fuit."

23) Appian. de bell. civ. I. c. 53: „*Τοῦ δ' αὐτοῦ χρόνου κατὰ τὸ ἄστυ οἱ χρῆσται πρὸς ἀλλήλους ἐστασίασαν· οἱ μὲν, πράττοντες τὰ χρέα σὺν τόκοις· νόμου τινὸς παλαιοῦ διαγο-*

„Attamen multa plebiscita desiderabantur, quibus fraudibus obviam ibant, quae toties repressae miras per artes rursum oriebantur" [24]): unde Cato maior ex aetate sua affirmare poterat [25]), Romanos veteres sic habuisse atque in legibus posuisse, furem dupli damnari, foeneratorem quadrupli. Quodsi Aediles ex eorum origine adiutores essent Tribunorum, Plebemque contra quamque oppressionem tuerentur, necesse factum est, ut foenoris quoque coercitio — nam magistratus extra ordinem creati Quinqueviri Mensarii [26]), Triumviri [27]), Quatuorviri Mensarii [28]) solummodo ad repentinam pecuniae inopiam in urbe depellendam instituebantur — Aedilium potestati subiiceretur, quae tum foeneratores dolosos crudelesque, sicuti frumentarios male facientes, in iudicium vocare, tum, eo habito, condemnatorum poenam, quae vulgariter mul-

ρεύοντος, μὴ δανείζειν ἐπὶ τόκοις, ἢ ζημίαν τὸν οὕτω δανείσαντα προσόφλειν." Tum Liv. VII. c. 42: „Praeter haec invenio apud quosdam, L. Genucium, Tribunum Pl., tulisse ad populum, ne foenerara liceret."

24) Tacit. Annal. VI. c. 16.

25) De re rustica prooem.

26) Liv. VII. c. 21: „Inclinatis semel in concordiam animis, novi Consules foenebrem quoque rem, quae distinere unanimos videbatur, levare adgressi, solutionem aeris alieni in publicam curam verterunt; Quinqueviris creatis, quos Mensarios ab dispensatione pecuniae adpellarunt." Conf. Salmas. de foenore trapezit. p. 556 et 545.

27) Liv. XXIII. c. 21: „Et Romae quoque propter penuriam argenti Triumviri Mensarii, rogatione M. Minucii Tribuni Pl. facti"; tum ibid. XXIV. c. 18 et XXVI. c. 56, Salmas. loc. cit.

28) Cic. pr. Flacco c. 19. Conf. Kraut, commentatio de argentariis et nummulariis, Gotting. 1826, p. 15—33, quae tamen rem propositam nequaquam absolvit.

cta pronunciaretur, constituere posset [29]). Quod tamen officium a C. Iulio Caesare Dictatore propria lege de modo credendi possidendique intra Italiam definitum [30]), sub Imperatoribus statim ad summum imperii caput transiit [31]), a quo talia delicta et inquirendi et

---

29) Liv. VII. c. 28: „Iudicia eo anno (541 a. Ch.) populi tristia in foeneratores facta, quibus ab Aedilibus dicta dies esset, traduntur"; quibuscum conf. ibid. VIII. c. 28. Tum ibid. X. c. 23: a. 296 a. Ch. „Cn. et Q. Ogulnii Aediles Curules aliquot foeneratoribus diem dixerunt; quorum bonis multatis ex eo, quod in publicum redactum est, aenea in Capitolio limina et trium mensarum argentea vasa in cella Iovis, Iovemque in culmine cum quadrigis et ad ficum Ruminalem simulacra infantium conditorum urbis sub uberibus lupae posuerunt: semitamque saxo quadrato a Capena porta ad Martis straverunt." Et ibid. XXXV. c. 41: „Iudicia in foeneratores eo anno (192 a. Ch.) multa severe sunt facta, accusantibus privatos Aedilibus Curulibus, M. Tuccio et P. Iunio Bruto. De mulcta damnatorum quadrigae inauratae in Capitolio positae in cella Iovis supra fastigium aediculae, et duodecim clipea inaurata; et iidem porticum extra portam Trigeminam inter lignarios fecerunt."

30) Dio Cass. XLI. c. 38: „Ἐπειδή τε συχνοί πολλὰ χρήματά τε ἔχειν, καὶ πάντα αὐτὰ ἀποκρύπτειν ἐλέγοντο, ἀπηγόρευσε, μηδένα πλεῖον πεντακισχιλίων καὶ μυρίων δραχμῶν ἐν ἀργυρίῳ ἢ καὶ χρυσίῳ κεκτῆσθαι· οὐχ ὡς καὶ αὐτὸς τὸν νόμον τοῦτον τιθεὶς, ἀλλ' ὡς καὶ πρότερόν ποτε ἐςενεχθέντα ἀνανεούμενος· εἴτ' οὖν ἵνα τοῖς τε δανεισταῖς οἱ ὀφείλοντές τι ἐκτίνωσι, καὶ τοῖς δεομένοις οἱ ἄλλοι δανείζωσιν." e. q. s. Conf. eundem LVIII. c. 21 et Tacit. Annal. VI. c. 16.

31) Sueton. Aug. c. 39: „Notavitque aliquos, quod, pecunias levioribus usuris mutuati, graviore foenore collocassent." De his iudiciis Aedilibus ademtis, et ad Praetores in urbe administrantes translatis, vid. Dion. Cass. L. III. c. 2: „τὰ δικαστήρια τὰ τῇ Ἀγορανομίᾳ προςήκοντα, τοῖς Στρατηγοῖς, τὰ μὲν μείζω τῷ Ἀστυνόμῳ, τὰ δὲ ἕτερα τῷ Ξενικῷ προςταχθῆναι." Ex Tiberii imperio Tacit. Annal. VI. c. 16; ex Vitellii, Sueton. Vit. c. 14; Vespasiani, Sueton. Vesp. c. 11; denique ex Alexandri Severi imperio, Lamprid. Alex. S. p. 346: „Funus

puniendi provincia mox cuidam Praetorum, mox Praefecto urbi tradita est. Iustissima ergo ratione Everardus Otto [32]) Papiniani responsum de Aedile, ob arctiorem annonam praestitam condemnato, ad Aediles coloniarum ac municipiorum solummodo adtrahendum esse censuit, quod Romani, tam Curules quam Plebeii hac aetate eam curam iamdudum amiserant.

Quod autem ad argentum multaticium ab Aedilibus ex damnatis expostulatum adtinet, neque ad publicos reditus in aerarium reipublicae redundabat, neque omnino aliter adhiberi poterat, quam Aediles ipsi commodo publico assignare volebant. Hi autem partim ad aedes sacras porticusque faciendas reficiendasve [33]), partim ad aedificia publica (ex. gr. Capitolium) sacraque statuis ac vasibus pretiosis exornanda [34]),

---

publicum trientarium exercuit, ita ut pauperibus plerisque sine usuris pecunias dederit ad agros emendos, reddendas de fructibus": et p. 551: „Usuras foeneratorum contraxit ad trientes pensiones, etiam pauperibus consulens: Senatores si foenerarentur, usuras accipere primo vetuit, nisi aliquid muneris caussa acciperent; postea tamen iussit in semisses acciperent donum, munus tamen sustulit."

32) De Aedilib. municip. c. 10. p. 357 seq.; conf. Tacit. Annal. XIII. c. 28.

33) Vid. praeter exempla in annot. 29 h. c. prodita, Liv. X. c. 33: „Prius tamen, quam L. Postumius Consul ex urbe exiret, aedem Victoriae, quam Aedilis Curulis ex multaticia pecunia faciendam curaverat, dedicavit."

34) Vid. Liv. XXVII. c. 6: „Aediles Pl. ex multaticio argento signa aenea ad Cereris dedere." Ibid. XXX. c. 39: „Aediles Pl. signa tria ex multaticio argento facta in Capitolio posuerunt." Ibid. XXXI. c. 50: „Aediles Curules signa aenea quinque ex multaticio argento in aerario posuerunt." Ibid. XXXIII. c. 25: „Ex argento multaticio tria signa aenea Cereri, Liberoque et Liberae posuerunt Aediles Pl." Ibid. XXXV. c. 10 in not. 14 h. c. iam exscriptum est. Praeterea his addas exempla ex not. 12, 14 et 29 h. c. et Plutarch. Marcell. c. 2 ex capit. sequentis not. 28.

partim ad vias semitasque lapide sternendas [35]), partim postremo ad ludos instituendos [36]) pecunias acceptas impendebant.

---

35) Liv. X. c. 13, quod exemplum iam dedi in not. 29.

36) Liv. X. c. 23: „Ab Aedilibus Pl. L. Aelio Paeto et C. Fulvio Curvo ex multaticia pecunia, quam exegerunt pecuariis damnatis, ludi facti; pateraeque aureae ad Cereris positae." Ibid. XXVII. c. 6: „Aediles Pl. Q. Catius et L. Porcius Licinus ex multaticio argento ludos, pro temporis eius copia magnifici adparatus, fecerunt." Consulas insuper caput secundum huius libri, et de argenti multatitii cura universa Kloeckhof, Nic., histor. iuris Romani de bonis damnatorum, Lugd. Batav. 1749. 8.

CAP. V.

AEDILIUM CURAE IN QUIETE PUBLICA, URBIS SALUTE AC HONESTA CIVIUM PEREGRINORUMQUE VITA INTRA URBEM OBSERVANDA, QUO SIMUL DE LENONUM, MERETRICUM, POPINARUM GANEARUMQUE CUSTODIA TRACTATUR.

Vix aliter fieri potuit, quam ut ex huius capitis argumento permultum in libro primo, inprimisque in capitis quidem quinti ac septimi expositione iamiam praeciperem: unde nunc modo rerum singularum spicilegium minoris momenti a me adhibendum esse existimo. Quietis publicae cura per se difficile potuisset disiungi ab Aedilium munere, quippe qui semper viarum publicarum tuerentur curam, ne Romae ullius securitas et quies sive verbis petulanter dictis inhonestisve [1]), sive quadam actione molesta [2]),

---

1) Cuius rei exemplum praeclarum affert Gellius, Noct. Att. X. c. 7: „Non in facta modo, sed in voces etiam petulantiores publice Romae vindicatum est. Ita enim debere esse visa est Romanae disciplinae dignitas inviolabilis. Appii namque illius Caeci filia a ludis, quos spectaverat, exiens turba undique confluentis fluctuantisque populi iactata est: atque inde egressa cum se male habitam diceret: Quid me nunc factum esset,

sive denique laesione adhuc graviore [3]) offenderetur. Quo in officio insolentes aut statim leviore nota afficiebant, aut in iudicium adducebant, damnatosque ex peculiari magistratus auctoritate [4]) puniebant; donec

---

inquit, quantoque arctius pressiusque conflictata essem, si P. Claudius frater meus navali proelio classem navium cum ingenti civium numero non perdidisset? Certe quidem maiore nunc copia populi oppressa intercidissem. Sed utinam, inquit, reviviscat frater, aliamque classem in Siciliam ducat, atque istam multitudinem perditum eat, quae me male nunc miseram convexavit. Ob haec mulieris verba tam improba ac tam incivilia C. Fundanius et Tib. Sempronius, Aediles Pl., mulctam dixerunt ei aeris gravis viginti (in antiquiore editione Mosellani, Colon. Agr. 1549. 8. triginta quinque legitur). Id factum esse dicit Capito Ateius in commentario de iudiciis publicis, bello Punico primo, Fabio Licinio et Otacilio Crasso Consulibus." Conf. Valer. Max. VIII. c. 1. damn. §. 4, et Liv. epit. l. XIX.

2) Digest. XLIII. tit. 12. §. 2—4, ex Papiniani libr. sing. de Aedil., inprimis autem §. 5: „Aediles non permittant autem rixari in viis, neque stercora proiicere, neque morticina, neque pelles iacere."

3) Vix dubitare possumus, quin iusto exemplum e Valer. Maxim. VI. c. 6. §. 5 ad hoc comprobandum adtrahamus. „Legatos ab urbe Apollonia Romam missos Q. Fabius et Cn. Apronius Aediles orta contentione, pulsaverunt. Quod ubi comperit Senatus, continuo eos per Feciales legatis dedidit, Quaestoremque cum his Brundusium ire iussit; ne quam in itinere a cognatis deditorum iniuriam acciperent." Quod non aliter intelligendum esse arbitror, quam ut legatorum rixa cum Aedilibus in eorum administratione tuendarum viarum vel aedium publicarum orta esset. Sed nimie severam poenam adversus legatos externos admissam Senatus non agnoscere voluit. Conf. Liv. epit. lib. XV et Zonar. VIII. c. 7 (edit. Paris. I. p. 380), quibus tamen pulsantes non Aediles, sed ab altero iuvenes nobiles, ab altero Senatores appellantur.

4) Inde ex medio seculo quinto ante Ch. n., quum usque ad hanc aetatem praeter Consules nulli magistratui puniendi

Imperatores, demumque Nero summam poenae ab Aedilibus dicendae constituerent coërcerentque [5]). At eidem civium salutis tuendae officio intra domorum parietes non minus satisfacere debebant Aediles, ne artibus veneficis [6]), neque fascinatione dolosa [7]), singulorum Romanorum vitae insidiae struerentur, tamenque quum factae essent atque ullius civis perdidissent

---

ius permissum erat, vid. Dionys. Halic. X. c. 50: „πρῶτον μὲν οὖν ἐπὶ τῆς λοχίτιδος ἐκκλησίας νόμον ἐκύρωσαν, ἵνα ταῖς ἀρχαῖς πάσαις ἐξῇ τοὺς ἀκοσμοῦντας, ἢ παρανομοῦντας εἰς τὴν ἑαυτῶν ἐξουσίαν ζημιοῦν· τέως γὰρ οὐχ ἅπασιν ἐξῆν, ἀλλὰ τοῖς ὑπάτοις μόνοις." Attamen in antiquissimis temporibus usque ad bella Punica mulcta intra certos fines coacta erat, inde Aedilium arbitrio permissa. Ibid. eod. cap.: „τὸ μέντοι τίμημα οὐκ ἐπ᾽ αὐτοῖς τοῖς ζημιοῦσιν ὁπόσον θεῖναι δοκεῖ κατέλιπον, ἀλλ᾽ αὐτοὶ τὴν ἀξίαν ὥρισαν, μέγιστον ἀποδείξαντες ὅρον ζημίας, δύο βόας καὶ τριάκοντα πρόβατα· καὶ οὗτος ὁ νόμος ἄχρι πολλοῦ διέμεινεν ὑπὸ Ῥωμαίων διαφυλαττόμενος."

5) Tacit. Annal. XIII. c. 28: „Cohibita arctius et Aedilium potestas, statutumque, quantum Curules, quantum Plebei pignoris caperent, vel poenae inrogarent."

6) De hac cura testimonia a me collata atque illustrata iam supra pag. 188—90 in medium protuli: sed de posteriore veneficii avertendi cura a Praefecto urbi exercita accipias exemplum ex Iuliani imperio in Ammian. Marcell. XXVI. c. 5: „Apronianus regens urbem aeternam, iudex integer et severus, inter curarum praecipua, quibus haec Praefectura saepe sollicitatur, id primum opera curabat enisa, ut veneficos, qui tunc rarescebant, captos, postque agitatas quaestiones nocuisse quibusdam apertissime confutatos, indicatis consciis morte mulctaret, atque ita paucorum discrimine reliquos, si qui laterent, formidine parium exturbaret."

7) Plin. hist. n. XVIII. c. 6, quod exemplum iam supra p. 191 exscriptum est. Dio Cass. XLIX. c. 43 de Agrippae Aedilitate: „καὶ τοὺς ἀστρολόγους καὶ τοὺς γόητας ἐκ τῆς πόλεως ἐξήλασεν." Conf. Tollozan. de maleficis in Oelrichs. thesaur. dissert. iurid.

vitam, res perquirenda ac punienda ad superiorem Praetoris urbani auctoritatem ex proprio Senatusconsulto [8]) accessisse videntur. Quibus cum curis officium coniungi potest, quod publica auctoritate ad morum veterum integritatem atque simplicitatem sustinendam plures magistratus Romani persequi solebant in omnes, qui tum doctrina peregrina, tum disciplinae domesticae contemtione, mores molliores reddere, simulque iuvenum ingenia litterarum artiumque liberalium consuetudine sibi subiicere conati erant: nam eosdem mox Aediles [9]), mox Praetores [10]), mox Cen-

---

8) Polyb. VI. c. 13, ubi de Senatus officiis loquitur: „ὁμοίως καὶ ὅσα τῶν ἀδικημάτων, τῶν κατ' Ἰταλίαν, προςδεῖται δημοσίας ἐπισκέψεως, λέγω δὲ, οἷον προδοσίας, συνωμοσίας, φαρμακείας, δολοφονίας, τῇ συγκλήτῳ μέλει περὶ τούτων." Tum Liv. XXV. c. 1: „Ubi potentius iam esse id malum adparuit, quam ut minores per magistratus sedaretur, M. Atilio Praetori urbis **negotium ab Senatu datum est.**" Ibid. XLV. c. 16: „A. Manlius Torquatus Praetor nequiit ire in provinciam, ad **res capitales quaerendas ex Senatusconsulto retentus.**"

9) Dio Cass. XLIX. c. 43.

10) Auctor de claris rhetorib. c. 1: „Rhetorica quoque apud nos, perinde atque grammatica, sero recepta est, paulo etiam difficilius, quippe quam constet nonnumquam etiam prohibitam exerceri. Quod ne cui dubium sit, vetus Senatusconsultum, item Censorium edictum subiiciam: C. Fannio Strabone, M. Valerio Messala Cons., Marcus Pomponius Praetor Senatum consuluit. Quod verba facta de philosophis et rhetoribus, de ea re ita censuerunt: ut M. Pomponius Praetor animadverteret, curaretque uti ei e republica fideque sua videretur, **uti Romae ne essent.** De iisdem interiecto tempore, Cn. Domitius Aenobarbus, et L. Licinius Crassus Censores ita edixerunt. Renuntiatum est nobis esse homines, qui novum genus disciplinae instituerunt, ad quos iuventus in ludos conveniat: eos sibi nomen imposuisse Latinos rhetores; ibi homines adulescentulos totos dies desidere. Maiores nostri, quae liberos suos discere, et quos in ludos itare vellent, instituerunt.

sores [11]), scholas claudendi, sive etiam urbe intercedendi iussu opprimebant.

At non solum per diei horas Aedilium auctoritas in urbis salute tuenda valebat, sed etiam summo nocturnae custodiae tenebatur praesidio, quod in reipublicae liberae temporibus praecipue eo redactum erat, ut caverent, iamiam duodecim legum tabulis id iubentibus [12]), „ne quis in urbe nocturnos coetus agitaret": cui muneri, tempestate urbem valde premente, Triumviros capitales nonnunquam nanciscebantur adiutores, ut per urbem vigilias disponerent [13]). Sed incendiorum avertendorum curam propriis Triumviris nocturnis [14]), qui in-

---

Haec nova quae praeter consuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter et iis, qui eos ludos habent, et iis, qui eo venire consueverunt, videtur faciendum, ut ostendamus nostram sententiam, nobis non placere."

11) Vid. exemplum in not. antecedenti et dialog. de orator. c. 35: „At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum, qui rhetores vocantur: quos paullo ante Ciceronis tempora exstitisse, nec placuisse maioribus nostris, ex eo manifestum est, quod L. Crasso et Domitio Censoribus, cludere, ut ait Cicero, ludum impudentiae iussi sunt." Cicer. de Orat. III. c. 24: „Cum impudentiae ludus esset, putavi esse Censoris, ne longius id serperet, providera." De posteriore cura adversus philosophos non bonae famae ac mathematicos conf. I. c. 7, cui addas Codic. rep. lect. IX. tit. 18.

12) „Primum duodecim tabulis cautum esse cognoscimus, ne quis in urbe coetus nocturnos agitaret", Porcius Latro declamat. in Catilinam c. 19. Conf. Tab. VIII. fragm. 26 apud Dirksen Vers. z. Herstell. d. Zwölftafeln-Fragm.

13) Liv. XXXIX. c. 14: „Triumviris capitalibus mandatum est, ut vigilias disponerent per urbem, servarentque, ne qui nocturni coetus fierent."

14) Valer. Max. VIII. c. 1. §. 5 et 6: „Possumus et ad illos brevi diverticulo transgredi, quos leves ob caussas

terdum etiam cum illis Triumviris capitalibus permutati, apud Livium ipsum [15]) iidem magistratus existimati sunt, demandatam esse reperimus. His insuper Quinqueviri, uti cis Tiberim suae quisque regionis aedificiis praeessent, socii interdum addebantur [16]). At Aediles ad summum sponte sua maiorem curam in restinguendis incendiis impendebant [17]), quemadmodum ex Augusti aetate id specialiter de Egnatio Rufo comperimus [18]). Quod tamen aliter factum est sub

damnationis incursus abripuit. M. Mulvius, Cn. Lollius, L. Sextilius, Triumviri nocturni, quod ad incendium in Sacra via ortum exstinguendum tardius venerant, a Tribunis Pl. die dicta ad populum damnati sunt." „Item P. Villius, Triumvir nocturnus, a P. Aquillio Tribuno Pl. accusatus, populi iudicio concidit, quia vigilias negligentius circumierat." — Digest. I. tit. 15. c. 1 e Paulli libr. sing. de Praef. vigil.: „Apud vetustiores incendiis arcendis Triumviri praeerant, qui ab eo, quod excubias agebant, nocturni dicti sunt. Erat autem familia publica circa portam et muros disposita, unde, si opus esset, evocabatur." „Fuerant et privatae familiae, quae incendia vel mercede vel gratia exstinguerunt: deinde Divus Augustus maluit per se huic rei consuli." Praeterea vid. Liv. IX. c. 46, et Laur. Lydum de magistr. R. I, 56. p. 86 seq.

15) Liv. XXXIX. c. 14.

16) Liv. eod. loc.: „utque ab incendiis caveretur, adiutores Triumviris Quinqueviri, uti cis Tiberim suae quisque regionis aedificiis praeessent": quod exemplum ex eodem tempore est, quam primum Valerii Maximi in not. 14. — Pompon. de orig. iur. §. 31: „Et quia magistratus, vespertinis temporibus, in publico esse inconveniens erat, Quinqueviri constituti sunt cis Tiberim et ultra Tiberim, qui possint pro magistratibus fungi."

17) Ex Paulli libr. de offic. Praef. vigil. in Digest. I. tit. 15. §. 1, sed iam supra p. 217. not. 41 a me allatum est.

18) Dio Cass. LIII. c. 24 et Vell. Paterc. II. c. 91; vid. supra p. 216. not. 37.

Imperatoribus, quum iamiam Augustus hoc munus peculiariter adsignaret Aedilitati [19]).

Carcerum custodia itidem reipublicae securitati ab inferioribus magistratibus administrabatur, nempe iisdem Triumviris Capitalibus [20]), etiamsi Aediles, sicuti ceteri Romanorum magistratus, ob maiorem auctoritatem prae civibus privatis iisdem adtributam, iure gaudebant, suam domum sceleratis civibus nobilioris stirpis adhibendi ad custodiam, quae libera appellabatur [21]). Qua autem vulgariter per breve modo tempus captivi tenebantur, donec poena, in talibus caussis satis celeriter pronunciata, ab iisdem exigeretur. Quod tamen nonnisi in maxima reipublicae necessitate evenire potuit, quemadmodum etiam in coniuratione Catilinaria id manifestatum est.

At in recensendis muneribus, ad tutelam publicam servandam constitutis, pergentes, directam curam, bonae valetudini in urbe semper

19) Testimoniorum copiam de hac re p. 215—17 iam tradidi.

20) Pompon. de orig. iur. §. 30: „Et Triumviri Capitales constituti sunt, qui carceris custodiam haberent; ut cum animadverti oporteret, interventu eorum fieret." Liv. XXXII. c. 26: „Itaque et Romae vigiliae per vicos servatae; iussique circumire eas minores magistratus: et Triumviri carceris lautumiarum intentiorem custodiam habere iussi." Conf. Sallust. Catilin. c. 55.

21) Sallust. Catil. c. 47: „Igitur, perlectis litteris, cum prius omnes signa sua cognovissent, Senatus decernit, ut, abdicato magistratu, Lentulus itemque ceteri in liberis custodiis habeantur; itaque Lentulus (Praetor) P. Lentulo Spintheri, qui tum Aedilis erat, Cethegus Q. Cornificio (Propraetori), Statilius C. Caesari (Praetori huius anni), Gabinius M. Crasso (Consulari), Ceparius Cn. Terentio Senatori traduntur." Vid. insuper Dio Cass. XXXVII. c. 32, et LVIII. c. 3 et 18.

tuendae prospicientem, Aediles habuisse, uti quidem auctores recentiores opinantur, concedere non possumus; sed potius ante Imperatores regnantes talem vix desideratam esse censemus: quod insuper ex eo perspicuum apparere videtur, Antoninos demum sepeliendi leges constituisse severiores, primumque providisse, ne intra urbem mortui sepelirentur [22]). Nam, si balneorum publicorum curam excipimus [23]), — quae tamen Hadrianus demum separatim a viris et feminis adhiberi iussit [23*]), — popinarum ganearumque [24]), lenociniorum atque lupanarium cu-

---

22) Capitolin. Antonin. Pii p. 60, et M. Aurel. p. 78: „Tanta autem pestilentia fuit, ut vehiculis cadavera sint exportata sarracisque. Tunc autem Antonini leges sepeliendi sepulcrorumque asperrimas sanxerunt: quandoquidem caverunt, ne, uti quis vellet, fabricaret sepulcrum: quod hodieque servatur."

23) Senec. epist. 86 med. praeclare Aedilium adhuc antiquorum negotium in temperandis balneis exponit, quod nihilominus praecipue caveret, ne cives molliores fierent, lascivoque otio se prorsus dederent. Itaque obcrepans suam aetatem detestatur: „Sed, dii boni, quam iuvabat illa balnea intrare obscura, et gregali tectorio inducta, quae scires Catonem tibi Aedilem, aut Fabium Maximum, aut ex Corneliis aliquem manu sua temperasse? Nam hoc quoque nobilissimi Aediles fungebantur officio, intrandi ea loca, quae populum receptabant, exigendique munditias, et utilem ac salubrem temparaturam, non hanc, quae nuper inventa est similis incandio, adeo quidem ut convictum in aliquo scelere servum, vivum lavari oporteat. Nihil mihi videtur iam interesse, ardeat balneam, an caleat."

23*) Dio Cass. LXIX. c. 8: „καὶ δῶρα διὰ σφαιρίων καὶ ἐν τῷ θεάτρῳ καὶ ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ, χωρὶς μὲν τοῖς ἀνδράσι, χωρὶς δὲ ταῖς γυναιξὶ διέῤῥιψε· καὶ γὰρ καὶ λούεσθαι χωρὶς ἀλλήλων, αὐτοῖς προσέταξεν."

24) Quam curam etsi a Tibario sic coercitam, ut Aedilibus negotium darat, „popinas ganeasque usque eo inhibendi, ut ne opera quidam pistoria proponi venalia sinerent", Sue-

stodia magis ad honestatem sustinendam, quam ad sanitatem tuendam spectabat. Nam in iis omnia venum exponi atque fieri poterant, dummodo ii, qui his rebus famosis quaestum facere vellent, ex magistratuum edictis agerent. At Aediles prae ceteris magistratibus in his observandis, etiamsi alii magistratus ea tulerint, tenebantur, quia in libera urbis conditione, sub Censorum moderatione superiore [25]), morum di-

ton. Tiber. c. 54, Aediles tamen sub Imperatoribus usque ad Claudium, qui iis totem ademit, Romae retinebant, Sueton. Claud. c. 58, de quo loco vid. supra p. 221—22. Sed cura ipsa, ab Aedilibus amplius non gesta, a Nerone adhuc magis coercebatur, Dio Cass. LXII. c. 14: „πάντα δὲ ὡς εἰπεῖν τὸν βίον ἐν καπηλικῇ διαίτῃ ποιούμενος, ἀπεῖπε τοῖς ἄλλοις μηδὲν ἑφθὸν ἐν καπηλείῳ, πλὴν λαχάνων καὶ ἔτνους, πιπράσκειν", conf. Sueton. Ner. c. 16. Qua in re Vespasianus Neronem lubentius, tamenque ex aliis argumentis, imitatus est, Dio Cass. LXVI. c. 10: „μεγαλοφρονέστατα δ' ἀεί ποτε ἐς τὸ κοινὸν ὅσα ἐχρῆν ἀναλώσας, καὶ τὰς πανηγύρεις πολυτελέστατα διαθείς, εὐτελέστατα διῃτᾶτο, καὶ οὐδὲν ἔξω τῶν πάνυ ἀναγκαίων ἐδαπάνα· καὶ διὰ τοῦτο οὐδὲ ἐν τοῖς καπηλείοις ἑφθόν τι πλὴν ὀσπρίων πιπράσκεσθαι ἐπέτρεπε." Sed de pane primum extra domos pisto, quod belli Macedonici adversus Persem regem gesti tempore factum est, consulas Plin. h. nat. XVIII. c. 11. Praeterea G. Wunderlich librum singularem de veterum popinis conscripsit, quod exstat in Walchii Act. societat. Latinae Ienensis III.

25) Cic. de republ. IV. c. 6: „Censoris iudicium fere nihil damnato nisi ruborem adfert: itaque ut omnis ea iudicatio versatur tantummodo in nomine, animadversio illa ignominia dicta est. Nec vero mulieribus praefectus praeponatur, qui apud Graecos creari solet (de gynaeconomo apud Graecos vid. supra in lib. I. c. 5): sed sit Censor, qui viros doceat moderari uxoribus." „Ita magnam habet vim disciplina verecundiae, carent temeto omnes mulieres." Conf. Dionys. Halic. II. c. 25, inprimisque XX. fragm. c. 3. Ῥωμαῖοι δὲ πᾶσαν ἀναπετάσαντες οἰκίαν, καὶ μέχρι τοῦ δωματίου τὴν ἀρχὴν τῶν Τιμητῶν προαγαγόντες, ἁπάντων ἐποίησαν ἐπίσκοπον καὶ φύλακα τῶν ἐν αὐταῖς γινομένων," e. q. s.; Gell. noct. Att. X. c. 23, et Montesquieu l'esprit des lois VII. c. 10.

sciplinam tutam a quoque impetu praestare ex muneris officio semper studebant. Itaque inprimis stupri delictum persequendum acceperant, ita ut tum in stupratae matrisfamiliae convictos mulcta animadverterent [26]), tum matronas ipsas stuprum libenter quaerentes mulctarent [27]), tum denique viros, qui pueros ingenuos stuprare conati essent, in iudicium vocarent [28]), poenaque argento saepe graviore, usque ad

---

26) Liv. VIII. c. 22 ex a. 525 a. Ch.: „Populo visceratio data a M. Flavio in funere matris. Erant qui per speciem honorandae parentis, meritam mercedem populo solutam interpretarentur; quod eum, die dicta ab Aedilibus, crimine stupratae matrisfamiliae absolvisset."

27) „Eo anno (295 a. Ch. n.) Q. Fabius Gurges, Consulis filius, aliquot matronas ad populum stupri damnatas pecunia multavit; ex quo multaticio aere Veneris aedem, quae prope Circum est, faciendam curavit." Sine ulla dubitatione Aedilis dignitatem apud Q. Fabium, aut auctoris ipsius incuria, quod quisque Romanus rerum eius generis ad Aedilitatis officium adtrahendarum non ignarus esse posset, aut codicum librariorum incuria censeo esse omissam. Ceterum vid. exempla, quae supra p. 194 a me prolata sunt.

28) Valer. Max. VI. c. 1. §. 7: M. Claudius Marcellus, Aedilis Curulis, (de quo exemplo conf., quae supra p. 195 monui), C. Scantinio Capitolino Tribuno Pl. diem ad populum dixit, quod filium suum de stupro appellasset; eoque asseverante, se cogi non posse ut adesset, quia sacrosanctam potestatem haberet, et ob id auxilium Tribunicium implorante, totum collegium Tribunorum negavit se intercedere, quo minus pudicitiae quaestio perageretur." Plutarchus, v. Marcell. c. 2 eandem historiam adhuc copiosius tradit, Marcellum autem tale crimen in Aedilitate de Capitolino muneris sui collega vindicantem adducit: „ἠναγκάσθη δ' Ἀγορανομῶν δίκην ἀβούλητον εἰσενεγκεῖν· ἦν γὰρ αὐτῷ παῖς ὁμώνυμος ἐν ὥρᾳ τὴν ὄψιν ἐκπρεπής· τούτῳ Καπετωλῖνος, ὁ τοῦ Μαρκέλλου συνάρχων, ἀσελγὴς ἀνὴρ καὶ θρασύς, ἐρῶν λόγους προσήνεγκε. Τοῦ δὲ παιδὸς τὸ μὲν πρῶτον αὐτοῦ καθ' ἑαυτὸν ἀποτριψαμένου τὴν πεῖραν, ὡς δ' αὖθις ἐπεχείρησε, κατειπόντος πρὸς τὸν πατέρα, βαρέως ἐνεγκὼν

mortem extendenda [29]), a populo damnatos persequerentur. Neque minus meretrices sub Aedilium potestate corpore quaestum facere poterant, simulac hunc quaestum apud illos professae essent, et ex Caligulae

---

ὁ Μάρκελλος, προςήγγειλε τῇ βουλῇ τὸν ἄνθρωπον. Ὁ δὲ πολλὰς μὲν ἀποδράσεις καὶ παραγραφὰς ἐμηχανᾶτο, τοὺς Δημάρχους ἐπικαλούμενος. Ἐκείνων δὲ μὴ προςδεχομένων τὴν ἐπίκλησιν, ἀρνήσει τὴν αἰτίαν ἔφυγε. Καὶ μάρτυρος οὐδενὸς τῶν λόγων γεγονότος, ἔδοξε μεταπέμπεσθαι τὸν παῖδα τῇ βουλῇ· παραγενομένου δ' ἰδόντες ἐρύθημα....... χρήμασιν ἐζημίωσαν Καπετωλῖνον· ἐξ ὧν ὁ Μάρκελλος (ob Aedilitatis curam de argento multaticio) ἀργυρᾶ λοιβεῖα ποιησάμενος τοῖς θεοῖς καθιέρωσεν." Quodsi autem Dirksenius Civilist. Abhandlung. I. p. 132 Tribunorum intercedendi negationem ita argumentari conatur, ut reus ob munus suum apud populum accusari non posset, quia omnino nunquam civis superiore magistratu ornatus in populi iudicium vocari posset, sed solum auctoritati Senatus subiectus esset, qui etiam in magistratus, potestate adhuc fungentes, semper animadvertendi ius exercuisset: certo hanc interpretationem argutam aliis exemplis comprobantibus plane destitutam, pluribus autem, in his quoque libris iam relatis, multoque maiore copia ab historiarum auctoribus proditis, repulsam esse profiteor.

29) Dionys. Halic. XVI. fragm. c. 8: „Γάϊος Λαιτώριος, Μέρκος ἐπίκλησιν, ἐπιφανὴς κατὰ γένος, καὶ κατὰ τὰς πολεμικὰς πράξεις οὐκ ἀγενής, ἑνὸς τῶν ταγμάτων χιλίαρχος ἀποδειχθεὶς ἐν τῷ Σαυνιτικῷ πολέμῳ, νεανίαν τινὰ τῶν ὁμοσκήνων, διαφέροντα τὴν ὄψιν ἑτέρων μέχρι μέν τινος ἔπειθεν ἑαυτῷ χαρίσασθαι τὴν τοῦ σώματος ὥραν ἑκόντα. ὡς δ' οὔτε δωρεαῖς, οὔτ' ἄλλῃ φιλανθρωπίᾳ τὸ μειράκιον ἡλίσκετο, κατέχειν τὴν ἐπιθυμίαν ἀδύνατος ὤν, βίαν προςφέρειν ἐπεβάλετο. Περιβοήτου δὲ τῆς ἀκοσμίας τοῦ ἀνδρὸς ἅπασι τοῖς ἐπὶ τοῦ στρατοπέδου γενομένης, κοινὸν ἀδίκημα τῆς πόλεως εἶναι νομίσαντες οἱ Δήμαρχοι, ἀποφέρουσι κατ' αὐτοῦ δημοσίᾳ, καὶ ὁ δῆμος ἁπάσαις ταῖς ψήφοις τοῦ ἀνδρὸς κατέγνω, τίμημα δίκης ὁρίσας θάνατον· οὐκ ἀξιῶν εἰς ἐλεύθερα σώματα, καὶ προπολεμοῦντα τῆς τῶν ἄλλων ἐλευθερίας, τοὺς ἐν ταῖς ἄλλαις ὄντας ἀρχαῖς ὑβρίζειν τὰς ἀνηκέστους καὶ παρὰ φύσιν τοῖς ἄῤῥεσιν ὕβρεις."

imperio 30) certo vectigali annuo statuto 31), stuprandi licentiam ab iisdem impetrasset. Quam autem rem

30) Tacit. Annal. II. c. 85: „Anno eodem (19 p. Ch.) gravibus Senatus decretis libido feminarum coërcita, ceutumque, ne quaestum corpore faceret, cui avus, aut pater, aut maritus Eques Romanus fuisset. Nam Vistilia praetoria familia genita, licentiam stupri apud Aediles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui satis poenarum adversum impudicas in ipsa professione flagitii credebant." Itaque Inpenaria Aedilis potestatem metuere debebant, si quee meretrices ibi adessent, quae nondnm epud Aediles licentiam quaesivissent, aut si quae matronae contra severissima edicta ibi corpus cuique vulgare vellent: unde Seneca de vit. beat. c. 7: „voluptatis statio ao domicilium fornices et popinae sunt......; voluptatem invenies latitantem saepius ac tenebras captautem, circa balnea ac sudatoria ac looa Aedilem metuentia".

31) Sueton. Calig. c. 40 de vectigalibus novis et auctis: „ex capturis prostitutarum, quantum quaeque uno concubitu mereret: additumque ad caput legis, ut tenerentur publico, et quae meretricium et qui lenocinium fecissent." Quem locum Boekhius Staatsheush. d. Ath. I. p. 357 comparans cum altero s. voc. διάγραμμα, in Suidae ac Zonarae lexicis exstanti, demonstrare voluit, Agoranomos meretricum ita aestimasse censum, ut ex cuiusque concubitus pretio vectigalis meretricii constituerent quantitatem. Sed equidem vix ab opinione reducar, ne hos lexicographos extremae aetatis Romanorum institutiones Graecorum moribus antiquioribus immiscuisse arbitrer, quere illi nil nisi Romanorum, sive etiam totius Italiae Aedilium curem officio tradiderint Agorenomorum, quod hac voce usiteta plerumque Greeci Aediles similesque magistratus complecti solebent. — Sed iam Alexander Severus „lenonum vectigal et meretricum et exoletorum in sacrum aerarium inferri vetuit, sed sumtibus publicis ad instaurationem theatri, Ciroi, amphitheatri et aerarii deputavit", Lamprid. in Alex. Sev. p. 550. Atque centum annis postea hoc turpissimum tributum prorsus sublatum est, Codic. repet. lect. XI. tit. 40. Attamen lenocinium semper quaestus, infamiae notam cuique eum facienti adiungens, habebetur, lenonesque a publicis muneribus ec honoribus prorsus excludebat, Digest. III. tit. 2. c. 1. — Sed exoletorum libido Romam

turpissimam, mox post Romanorum libertatem amissam, morum disciplina magis magisque per dies labenti, feminae etiam nobilioris stirpis lubentissime sibi concedebant, ut, omni pudore seposito, nomina ad corpus cuique vulgandum ederent, ne iusta legum poena, quae adversus matronas nobilesque virgines sponte stuprantes statuta erat, affici possent [32]).

---

ipsam rarius foedavit, et inde ab insano Imperatorum monstro, Heliogabalo regnante, in urbe facta esse assuetior videtur; quod etiam ex eorum abolitione acceleratiore, mox a Philippo Arabe facta, derivari possit, Lamprid. l. cit.: „Habuit (Alexander) in animo, ut exoletos vetaret, quod postea Philippus fecit, sed veritus est, ne prohibens publicum dedecus in privatas cupidines converteret; cum homines illicita magis poscant, prohibitaque furore persequantur". Spadones autem, ad foediorem etiam voluptatem adhibiti, iam primo Imperatorum seculo Romae creberrimi erant in usu, Sueton. Domit. c. 7: „Castrari mares vetuit, spadonum, qui residui apud mangones erant, pretia moderatus est"; et Dion. Cass. exc. per Xiph. LXVII. c. 2 de Domitiano: „καὶ διὰ τοῦτο, καίπερ καὶ αὐτὸς Ἐαρίνου τινὸς εὐνούχου ἐρῶν, ὅμως, ἐπειδὴ καὶ ὁ Τίτος ἰσχυρῶς περὶ τοὺς ἐκτομίας ἐσπουδάκει, ἀπηγόρευσεν ἐπὶ ἐκείνου ὕβρει, μηδένα ἔτι ἐν τῇ τῶν Ῥωμαίων ἀρχῇ ἐκτέμνεσθαι". Quod autem interdictum de pueris non castrandis posterius Edicto Aedilium insertum esse, cognoscimus ex Ulpiano ad edict., Digest. IX. tit. 2. c. 27. §. 28: „Et si puerum quis castraverit, et pretiosiorem fecerit, Vivianus scribit, cessare Aquiliam, sed iniuriarum erit agendum aut ex edicto Aedilium, aut in quadruplum". Sed de hac libidine turpissima vid. Quinctil. Instit. V. c. 12 in fin.: „quam quo mancipiorum negotiatores, formae puerorum virilitate excisa lenocinantur"; et Sueton. Tiber. c. 43—45, quae h. l. excerpere me pudet.

32) Quod foede factum testatur et Tacitus in not. 30 h. cap., et Sueton. in Tiber. c. 35: „Feminae famosae, ut ad evitandas legum poenas iure ac dignitate matronali exsolverentur, lenocinium profiteri ceperant, et ex iuventute utriusque ordinis profligatissimus quisque, quo minus in opera scenae arenaeque edenda Senatusconsulto tenerentur, famosi iudicii notam sponte subibant". Conf. Dio Cass. LIV. c. 2;

Cuncta igitur, quae vitam honestam laedere poterant, ab Aedilibus notari oportuit, unde etiam histrionum atque pantomimorum immodestia lasciviaque illorum iudicio subiiciebatur, donec primi Imperatores hos mox verberibus immunes, mox Praetorum auctoritati regendos traderent [33]. Sic etiam ne vestitus quidem, quo Romani in publico aspiciebantur, antiquitus ex curis Aediliciis excipiebantur, quare Augustus Aedilibus negotium, tanquam eorum muneri prorsus proprium, reddidit [34], „ne quem posthac paterentur in Foro Circove, nisi positis lacernis, togatum consistere."

Quemadmodum autem sub Censorum auctoritate morum disciplinae a singulis observandae consulerent Aediles, eadem ratione illum quoque magistratum [34*] in coenarum [35] frugalitate, in quotidiana

---

Digest. XXIII. tit. 2. c. 43. §. 3 seq. ex Ulpian. ad leg. Iuliam et Papiam, et ibid. XLVIII. tit. 5. c. 10. §. 2 ex Papin. ad leg. Iul.

33) Tacit. Ann. I. c. 77: „Actum de seditione (in theatro orta) apud Patres, dicebanturque sententiae, ut Praetoribus ius virgarum in histriones esset. Intercessit Haterius Agrippa Tribunus Pl., increpitusque est Asinii Galli oratione, silente Tiberio, qui ea simulacra libertatis Senatui praebebat; valuit tamen intercessio, quia divus Augustus immunes verberum histriones quondam responderat, neque fas Tiberio, infringere dicta eius." Vid. Sueton. Aug. c. 45, sed de hac re insuper consulas cap. 2 huius libri.

34) Sueton. Aug. c. 41. Cf. Reinesii Inscript. Class. II. nr. 73. p. 291; et Franc. Poleti hist. fori Romani restituta, illustrata et aucta, Poleni thesaur. I. p. 327. 674.

34*) Quod satis apte de Censura exponit Dionys. Halic. XX. c. 3 (conf. not. 25 h. cap.): „οὐ συμπόσια καὶ μέθας παννυχίους· οὐκ ἀσελγείας καὶ φθορὰς ἡλικιῶν νέων".

35) Primae leges contra luxuriam veterum Romanorum latae sunt de coenis, quemadmodum lex Orchia, quam C. Orchius Tribunus Pl. ex Senatus sententia tertio anno ante Ca-

vestitus [36]) vitaeque consuetudinis [37]) sim-

tonis Censuram tulit, quam lex Fannia post viginti annos secuta est. Orchiae summa est ex Macrob. Saturnal. II. c. 13, quod convivarum numerus praescriptus esset. De Fannia autem Sammonius Serenus ita disseruit apud Macrob. loc. cit.: „Fannia ingenti omnium ordinum consensu pervenit ad populum, neque eam Praetores aut Tribuni, ut plerasque alias, sed ex omni bonorum consilio et sententia ipsi Consules pertulerunt, cum respublica ex luxuria conviviorum maiora, quam credi potest, detrimenta pateretur. Siquidem eo res redierat, ut gula illecti plerique ingenui pueri pudicitiam et libertatem suam venditarent; plerique ex plebe Romana vino madidi in comitium venirent, et ebrii de salute reipublicae consulerent." Praeterea ex hoc Macrobii capite colligitur, Fanniam ad convivarum numerum Orchia lege iamiam statutum, sumtuum adhuc modum singulis epulis coërcuisse intra centum asses, inde post octodecim annos legem Didiam pro tota Italia permutavisse Fanniam, denique Liciniam, a P. Licinio Crasso Divite latam, Fanniam reddidisse adhuc severiorem, ut Calendis, nonis, nundinis Romanis, cuique in dies singulos triginta duntaxat asses edendi caussa consumere liceret, ceteris vero diebus ne amplius apponeretur quam carnis aridae pondo tria et salsamentorum pondo libra, et quod ex terra, vite arboreve sit natum. Has omnes leges sumtuarias Cato Minor nominavit cibarias, quibus autem non tota Cornelia, a Sulla Dictatore lata, adnumerari potuit: ea enim rebus raris minora imposuit pretia, conf. Plutarch. Syll. c. 35. Sed cunctae cum ceteris adhuc sequentibus non amplius apud populum Romanum valebant, quum triginta annis postea M. Antonius, qui postea Triumvir fuit, Tribunatum Pl. gereret. Gellius insuper noct. Att. II. c. 24 et XX. c. 1 med. harum legum sumtuariarum usque ad Augusti Tiberiique tempora mentionem facit, ex quo loco legem modo Antiam in medium proferre volo: „ea praeter sumtum aeris id etiam sanxit, ut qui magistratus esset, magistratumve capturus asset; ne quo ad coenam, nisi ad certas personas itaret".

36) Qua de re melius edoceremur, si fortuna aequior Catonis Maioris orationem de vestitu et vehiculis nobis reservasset, quam memorat Priscianus VI, 694 et 717 apud Ellendt.

plicitate retinenda, et in quoque sumtu inutili ex legibus sumtuariis [38]) restringendo Aediles adiuvisse, acoepimus ex testimonio classico Taciti [39]), quod, extremam quum huius Aediliciae curae conditionem, inanitatem ac manife-

---

proleg. ad Cicer. Brut. p. 25 laudatus. Sed insuper conf. Liv. XXXIV. c. 1 — 8, ubi de Catonis certamine cum Valerio Tribuno Pl. dictum est, quod de lege Oppia feminarum cultum coërcente abroganda ortum erat.

57) Huc pertinent edicta Censorum P. Licinii Crassi et L. Iulii Caesaris, quibus vetitum erat, ne quis venderet unguenta exotica, quae Antiocho rege Asiaque devictis primum Romam deportata, et a iuvenibus mollitiei nimie faventibus persaepe adhibita erant, Plin. hist. nat. XIII. c. 5. Iidem quoque Censores interdixerunt, ne quis vinum Graecum venale multitudini exponeret, ibid. XIV. c. 14. Cuius autem temporis luxuriam per dies Romae et in tota Italia magis grassantem praeclare depinxit Liv. XXXIX. c. 6: „Luxuriae enim peregrinae origo ab exercitu Asiatico invecta in urbem est: ii primum lectos aeratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas et alia textilia, et quae tum magnificae supellectilis habebantur, monopodia et abacos Romam advexerunt. Tunc psaltriae sambucistriaeque, et convivalia ludionum oblectamenta addita epulis: epulae quoque ipsae et cura et sumtu maiore adparari coeptae: tum coquus, vilissimum antiquis mancipium, et aestimatione et usu, in pretio esse, at quod ministerium fuerat, ars haberi coepta: vix tamen illa, quae tum conspiciebantur, semina erant futurae luxuriae."

58) De his libros singulares scripserunt: Io. Meursius, de luxu Romanorum l. V, Graev. thes. Rom. Ant. VIII. p. 1215—50; Stanisl. Kobierzycki, de luxu Rom. l. II, Graev. loc. cit. p. 1251 — 1402; Platner, exercitationes II de legibus sumtuariorum Rom., Lips. 1752; Meierotto, über die Sitten und Lebensart d. Römer, edit. sec. 1802 II. p. 111 — 96; Abr. Boxmann, de legibus Rom. sumtuariis dissertatio antiquario-iuridica, Lugd. Bat. 1816. 8. Conf. Schütz. Ind. legum in eius edit. Cic. oper.

59) Annal. III. c. 52 — 55.

stam abolitionem coloribus maxime vividis, sub forma litterarum Tiberii Imperatoris, describit, plenum auctoris verbis ipsis hic addere volo. „Nam, incipiente C. Bibulo, ceteri quoque Aediles disseruerant, sperni sumtuariam legem, vetitaque utensilium pretia augeri in dies, nec mediocribus remediis sisti posse. Et consulti Patres integrum id negotium ad Principem distulerant. Sed Tiberius, saepe apud se pensitato, an coërceri tam profusae cupidines possent, num coërcitio plus damni in rempublicam ferret, quam indecorum obtrectare, quod non obtineret; vel retentum ignominiam et infamiam virorum inlustrium posceret: postremo litteras ad Senatum composuit, quarum sententia in hunc modum fuit." „Ceteris forsitan in rebus magis expediat, me coram interrogari et dicere, quid e republica censeam: in hac relatione subtrahi oculos meos melius fuit, ne, denotantibus vobis ora ac metum singulorum, qui pudendi luxus arguerentur, ipse etiam viderem eos, ac velut deprenderem. Quod si mecum ante viri strenui, Aediles, consilium habuissent, nescio an suasurus fuerim, omittere potius praevalida et adulta vitia, quam hoc adsequi, ut palam fieret, quibus flagitiis impares essemus. Sed illi quidem officio functi sunt, ut ceteros quoque magistratus sua munia implere velim: mihi autem neque honestum silere, neque proloqui expeditum, quia non Aedilis, aut Praetoris, aut Consulis partes sustineo: maius aliquid et excelsius a Principe postulatur: et cum recte factorum sibi quisque gratiam trahant, unius invidia ab omnibus peccatur. Quid enim primum prohibere, et priscum ad morem recidere adgrediar? Villarumne infinita spatia, familiarum numerum et nationes? Argenti et auri pondus? Aeris tabularumque miracula? Promiscuas viris et feminis vestes? Atque illa femina-

rum propria, quis lapidum caussa, pecuniae nostrae ad externas aut hostiles gentes transferuntur? Nec ignoro in conviviis et circulis incusari ista et modum posci: sed si quis legem sanciat, poenas indicat, iidem illi civitatem verti, splendidissimo cuique exitium parari, neminem criminis expertem clamitabunt. Atqui ne corporis quidem morbos veteres et diu auctos, nisi per dura et aspera coërceas: corruptus simul et corruptor, aeger et flagrans animus, haud levioribus remediis restinguendus est, quam libidinibus ardescit. Tot a maioribus repertae leges, tot quas D. Augustus tulit [40]: illae oblivione, hae, quod flagitiosius est, contemptu abolitae, securiorem luxum fecere. Nam si velis, quod nondum vetitum est, timeas, ne vetere: at si prohibita impune transcenderis, neque metus ultra, neque pudor est. Cur ergo olim parcimonia pollebat? Quia sibi quisque moderabatur: quia unius urbis cives eramus: ne irritamenta quidem eadem, intra Italiam dominantibus. Externis victoriis aliena, civilibus etiam nostra consumere didicimus. Quantulum istud est, de quo Aediles admonent! Quam, si cetera respicias, in levi habendum! At Hercule nemo refert, quod Italia externae opis indiget, quod vita populi Romani per incerta maris et tempestatum quotidie volvitur, ac nisi provinciarum copiae et dominis et servitiis et agris subvenerint, nostra nos scilicet nemora nostraeque villae tuebuntur? Hanc curam sustinet Princeps: haec omissa funditus rempublicam trahet: reliquis intra animum medendum est: nos pudor, pauperes ne-

40) Quae ab Augusto admodum severae renovatae erant, Sueton. Aug. c. 34: „leges (Aug.) retractavit, et quasdam in integro sanxit, ut sumtuariam, de adulteriis, de pudicitia".

cessitas, divites satias in melius mutet. Aut si quis ex magistratibus tantam industriam ac severitatem pollicetur, ut ire obviam queat: hunc et laudo, et exonerari laborum meorum partem fateor: sin accusare vitia volunt, dein, cum gloriam eius rei adepti sunt, simultates faciunt ac mihi relinquunt. Credite P. C. me quoque offensionum non esse avidum; quas cum graves et plerumque iniquas pro republica suscipiam, inanes et irritas, neque mihi aut vobis usui futuras, iure deprecor." „Auditis Caesaris litteris, remissa Aedilibus talis cura, luxusque mensae, a fine Actiaci belli ad ea arma, quis Ser. Galba rerum adeptus est, per annos centum profusis sumtibus exerciti, paullatim exolevere" [41]).

Neque minus de funeribus edicto Aediles Curules cavebant, ne maiora sive pretiosiora sepulcra, neque

41) De ceteris Imperatorum edictis, sumtus nimie effusos coërcentibus, vid. Sueton. Claud. c. 16, et ibid. Nero. c. 16, quae tamen non multum effecerunt, si rem universam consideramus. Itaque Vespasiano demum relictum erat, ut luxuriae fines sisteret; quod eo facilius faciendum erat, quum ea aetate per se ipsas pecuniae multitudini urbanae largius fluere desinerent, illustrium vero gentium divitiae cum iis ipsis dispersae ac deletae penitus deficerent, ergo libidinibus sensim sensimque diminutis atque exhaustis, etiam contra hominum voluntatem novis legibus remedium tradere posset accommodatius; Sueton. Vespas. c. 11, et Tacit. Ann. III. c. 55: „Sed praecipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque: obsequium inde in Principem et aemulandi amor validior, quam poena ex legibus et metus." Unde eas, duobus adhuc seculis posterius, plerumque observatas invenimus, sub Alexandro Severo, Lamprid. Alex. S. p. 355, et sub Aureliano, Vopisc. in Aurel. p. 652—58, quorum uterque insuper legibus sumtuariis quasdam novas addidit.

in locis publicis intra urbem, mortuis ponerentur [42]), quam quod ex lege sumtuaria funebri finitum esset; neve sumtus in festis funebribus, tum ludis [43]), tum epulis funebribus [44]), tum servis hac occasione manumissis [45]), celebrandis modum legitimum, pluribus legibus, praecipue autem quadam Cornelia statutum [46]),

---

42) Qua de re nos certiores facit Cicero Phil. IX. c. 7: „Et cum Ser. Sulpicius, Q. F., Lemonia Rufus ita de republica meritus sit, ut his ornamentis decorari debeat: Senatum censere, atque e republica existimare, Aediles Curules edictum, quod de funeribus habeant, Ser. Sulpicii funeri remittere: utique locum sepulcro in campo Esquilino C. Pansa Consul seu quo alio in loco videatur, pedes triginta quoque versus adsignet, quo Ser. Sulpicius inferatur. Conf. Garatonii commentar. edit. Wernsdorf. p. 506 — 7, et I. Kirchmann de funeribus Romanorum, Hamb. 1605. 4., et C. G. Hübner historiae legum Rom. ad sepulturas pertinentium, spec. I. II, Lips. 1794 — 95. 4., et not. 47 seq. h. cap.

43) De ludis funebribus conf. cap. secundum huius libri.

44) Liv. VIII. c. 22: „Populo visceratio data a M. Flavio in funere matris." Ibid. XXXIX. c. 46: „P. Licinii funeris caussa visceratio data, et ludi funebres per triduum facti, post ludos epulum." Ibid. XLI. c. 28: „Munera gladiatorum eo anno aliquot parva alia data; unum ante cetera insigne fuit T. Flaminini, quod mortis caussa patris sui, cum visceratione epuloque et ludis scenicis, quatriduum dedit." De his epulis commentationem reliquit Ienichen, von den Begräbnissmahlzeiten, Leipz. 1747.

45) Servorum hac occasione manumittendorum numerus coërcitus, legeque Fusia Caninia constitutus erat, conf. Maiansii (Greg.) dissertat. de l. Fus. Caninia, in Disputat. iur. I. nr. 5. p. 58 — 74.

46) Plutarch. Syll. c. 35: „τὸν δὲ τῆς ταφῆς ὁρίζοντα τὴν δαπάνην νόμον αὐτὸς παρεισενηνοχὼς παρέβη, μηδενὸς ἀναλώματος φεισάμενος."

transgrederentur [47]). Quamvis enim ludis funebribus proprii designatores praeessent [48]), dominusque funeris accenso atque lictoribus uti posset [49]), tamen tibicinum, funus efferendum comitantium, numerum prohibendi, quominus super decem egrederetur [50]), officium erat Aedilium; idque

---

47) Cic. de leg. II. c. 23: „Sed ea non tam ad religionem spectant, quam ad ius sepulcrorum: hominem mortuum, inquit lex in duodecim tabulis, in urbe ne sepelito, neve urito. Credo vel propter ignis periculum. Quid qui post duodecim tab. in urbe sepulti sunt, clari viri? . . . Sic decretum a Pontificum collegio, non esse ius, in loco publico fieri sepulcrum. . . . Iam cetera in duodecim, minuendi sumtus, lamentationesque funeris, translata de Solonis fere legibus." e. q. s.; tum ibid. c. 25: „Nostrae quidem legis interpretes, quo capite iubentur sumtus, et luctum removere a deorum manium iure, hoc intelligunt, in primis sepulcrorum magnificentiam esse minuendam." Conf. leg. tab. X. fragm. de sumt. funebr. ap. Dirksen loc. cit. p. 665 seq.

48) Donat. ad Terent. Adelph. I. sc. 2. 7: „nam et designatores dicti, qui ludis funebribus praesunt, credo ob eam caussam, quod ipsis ludis multa fiant nova et spectanda; simul etiam turba retineatur."

49) Cic. de leg. II. c. 24: „haec habemus in duodecim, sane secundum naturam; quae norma legis est. Reliqua sunt in more; funus ut indicatur, si quid ludorum; dominusque funeris utatur accenso atque lictoribus."

50) Ibid. c. 25: „Extenuato igitur sumtu, tribus riciniis et vinculis purpurae, et decem tibicinibus, tollit etiam lamentationem, mulieres ne genas radunto." Huc etiam pertinet Ovid. Fast. VI. v. 663 — 64, ubi de tibicinibus sermo est:

„Adde quod Aedilis, pompam qui funeris irent
Artifices, solos iusserat esse decem."

Bene quidem scio praeclarum Iurisconsultum D. Godofredum h. locum correcturum ita proposuisse, ut pro Aedilis Edictis, pro iusserat ius erat legi deberet, quum opinionem suam ex hoc loco Ciceronis comprobare vellet. Equidem

permanebat usque ad primos Imperatores, qui harum legum fines amplius laxaverunt [51]).

---

vero prorsus cum P. Burmanno ad Ovid. h. loc. oper. III consentio, primo omnes codices veterem defendere lectionem, tum nusquam apud Veteres auctores Romanos e d i o t i s pro duodecim tabulis posse reperiri, denique perfacile existimandum esse, veterem legem in duodec. tabulis latam, posteriore vero aevo non observatam, novo Aedilium edicto rursus debuisse iterari.

51) Senec. de mort. Claudii in fin.

CAP. VI.

AEDILIUM MUNERA IN CASIBUS NON PROVISIS ATQUE EXTRAORDINARIA, LIBRORUM VETITORUM AERARIIQUE PUBLICI CURA IISDEM AD BREVE MODO TEMPUS DEMANDATA.

Magistratus, quorum curae multo magis ad cives in urbe tuendos, quam ad rem publicam utique adversus hostes externos, sive etiam in eius provinciis ipsis servandam spectabant, qui ergo ne per brevius quidem temporis spatium, non sine magno tutelae publicae periculo, urbe abesse debebant, quod etiam Tribunis Pl. non licitum erat (Gell. n. Att. III. c. 2); non facile in muneribus extra ordinem urbisque muros demandandis adhiberi poterant. Itaque nunquam quandam imperii partem in exercitibus accipiebant, nisi cum officio suo intra urbis terminos (i. e. in muris defendendis), semper exercendo coniungi posset, nunquam in provincias mittebantur [1]), in quibus vero munerum Aediliciorum

---

1) Exemplum quidem huic opinioni contrarium, ex tempore inter bellum Punicum primum ac secundum, affert Zona-

curae superiori vel Praetorum [2]), vel Quaestorum [3]) auctoritati permittebantur, inferiorem autem proprii magistratus urbani in quaque urbe oppidove concessam retinebant [4]). Nam vectigalia Aedilicia, quae Cicero memorat [5]), et quae in provinciis ab Aedilibus ipsis expostulata esse quidam auctores opinati sunt, sub forma collationis, quodammodo invito factae, sed non per vim coactae, ad ludos Romae editos a provincialibus praestabantur: sed iam antiquitus [6])

---

ras VIII. c. 18: „Ἐς δὲ τὴν Σαρδὼ τὸν Ἀστυνόμον Πούπλιον Κορνήλιον ἔπεμψαν". Sed quisque mihi facile concedet, ingentem auctoris Graeci negligentiam, hoc loco, sicuti pluribus aliis factis comprobatam, commisisse errorem, atque internam rerum publicarum administrationem valde permiscentem, dignitatem Praetoris, qua sine dubio ornatus P. Cornelius Scipio in Sardiniam missus erat, pro usitatiore verbo Στρατηγός vertisse per Ἀστυνόμον, etsi id verbum interdum apud Dionem Cass. LIII. c. 2 itidem Praetorem urbanum significat.

2) Quod exempli gratia in foenore coërcendo obsarvavit Livius, XXXII. c. 27: „Sardiniam M. Porcius Cato obtinebat; sanctus et innocens, asperior tamen in foenore coërcendo habitus: fugatique ex insula foeneratores, et sumtus, quos in cultum Praetorum socii facera soliti erant, circumcisi, aut sublati".

3) Gaius Institut. I, 6: „Item in edicto Aedilium Curulium, quorum iurisdictionem in provinciis populi Quaestores habent", conf. Schraderi recensionem in ephemerid. Heidelberg a. 1823. p. 958. Idem fiebat in annona emenda, vid. Ascon. schol. ad Verr. II. l. 1. c. 14.

4) Ex provincia Sicilia cognovimus Aediles ac Quaestores Agrigentinos, in Ciceronis aetate officio adhuc fungentes, in Verr. II. l. 4. c. 45. — De coloniis et municipiis largam exemplorum copiam accipias in Otton. de Aedil. mun. toto capite 9.

5) Cic. ep. ad Quint. fr. I. ep. 1: „Quantum vero est illud beneficium tuum, quod iniquo et gravi vectigali Aediliciorum, magnis nostris simultatibus, Asiam liberasti?"

6) Liv. XL. c. 44.

Senatusconsulto cautum erat, „ne quis aliquid ad eos ludos arcesseret, cogeret, acciperet, faceret; quod Senatus propter effusos sumtus decreverat, factos in ludos Ti. Sempronii Aedilis, qui graves non modo Italiae ac sociis Latini nominis, sed etiam provinciis externis fuerant." Sed id tamen, uno seculo praeterlapso, penitus neglectum fuisse videtur, quemadmodum, praeter hoc testantem Ciceronem, secundi capitis h. libri exempla ex hac aetate luculenter docent.

Vidimus igitur Aediles vulgarem curarum provinciam rarius ullo alio Romanorum magistratu relinquentes, et tum etiam, quando respublica permagna contagione ac superiorum magistratuum clade repentina afflicta erat [7]), non saepe factum est, ut Aediles illorum vices gererent, dum in omnibus aliis eventibus diutius providendis novi magistratus extra ordinem crearentur. Unde mirum videtur, unum tamen documentum exstare apud Livium [8]), cuius auctoritate quendam Aedilem Plebis, tanquam adiunctum duorum Tribunorum Pl. adiutorem, ex peculiari Senatusconsulto Roma extra Italiam ablegatum esse observamus, ut Scipionem Africanum Maiorem, contra Senatus Populique voluntatem in Africam iturum, antequam Siciliam provinciam relinqueret, Tribunorum iussu, si Scipio Praetori, simul cum Tribunis in Siciliam misso, dicto audiens non esset, aut iam in Africam traiecisset, prenderet, eorumque potestatis sacrosanctae iure pre-

7) Liv. III, c. 6. Quum magna pestilentia urbem premente, „alter Consul iam mortuus esset; alter Consul cum plerisque principum ac fere omni aetate militari in exigua spe traherent animam, munus vigiliarum Senatores, qui per aetatem ac valetudinem poterant, per se ipsi obibant: circuitio ac cura Aedilium Pl. erat: ad eos summa rerum ac maiestas Consularis imperii venerat."

8) Lib. XXIX. c. 20.

hensum, Romam reduceret. Mea opinio de hoc casu rarissimo hunc locum ita illustrari iubet, ut tum Senatus inprimis viri comprehendendi auctoritas apud exercitum maioremque populi partem consideraret, eoque iustissimam nancisci censeret occasionem omnia suscipiendi, ne, ad pessimum commodi publici exemplum, ullo remedio omisso, quod ad finem exoptatum adducere posset, obsequium erga Senatus imperia a viro magnae famae recusaretur. Contra haec argumenta, quae totius reipublicae salutem maximo obiicerent discrimini, quaeque consuetudinis remissio excusanda esse videbatur: quamobrem eo anno primum prorsus extra ordinem, certamque constitutionem modi futuri, quo quisque Romanorum Imperator, obedientiam detrectans tamenque provinciam sive exercitum adhuc retinens, ad officium obeundum reduceretur, hos tres magistratus diversae potestatis, quae coniuncta refelli non posset, solummodo ad hunc virum convertendum miserunt. Neque igitur existimandum est, Aediles in talibus negotiis saepius esse adhibitos, et ab urbis muneribus esse remotos, quod eo difficilius cogitari potest, quo magis ad antiquiora id redeat tempora.

Hac autem ratione duo modo res nobis relictae sunt, quibus Aedilium auctoritatem non ex naturali muneris coniunctione, sed ex speciali Senatus sive superiorum magistratuum iussu, quadam cura demandata functos esse novimus. Quorum alterum munus sane plurimis Aedilitatis curis inferius censeri licet, quia in hoc negotio ii neque observandi, nec iudicandi puniendive potestatem exercebant, sed poenam solam iam indictam certo reddendam esse procurabant: attamen aliquatenus coniunctum cum quadam alia eorum cura consideremus, qua prohiberent Aediles, quo minus bona cuiusdam fama maledictis conviciisve offenderetur. Nam postulabatur ab Aedilibus, et demum qui-

dem sub Imperatoribus, ubi pleraque ministeria graviora Aedilitati iam pridem subtracta erant, ut libros ob impiam [9]) sive nimie liberam scribendi rationem, in religionis dissolvendae sive Principis laedendi conatibus manifestatam, a Senatu, posteriusque ab Imperatoribus damnatos prorsusque vetitos per urbem perquirerent, collectosque cremandos esse curarent. Tali autem modo iam sub Augusti imperio [10]) rem actam, poenam tamen magis in

---

9) Quod etiam factum est (a. 181 a. Ch.) in libris effossis, quos Regis Numae fuisse crediderunt: ii enim ob quasdam leves sacrorum caussas pleraque dissolvendarum religionum continere existimati, et ex Senatusconsulto, igne in comitio a victimariis facto, in conspectu populi cremati sunt; Liv. XL. c. 29, Plin. h. nat. XIII. c. 15, Plutarch. Num. Pomp. c. 22, Aurel. Vict. de vir. ill. c. 5. Hac autem caussa non Praetor urbanus, ut Plinius putavit, librorum cremandorum curam habuit ex muneris sui ratione, sed, ut videtur, nulli magistratus tum eo negotio occupati erant. Quod autem Praetorem Q. Petillium adtinet, ex Livii expositione copiosa fortuito evenerat, ut scriba Cn. Terentius, quem Petillius Quaestura fungens in decuriam legerat, in agro suo cultoribus altius molientibus terram, hanc librorum arcam inveniret; ut inde libri lubentius a Terentii amicis lecti, in Petillio quoque antiquitatis studioso, eos legendi cupidinem commoverent. Quos quum ex familiari usu, cum hoc scriba diutius pridem inito, accepisset Praetor, iis perlectis de argumento pietati domesticae noxio edoctus, libros ut publice cremarentur, retinuit; sed scribam exhortatus est, ut rem de libris possidendis ad Tribunos Pl. ferret, qui tamen eam statim ad Senatum reiecerunt, ut rem religionem reipublicae maxime tangentem. At Senatus cum Praetore consentiit, demandavitque, ut in foro publice cremarentur.

10) Dio Cass. LVI. c. 27: „καὶ μαθὼν, ὅτι βιβλία ἄττα ὑφ' ὕβρει τινῶν συγγράφοιτο, ζήτησιν αὐτῶν ἐποιήσατο· καὶ ἐκεῖνά τε τὰ μὲν ἐν τῇ πόλει εὑρεθέντα πρὸς

in libros, quam in eorum auctores [11]) exercitam esse vidimus. Sed sub Tiberio Imperatore Cremuti Cordi exemplum [12]) nos docet, nobilem rerum in libera civium conditione gestarum descriptionem, non minus quam Principis ipsius offensionem, rem capitalem esse tractatam: nam ille novo, ut Tacitus testatur, ac tunc

---

τῶν Ἀγορανόμων, τὰ δὲ ἔξω πρὸς τῶν ἑκασταχόθι ἀρχόντων, κατέφλεξε, καὶ τῶν συνθέντων αὐτὰ ἐκόλασε τινάς."

11) Vid. not. anteced. et Sueton. Aug. c. 55: „Nec id eo libertas, aut contumacia cuiquam fraudi fuit: etiam sparsos de se in curia famosos libellos nec expavit, nec magna cura redarguit. Ac ne requisitis quidem auctoribus, id modo censuit cognoscendum posthac de iis, qui libellum aut carmina ad infamiam cuiuspiam sub alieno nomine edant."

12) Tacit. Annal. IV. c. 34 ex ann. 25 p. Ch., et Dio Cass. LVII. c. 24, quod testimonium iam supra p. 323 in medium protuli. Tum Sueton. Tiber. c. 61—62: „Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum. Obiectum est poetae, quod in tragoedia Agamemnonem probris lacessisset; obiectum et historico, quod Brutum Cassiumque ultimos Romanorum dixisset: animadversum est statim in auctores, scriptaque abolita, quamvis probarentur ante aliquot annos, etiam Augusto audiente recitata. Quibusdam custodiae traditis, non modo studendi solatium ademtum, sed etiam sermonis et colloquii usus. Citati ad caussam dicendam, partim se domi vulneraverunt, certi damnationis, et ad vexationem ignominiamque vitandam; partim in media curia venenum hauserunt, et tamen colligatis vulneribus, ac semianimes palpitantesque abiectus uncoque tractus." ..... „Annalibus suis vir Consularis inseruit, frequenti quondam convivio, cui et ipse affuerit, interrogatum eum subito et clare a quodam nano adstante mensae inter copreas, cur Paconius, Maiestatis reus tam diu viveret; statim quidem petulantiam linguae obiurgasse, ceterum post paucos dies scripsisse Senatui, ut de poena Paconii quam primum statueret." e. q. s. Conf. de his Tacit. Ann. II, III, IV, et Senec. consolat. ad Marciam, Cremutii filiam, c. 1—22.

primum audito crimine postulatus est, quod editis annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorum ultimum dixisset. Sed Seiani clientes accusationem tam gravem extulerunt, ut Cordo, postquam in Senatu acri oratione se ipsum defendisset, nihil aliud relictum esset, quam ut vitae cibi abstinentia poneret finem: „eius libros per Aediles cremandos censuere Patres, sed manserunt, occultati et editi". Mortuorum etiam memoriam aggressus est Tiberius, eorumque opera ab Augusto laudata damnavit atque persequutus est. Mox tamen post Neronis mortem talia crimina incruentiora fiebant, simulatque Vespasianus imperium adierat, ac Domitianus etiam in primis imperii annis poenam eo diminuit, ut gravioris duntaxat ignominiae nota auctores famosorum libellorum attingeret [13]). Sed ut primum iocus aut liberalior dicendi scribendique consuetudo antiquiora tempora censere meliora, viros damnatos laudare iustissimos, sacraque ipsi Imperatoris maiestati non ubique parcere ausa erat, Domitianus statim crudelissimum se ostendit tyrannum, neque modo huiusmodi delicta denuo reddidit crimina capitalia, eamque curam in libros exercendam ab Aedilibus ad Triumviros detulit capitales [14]), quorum insuper reliquo officio ea magis propria erat; sed etiam foedis-

13) Sueton. Domit. c. 8.

14) Quod Tacitus ardenter descripsit Agricol. c. 2: „Legimus cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse: neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum saevitum, delegato Triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur." Conf. Dio Cass. LXVII. c. 13, et Plin. epist. I. ep. 5, III. ep. 11, VII. ep. 19, et Sueton Domit. c. 10.

simis cruciatibus [14*]) tali crimini obnoxios occidere iussit. Inde non multo post Domitianum id negotium Triumviris ademtum, ordinariisque duntaxat iudicibus per totum imperium permissum est [15]).

Alterum munus extraordinarium, Aedilibus per brevissimum temporis spatium demandatum, aerarii custodia [16]), iisdem, sed duntaxat Curulibus, tradita est a C. Iulio Caesare [17]), quam tamen post paucos annos, Triumviris magnis adhuc imperantibus, priorum curatorum [18]), Quaestorum auctoritati redditam [19])

14*) Sueton. Domit. c. 10: „Hermogenem Tarsensem occidit propter quasdam in historie figuras: librariis etiam, qui eam desoripserant, crucifixis. Patremfamilias, quod Threcem mirmilloni parem, munerario imparem, dixerat, detractum e spectaculis in arenem, canibus obiecit cum hoc titulo, impie locutus parmularius." e. q. s.

15) Cuius rei, edhuo quarto seculo p. Ch. per totum imperium Romanum constitutae, exemplum prodit Ammian. Marcellin. XXIX. c. 1 in fin. et c. 2 in init.

16) Conf. commentationem, quam van Heukelom de aerario Romano Lugd. B. 1821 conscripsit, equidem e bibliopolis non accipere potui.

17) Dio Cass. XLIII. c. 48: „τούς τε οὖν θησαυροὺς τοὺς δημοσίους δύο τότε τῶν πολιανομούντων διῴκησαν, καὶ τὰ Ἀπολλώνεια ὁ ἕτερος αὐτῶν τῇ τοῦ Καίσαρος παρασκευῇ ἐπετέλεσε." Sed negare non possum, hoc unicum testimonium pro Aedilicia cura in aerario administrando tam ambiguum posse existimari, ut omnino hano unquam Aedilibus demandatam esse dubitari possit, et *Πολιανομοῦντες* de utroque Praetore in urbe administraute, Urbano et Peregrino, intelligantur. — Interpretatio Aedilium Curulium optime adhuc per verbe proxime sequentia, quae Aediles Pl. iisdem opponunt, vindicari potest: „καὶ οἱ Ἀγορανόμοι οἱ ἐκ τοῦ πλήθους τὰ Μεγαλήσια κατὰ δόγμα ἐποίησαν".

18) Aerarium in aede Saturni servatum, quod ex Macrob. Saturnal. I. c. 8 Romani crediderunt, eo tempore, quo Satur-

vidimus. Deinde Augustus in primis imperii annis novam aerarii administrandi institutionem fecit, duosque e Senatoribus, qui Praetura iam functi erant, Senatum per quemque annum eligere iussit, ut publicos thesauros [20]), qui a fisci reditibus plane separati

---

nus Italiam incoluerit, nullum furtum in eius finibus commissum, nullum sub illo bono minimi pretii unquam esse privatum, inde a regibus expulsis sub Senatus auctoritate positum erat, Polyb. VI. c. 15: „ἡ σύγκλητος πρῶτον μὲν ἔχει τὴν τοῦ ταμιείου κυρίαν . . . οὔτε γὰρ εἰς τὰς κατὰ μέρος χρείας οὐδεμίαν ποιεῖν ἔξοδον οἱ Ταμίαι δύνανται, χωρὶς τῶν τῆς συγκλήτου δογμάτων, πλὴν τὴν εἰς τοὺς ὑπάτους." Sed Senatus statim duobus Quaestoribus administrationem tradidit, Plutarch. Poplicol. c. 12 et Tacit. Annal. XI. c. 22, quae sine permutatione notabili per duos Quaestores urbanos usque ad C. Iulium Caesarem gesta est, Gell. noct. Att. XIII. c. 24: „Manubiae enim sunt, sicuti iam dixi, non praeda, sed pecunia per Quaestorem populi Romani ex praeda vendita contracta. Quod per Quaestorem autem dixi, intelligi nunc oportet Praefectum aerario significari, nam cura aerarii a Quaestoribus ad Praefectos translata est." Itaque Hotomannus l. cit. p. 1872 magno errore ductus est, si sine ullo teste Fabio Caninioque Cons. (a. 272 a. Ch.?) publicae pecuniae administrationem ad Aediles translatam esse contendit. Nam Livii exemplum (XXX. c. 39, „a. 202 a. Ch. Pecuniam ex aerario scribae viatoresque Aedilitii clam egessisse per indicem comperti, damnati sunt, non sine infamia Luculli Aedilis") nequaquam quandam rei affirmationem praebet, quandoquidem certo Aediles creberrime suos scribas viatoresque ad aerarium miserint, ut ab iis pecuniae publicis sumtibus statutae deportarentur: qua occasione hi fraudatores facilius ansam huiusmodi criminis committendi sibi comparare potuerint.

19) Sueton. Aug. c. 36: „Augustus auctor fuit, ut cura aerarii a Quaestoribus urbanis ad Praetorios Praetoresve transiret." — Sed penitus separata erat ab aerario publico fisci cura, quam iam Augustus quibusdam Praetoriis, sorte lectis, ad trium annorum spatium commisit, Dio Cass. LIII. c. 25.

20) Dio Cass. LIII. c. 2: „πρός τε τὴν διοίκησιν σφῶν (τῶν χρημάτων δημοσίων) δύο κατ᾽ ἔτος ἐκ τῶν Ἐστρατηγηκότων αἱρεῖ-

essent, administrarent. Qui curatores aerarii Praetorii hanc curam usque ad Claudii dies posteriores gerebant; sed is pristinum aerarii magistratum revocans, duos Quaestores urbanos rursus illi praeposuit [21]), neque amplius ad unum annum, sed per totum triennium institutos. Postremo autem Nero in horum locum, Quaestorio officio in aerario regendo penitus seposito [22]), duos novos Praefectos aerario ex Praetoriorum numero assumtos, elegit [23]), qui deinde usque ad totius imperii administrationis commutationem, sub Diocletiano factam, in documentis antiquis reperiuntur; sed in secundo seculo p. Ch. adhuc duo singulis annis instituti [24]), in tertio autem ad unum redacti [25]).

σθαι ἐκέλευσε." Conf. Tacit Annal. XIII. c 29 et Sueton. l. c. not. 19.

21) Dio Cass. LX. c. 4 et c. 24: „καὶ τοὺς Στρατηγοὺς τοὺς ἐπὶ τῆς διοικήσεως καταλύσας, Ταμιείαις αὐτὴν κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἐπέτρεψεν, οὐχ ὥστε καὶ ἐτησίους σφᾶς (ὅπερ ἐπί τε ἐκείνων πρότερον, καὶ ἐπὶ τῶν Στρατηγῶν μετὰ ταῦτα ἐγίγνετο) ἄρχειν, ἀλλ' οἱ δύο οἱ αὐτοὶ τρία ὅλα ἔτη αὐτὴν διῴκουν." Conf. Sueton. Claud. c. 24, Tacit. Annal. loc. cit.

22) Sueton. Nero c. 15: „De quibusdam rebus rationes ad Senatum missas, praeterito Quaestoris officio, per Consules plerumque recitabat."

23) Tacit. Annal. XIII. c. 28: „Dein princeps curam tabularum publicarum a Quaestoribus ad Praefectos transtulit." c. 29: „Igitur Nero Praetura perfunctos et experientia probatos delegit."

24) Ex Traiani Hadrianique imperiis rem testantur Plin. Panegyric. c. 91 et 92 et Gell. XIII. c. 24 (vid. not. 18), ex M. Aurelii imp. Capitolin. vit. Aur. p. 73.

25) Ex Alexandri Severi aetate videas Capitolin. vit. h. Imper. p. 437, Valeriani, Vopisc. vit. Val. p. 618, ex Aureliani imperio, Vopisc. vit. Aurel. p. 627.

LIBER QUARTUS.

AEDILIUM HONORES, IURA ATQUE MINISTRI.

CAP. I.

AEDILIUM HONORES ET IURA.

Hic ultimus dissertationum mearum, de rebus Aediliciis conscriptarum, liber neque volumine, neque rei gravitate tribus prioribus aequiparari potest. Nam si illi totam Romanorum rempublicam complectuntur, quonam modo per quinque secula et quod excurrit ab Aedilibus similibusque magistratibus administrata sit, hic magis tantummodo ad Aedilium dignitatem solam pertinet, inprimisque explicandum curabit, qua ratione, quibusque honoribus ac iuribus Aediles apud Romanos ornati essent, et quanam existimatione, si quis eosdem cum ceteris magistratibus comparare vellet, gavisi essent. Ante omnia monendum est, his duobus capitibus postremis rem iam eo succinctius posse tractari, quo saepius argumentum de Aedilium ornatu ac potestate, res pluribus aut cunctis magistratibus communes, ideoque notiores, in medium proferre debet. Rem aggredi volumus a minutissimis honoribus externis. Hi enim maiorem discriminis partem inter Aediles Plebeios ac Curules fecerunt, uti iam supra dictum est [1]); igiturque Aedilitati Curuli eminen-

1) Lib. I. c. 5. p. 197.

tioris clariorisque dignitatis existimationem praebuerunt [2]). Aediles autem Curules, etsi togae praetextae vestitum cum Plebeiis partientes [3]), soli insuper sellam curulem [4]), atque ius imaginis ad memoriam posteritatemque prodendae [5]), unicuique magistratui Curuli annexum nacti erant. Lictores utrique Aediles non habebant, sed viatoribus, de quibus proximo capite loquemur, ac servis publicis circumdati [6]), qui tamen ante bella civilia in magistratuum comitatu nondum in usu fuerunt, in viis publicis forisque munera exsequebantur, quemque e populo et magistratibus minoribus usque ad Quaestores sibi

---

2) Plutarch. Marcell. c. 2: „εὐδοκιμοῦντα δὲ μᾶλλον, Ἀγορανόμον μὲν ἀπέδειξε τῆς ἐπιφανεστέρας τάξεως ὁ δῆμος." Plutarch. Mar. c. 5: „Δύο γάρ εἰσι τάξεις Ἀγορανόμων, ἡ μὲν ἀπὸ τῶν δίφρων τῶν ἀγκυλοπόδων, ἐφ' ὧν καθεζόμενοι χρηματίζουσιν, ἔχουσα τ' οὔνομα τῆς ἀρχῆς· τὴν δ' ὑποδεεστέραν δημοτικὴν καλοῦσιν. ὅταν δὲ τοὺς ἐντιμοτέρους ἕλωνται, περὶ τῶν ἑτέρων πάλιν τὴν ψῆφον λαμβάνουσιν." Dio Cass. LIII. c. 55: „κἂν τῷ αὐτῷ τούτῳ ἔτει Ἀγορανόμον τέ τινα τῶν καταδεεστέρων ἀποθανόντα Γάϊος Καλπούρνιος, καίτοι προηγορανομηκὼς ἐν τοῖς ἀμείνοσι διεδέξατο."

3) Cic. in Vatin. c. 7: „Te Aediliciam praetextam togam, quam frustra confeceras, vendidisse" (i. e. quod Aedilis factus non eras). Qua quum ceteri magistratus, Vicorum etiam magistri, Liv. XXXIV. c. 7, eadem uti possent, veri simillimum est idem de Aedilibus Pl. censeri.

4) Plutarch. Mar. c. 5, vid. not. 2 h. cap. et Liv. IX. c. 46.

5) Cic. in Verr. II. l. 5. c. 14.

6) Gell. noct. Att. XIII. c. 13 e Varron. hum. rer. XXI: „Qui magistratus potestatem neque vocationis populi viritim habent, neque prensionis, eos magistratus, a privato in ius quoque vocari est potestas. M. Laevinus Aedilis Curulis a privato ad Praetorem in ius est deductus. Nunc stipati servis publicis non modo prehendi non possunt, sed etiam ultro summovent populum."

via decedere cogebant, maioribus tamen Dictatori, Censoribus [7]), Consulibus, Praetoribus ac Magistro equitum, et quod ad Aediles Plebis specialiter adtinet, certo etiam Tribunis Pl. ipsos cedere oportebat. Quemque ex illis sibi dicto non audientes, aut contra eorum curas delinquentem per viatorem prendere poterant [8]), sed ex superioribus magistratibus, quibus in hac caussa, quod verisimile puto, Tribunos Pl. ac Quaestores adsociari licet, in reos quidem sive etiam damnatos ipsi, sine viatore adhibito, ius prehensionis exercere poterant, si quidem Senatusconsultum peculiare et Tribuni iubentes prehensionem ab iis postulaverint [9]).

Praeter haec iura Aediles quoque utebantur reliquis, quae vulgariter minoribus magistratibus adtributa erant: quibus insuper ius nummos suo nomine inter muneris administrandi annum cudendi adnumerari potest [10]). In his nummis, qui usque ad nostra tempora venerunt, praecipuum signum in Curulibus ex illa dignitate Aedilicia assumtum reperitur, quod hunc magistratum ab aliis minoribus distinguebat, nempe sella curulis. Sed hos quoque nummos veros Aedilium esse, aut inscriptio Aed. Cur., aut alia symbola insuper posita et ex Aedilitate petita, aut utrum-

---

7) Unde immensae arrogantiae exemplum Domitii Neronis, Imperatoris patris, in Aedilitate Censorem sibi e via submoventis adnotari potest, Sueton. Nero c. 4.

8) Varr. rer. human. XXI, apud Gell. noct. Att. XIII. c. 15; sed in cap. seq. not. 15, ubi locum plenum exscripsi et apud Viatorem illustravi.

9) Liv. XXIX. c. 20; conf. quae ad hunc loc. in cap. ultimo lib. III adnotavi.

10) Prae ceteris conf. Ekhel. doctr. numm. vet. V, p. 66 seq. et Spanheim. de praest. numm. II. p. 111 seq.

que coniunctum satis testantur [11]). At non modo Curules eo iure gaudebant, sed potius id promiscuum erat, etsi ob diversas privatorum divitias creberrime sedulo id negligebatur, quod ex hodierna maiore nummorum Aedilium Plebeiorum raritate suspicionem excitat, id saepius a Plebeiis quam a Curulibus esse omissum. Alia symbola utrique Aedilitati promiscua, quae in his nummis hodie occurrunt, sunt aedes sacrae ab Aedilibus exstructae vel refectae, spicae et cornucopiae (in Curulibus prope sellam positae), porro coronae vel simulacra, aliaque ad ludos solennes, ab Aedilibus faciendos, pertinentia, Deae Deive, inprimisque Cereris ac Matris Magnae ob Cerealia et Megalesia, effigies et similia [12]).

Sed inter honores graviores utraque Aedilitas communi iure Senatum intrandi, sententiamque in eo dicendi [13]) fruebantur, quod quidem non arcte cum Aedilitate coniunctum erat, dum Quaestura, fere semper ante Aedilitatem gesta, ad eundem

11) Spanheim. de praest. numm. edit. recent. II. p. 145.

12) Ekhel. loc. cit. et Spanheim. II. p. 88, 111, 149, 151, 154 et 157.

13) Gell. noct. Att. III. c. 18. Varro in Satira Menippea, quae Ἱπποκύων inscripta est, equites quosdam dicit pedarios appellatos, videturque eos significare, qui nondum a Censoribus in Senatum lecti erant, Senatores quidem non erant: sed quia honoribus Populi Romani usi quidem erant, in sententiam veniebant et sententiae ius habebant. Nam et Curulibus Magistratibus functi, qui nondum a Censoribus in Senatum lecti erant, Senatores non erant: et quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias, sed quas principes dixerant, in eas discedebant. Hoc significabat edictum, quo nunc quoque Consules, cum Senatores in curiam vocant, servandae consuetudinis caussa tralaticio utuntur. Verba edicti haec sunt: Senatores, quibusque in Senatu sententiam dicere licet.

honorem iam adduceret [14]). Quo tamen accepto Aedilicii post munus gestum Senatores pleni iuris nequaquam facti erant, quum haec dignitas Senatoria nonnisi Censorum, et posterius Imperatorum lectione referri posset [15]): Aediles tamen Curules antiquiorem sententiae in Senatu dicendae locum muneris gesti gratia accipiebant [16]). At Plebeii alio iure non minus pretioso ornabantur, tanquam Plebeii ordinis iudices [17]), cuius autem usus in posteriore aetate, quum singulorum potestas reipublicae iamdum vicisset auctoritatem, non ex vero pretio aestimabatur. Illa fuit potestas sacrosancta, Aedilibus Plebis simul cum Tribunis Pl. hac lege adtributa [18]), „ut, qui Tribunis Plebis, Aedilibus, Iudicibus, Decemviris nocuisset, eius caput Iovi sacrum esset; familia ad aedem Cereris, Liberi Liberaeque venum iret". Quodsi vero seriores iuris interpretes apud Romanos de Aedilium Pl. potestate sacrosancta dubitaverint, ut Livius iamiam tales opiniones affert [19]), eum non sacrosanctum censentes, qui a maioribus magistratibus prehendi ac duci posset: facile id fieri poterat hoc iure diu non adhibito, Aedilium insuper Plebeiorum iuribus cum Curulibus, qui hanc potestatem nunquam nacti essent, permixtis.

---

14) Tacit. Annal. XI. c. 22 de universa Quaestorum institutione breviter egit: „Post, lege Syllae, viginti creati supplendo Senatui, cui indicia tradiderat".

15) Gell. noct. A. l. cit. in not. 13.

16) Cic. in Verr. II. l. 5. c. 14.

17) Conf. Dionys. Hal. VII. c. 35 et X, 48, quod utrumque in libri secundi c. 2 init iam reperitur.

18) Liv. III. c. 55.

19) Liv. loc. cit.

Attamen M. Cato Censorius [20]), cuius auctoritatem in talibus rebus nemo denegare conatur, sua adhuc aetate Aediles Pl. sacrosanctos censuit, quod praeterea adhuc magis exemplo, paullulum antiquiore, de Scipione Africano Maiore comprehendendo, (quod a me in capite ultimo libri antecedentis ex Livio illustratum est), comprobatur.

Sed quod ad gravissima iura magistratuum maiorum adtinet [21]), Aediles Curules duntaxat ius edicendi obtinebant, ius ad populum ferendi non habebant [22]), nisi quod maxima magi-

---

20) Festus s. voc. Sacrosanctus: „Sacrosanctum dicitur, quod iureiurando interposito est institutum, si quis id violasset, ut morte poenas penderet, cuius generis sunt Tribuni Plebis, Aedilesque eiusdem ordinis. Quod affirmat M. Cato in ea (oratione), quam scripsit, Aediles Plebis sacrosanctos esse." Conf. exemplum proditum e Liv. XXIX. c. 20. Num legibus solvendi potestatem habuerint Aediles, quaestionem obiter proposuit Dirksen. Civil. Abhandl. I. p. 272; cui ita satisfacere voluit, ut hanc potestatem de legibus sumtuariis iis concedendam esse non plane denegaret. Testimonium valde ambiguum censeo; id enim sumtum est ex Diomede de Oratore L. III, in Grammat. veter. edit. Putsch. Han. 1600. 4. p. 485: „per Satyram Aedilem factum, qui legibus solvat".

21) De Discrimine inter maiores ac minores magistratus, pro argumento a me proposito iam satis supra II. c. 1 disserui.

22) Gell. noct. Att. XIII. c. 15: „M. Messala in eodem libro de minoribus auspiciis ita scribit:" „Consul ab omnibus magistratibus et comitiatum et concionem avocare potest. Praetor et comitiatum et concionem usquequaque avocare potest, nisi a Consule. Minores magistratus nusquam nec comitiatum nec concionem avocare possunt, ea re, qui eorum primus vocat ad comitiatum, is recte agit: quia bifariam cum populo agi non potest. Nec avocare alius alii posset, si concionem habere volunt, uti ne cum populo agant: quamvis multi magistratus simul concionem ha-

stratuum absentium necessitas id cogeret [23]. Sed conciones habendi potestate utique Aediles, tam

---

bere possunt." „Ex his verbis Messalae manifestum est, aliud esse cum populo agere, aliud concionem habere. Nam cum populo agere est, rogare quid populum, quod suffragiis suis aut iubeat aut vetet; concionem autem habere, est verba facere ad populum sine ulla rogatione." Praeterea de hac re quibusdam aliis exemplis edocemur, quibus omnes magistratus, qui hoc iure ferendi ad populum rogandive ornati erant, diserte memorantur, Aediles autem semper omittuntur. Liv. XXVII. c. 5, ubi Senatusconsultum traditum est: „Ut Consul, priusquam ab urbe decederet, populum rogaret, quem Dictatorem dici placeret: eumque, quem populus iussisset, diceret Dictatorem. Si Consul noluisset, Praetor populum rogaret: si ne is quidem vellet, Tribuni ad plebem ferrent." Eadem ratione Aediles desunt in litteris publicis: Plancus Consul designatus (Cic. ad Fam. X. ep. 8) litteras publicas misit „Coss. Praet. Trib. Pl. Sen. Pop. Pl. Q. R.". Unde iidem Senatum convocandi ius non habebant, quod reliquis magistratibus praeter Censores ac Quaestorem permissum erat; Varro epistol. Quaestion. l. IV. fragm. apud Gell. noct. Att. XIV. c. 7, oper. v. I. p. 195: „More maiorum Senatus haberi solebat per Dictatorem, Consules, Praetores, Tribunos Pl., Interreges, Praefectum urbis; neque alii praeter hos fuit facere Senatusconsultum; quotiesque usu veniebat, ut omnes isti magistratus eodem tempore Romae essent, tum quo ordine supra scripti erant, qui eorum prior aliis erat, ei potissimum Senatusconsulendi ius fuit. Extraordinario iure Tribuni quoque militares, qui pro Consulibus erant, item Decemviri, quibus imperium Consulare tum erat, item Tresviri reipublicae constituendae caussa creati, ius consulendi Senatum habuerunt."

23) Huius rei exemplum extraordinarium in Cic. ad Fam. VIII. ep. 8 Senatus auctoritas praebetur: „Si quid de ea re Populum Plebemve lato opus esset, uti Consules, Praetores, Tribuni Pl., quibus eorum videretur, ad Populum Plebemve ferrent: quod ii non tulissent, uti quicunque deinceps essent, ad Populum Plebemve ferrent." Conf. Varr. de l. Lat. V. p. 76 (ed. Bipont.).

Plebeii, quam Curules, praediti erant, eamque interdum tam acriter exercebant, ut a Cicerone C. Iulius Aedilis Curulis laudaretur [24]), qui fere quotidie conciones accuratas habuisset. Ii autem magistratus, quibus populi convocandi potestas non erat, a quoque privato in iudicium adduci poterant: itaque Aediles etiam huic accusandi modo subiecti erant [25]). Sed vulgariter Aedilium, tum Plebeiorum, tum Curulium nomina apud Tribunos Plebis deferebantur [26]), ut ab his in ius arcesserentur. Quod diuturno usu ita sanctum erat, ut Imperatores quoque posteriores, et quidem Domitianus [27]), ab Tribunis Pl. peterent, si quendam Aedilem ex legibus puniri vellent.

---

24) Brut. c. 89, Gell. noct. Att. XIII. c. 15 in not. 22.

25) Gell. n. Att. XIII. c. 15, vid. not. 6 h. cap.

26) In caussis tamen privatis ad Praetoris iudicium Aediles adduci poterant, ex Gell. noct. Att. XIII. c. 15. — Sed Tribunorum Pl. auctoritas in Aediles non minus ex Mancini exemplo agnoscitur, Gell. n. Att. IV. c. 14: „Cum librum nonum Ateii Capitonis Coniectaneorum legeremus, qui inscriptus est de iudiciis publicis, decretum Tribunorum visum est gravitatis antiquae plenum. A. Hostilius Mancinus Aedilis Curulis fuit. Is Mamiliae meretrici diem ad populum dixit, quod de tabulato eius noctu lapide ictus esset, vulnusque ex eo lapide ostendebat. Mamilia ad Tribunos Pl. provocavit. Apud eos dixit comessatorem Mancinum ad aedes suas venisse; sed cum vi inrumperet, lapidibus depulsum. Tribuni decreverunt Aedilem ex eo loco iure deiectum, quo eum venire cum coronario non decuisset: propterea, ne cum populo Aedilis ageret, intercesserunt." Attamen absentis Aedilis locum non Tribuni Pl. ex legis iudiciariae constitutione suscipere debent, sed iudices totius urbis frequentiae ordinarii, Praetores Urbanus ac Peregrinus, leg. iudic. fragm. apud Gruter. Corp. Inscript. p. 508. lin. 26.

27) Sueton. Domit. c. 8: „Auctor et Tribunis Pl. fuit, Aedilem sordidum repetundarum accusandi, iudicesque in eum a Senatu petendi", qua tamen caussa cum Dirksenio, Civi-

Denique autem ad Aedilium Curulium ius edicendi, quod iam supra [28]) perpaucis tetigimus, et utriusque Aedilitatis iurisdictioni propositum esse ostendimus, pergentes, lubenter profitemur, nos hic campum ab auctoribus antiquitatum iuridicarum, quippe quum mercatorum vendentiumque cautelas necessarias in rebus emtis venditisque, hoc edicto de actionibus ac stipulationibus Aedilitiis constitutas tractarent, tam bene exaratum adiisse, ut, pro nostris viribus ac studiis, Balduini [29]), Donellii [30]), inprimisque Heineccii [31]), Reizii [32]), Ev. Ottonis [33]), Mazzei [34]), Waeyenii [35]) ac Dirksenii [36]) lucubrationibus, quibus

list. Abhandl. I. p. 175—77 prorsus consentimus, Senatui ea aetate non liberam fuisse potestatem puniendi.

28) Lib. I. p. 167—68 et p. 197. De Edicto Aedilium Curulium iam pridem in secundo seculo vulgaris rationis illustrato, conf. Gell. noct. Att. IV. c. 2.

29) Adnot. ad tit. D. de Aedil. Edict. 1548. 4., et reddit. in Heinecc. Iurisprud. Rom. et Att. t. I. p. 869—920.

30) Tractat. ad titul. de Aedil. edict. in eiusd. oper. Francof. ad M. 1589. 4. p. 183—211.

31) Florum sparsio ad Edictum Aedilicium, seu diss. historica et iuridica, qua et Aedilitii edicti historia, et ipsum, quod superest, edictum passim illustratur, Hal. 1738. 4.

32) Commentar. addit. editioni Theophil. paraphras., plur. loc., sed prae ceteris ad I. tit. 2, vol. I. p. 56 seq.

33) De tutela viarum publicarum lib. singular. III. c. 1—4. p. 414—70.

34) De Aedilitiis actionibus libri III, Rom. 1786. 4.

35) Dissertat. de Edicto Aedilitio, Lugd. B. 1720. 4.

36) Plurimis locis operis egregii Civilist. Abhandl. vol. I et II. Lips. 1820, praecipue tamen in tab. Heracl. commentar. Praeterea quasdam lectiones variantes Edict. Aedilit. praebet I. p. 595—96, et leg. 4 de Aedilit. actionibus II. p. 443.

nuperrime Henr. Iul. Mansfeld[37]) se associavit, nihil addere scirem: etsi immodestae sententiae apud aequos iudices me criminari nollem, ut rem plane exhaustam esse censerem. Huic igitur commentationi finem imponens, eam non melius quam Schraderi opinione argutissima [38]), de edicto Aedilitio non pridem proposita, me concludere posse arbitror. Is enim ex prima mentione edicti Aedilitii, cum Praetorum edicto coniuncti, in Gaii institutionibus facta concludit, Praesides provinciarum, qui Praetoris Urbani ac Peregrini edicta administrandi normam sibi accepissent, eadem etiam ratione Aedilium agnovisse edictum, eoque potius factum esse, quum Aediles, sicuti Quaestores, nullos vicarios in provincias misissent.

---

37) De usu actionum Aedilitiarum, Lips. 1827. 4., Dissertatio inauguralis est.

38) In recens. Gaii institut. in ephemerid. Heidelberg. Oct. 1823. p. 977. Locus explicitus exstat in Gaio I, 6.

CAP. II.

AEDILIUM MINISTRI, SCRIBAE, PRAECONES ET VIATORES; MAGISTRI VICORUM.

Plura ministrorum genera cunctis Romanorum magistratibus insignibus communia erant, ut Scribarum, Praeconum, Viatorum, quorum Consulares, Praetorios, Censorios, Aedilitios ac Quaestorios novimus; alia autem duntaxat magistratibus, quos maiores dictos scimus, propria, uti Lictorum atque Accensorum ordines nobis occurrunt, qui tamen extra ordinem in funerum exportandorum praesidio a quoque domino funeris adhiberi poterant [1]. Unde apparet, magistratus minores simul cum maioribus eiusdem generis habuisse ministros, quod vero vice versa in usu non erat. Id quodammodo eo declarari potest, ut Lictores tantummodo cum fascibus publice apparerent, unde etiam inter Accensos et Lictores facile quoddam certum discrimen ante Imperatorum tempora statuendum erat, ex quo hi ante magistratus suos in publicum officii caussa prodeuntes semper cum fascibus, illi ante eosdem sine

1) Cic. de leg. II. c. 24: „Dominus funeris utatur Accenso atque Lictoribus."

fascibus incedentes, ubique viam aperientes irent [2]. Itaque Lictores Aedilibus, ac ne Curulibus quidem, nunquam ulla ministeria praestabant, quia Aediles non maioribus magistratibus adnumerabantur.

Scribarum officia inter haec ministeria sine omni dubitatione graviora censeri debent, quod tabulae publicae, cunctaque quae Romae ex quodam officio describenda erant, eorum fidei committebantur [3]: et ita quidem, ut per quemque annum universi Scribae sorte lecti inter omnes magistratus dividerentur [4]. Quod tamen posterius, certo sub Imperatoribus, abolitum esse existimo, quia quosdam Scribas per totum vitae tempus uni magistratui adtributos videmus [5]. Vix autem dubitari potest, quin multi ingenui negotio per se non inhonesto se dedentes, famam, ab initio cuique quaestui mercenario apud Romanos non faventem, oblitam fecissent; quare adhuc quarto seculo a. Ch. talis Scriba usque ad dignitatem Curulem ascendere poterat, quemadmodum Cn. Flavii, patre libertino orti, exemplum affatim nos docet [6]. Itaque ex mea opinione omnino vanum est perquirere, num soli libertini eorumque filii, an libertini cum ingenuis permixti, scriptum faciendi artem exercuerint. Sed

---

2) Sueton. Caes. c. 20: „Antiquum retulit morem, ut quo mense fasces non haberet, Accensus ante eum iret, Lictores pone sequerentur."

3) Cic. Verr. II, l. 5. c. 79. Conf. Andr. Eschenbachii dissertat. de scribis veterum Romanorum, Ien. 1687. 4., et in eiusd. dissert. Academ.

4) Cic. Catilin. IV. c. 7.

5) Ex. gr. Scriba Quaestorius eiusmodi conditionis profertur apud Sueton. Vesp. c. 5 inter proximos Imperatoris propinquos.

6) De hoc Aedile notissimo testimonia congessi II. c. 5 sub Aed. Curul. a. 504 a. Ch. not. 84.

quantum nunc ex fontibus cognosci potest, pro certo haberi debet, nunquam in reipublicae statu libero Scribas sumtos esse e servorum publicorum numero, quemadmodum id Athenis interdum factum esse legimus. Ceterum Aediles in curis tam variis, inprimisque iis, quae ex pecuniarum publicarum usu derivabantur, multifariam Scribarum negotiis uti cogebantur, unde certo plures, quorum tamen numerum ignoramus, eosdem adhibuisse coniici debet. Neque autem de Scribarum decuriis, neque de ceteris eorum ministeriis hoc loco disserere nobis concessum est, sed potius de testimoniis antiquis, quae vestigia Scribarum Aediliciorum nobis servarunt, manifestaque reddiderunt. Quorum tamen tam multa exstant, ne ulla dubitatio exoriri possit, num quosdam Scribas duntaxat in negotiis Aedilitiis ita occupatos esse accipiatur, ut ex iis Aediliciorum titulum gessissent. Nam praeter Scribas, qui aerarium publicum defraudaverant, et diserte a Livio Aedilicii dicti erant [7]), Cicero alium profert „D. Matrinium Scribam Aedilicium" [8]): ac etiam ex posteriore aetate quosdam memoratos novimus, nempe ex primo Imperatorum seculo inscriptio antiqua praebet [9]) „T. Tettienus. Felix. Augustalis. Scriba. Librar. Aedil. Curul."; aliaque Hadriani aetatis [10]) „L. Aemilius. Quirina. Scriba. Aedilicius."

---

7) Quod exemplum in ultimo capite libri tertii not. 18 a me allatum est.

8) Cic. pr. Cluent. c. 45: „Nuper hominem tenuem, Scr. Aed. D. Matr. cum defendissem apud M. Iunium, Q. Publicium, Praetores, et M. Plaetorium, C. Flaminium, Aediles Curules, persuasi, ut scribam iurati legerent eum, quem iidem isti Censores aerarium reliquissent."

9) Gruter. Corp. Inscr. ant. p. 94. nr. 11.

10) Ibid. p. 174. nr. 4.

De Praeconibus, eadem ratione in decurias et inter magistratus divisis, qui Aedilibus in furtis exquirendis, ludorum ministeriis procurandis, sive rebus perditis proclamandis [11]) semper ad manus erant, egregium documentum relictum est in antiqua inscriptione, quae quandam scholae, a restitutore Xanthae nominatae, porticus partem ornaverat, decimoque sexto seculo in templi Fortunae reliquiis, e terra effossis detecta est. His autem verbis legitur [12]):

C. AVILIUS. LICINIUS. TROSIUS. CU-
RATOR. SCHOLAM. DE. SUO. FECIT. BE-
BRIX. AUG. L. DRUSIANUS. A. FABIUS.
XANTHUS. CUR. SCRIBIS. LIBRARIIS.
ET. PRAECONIBUS. AED. CUR. SCHO-
LAM. AB. INCHOATO. REFECERUNT.
MARMORIBUS. ORNAVERUNT. VICTO-
RIAM. AUGUSTAM. ET. SEDES. AENEAS.
ET. CETERA. ORNAMENTA. DE. SUA.
PECUNIA. FECERUNT.

De huius inscriptionis tempore editores, Faunus atque Müllerus nihil statuere conati sunt: quam equidem tamen ob libertum Drusianum primo Imperatorum seculo vindicare vellem.

Quod ad Viatores spectat, infimos cuiusque magistratus ministros, per eos delinquentium sive rixantium prehensionem faciendam esse Aediles iubebant [13]). Qui tamen in existimatione apud populum

---

11) Conf. Lydus de magistr. Rom. III. c. 8.

12) Quam primum publicavit Luc. Faunus in opere non indigno, dello antichità della città di Roma II. c. 10, latin. vers. apud Sallengr. thes. Rom. Ant. II, nuperrime autem repetiit Chr. Müller, das Forum Romanum, Stuttg. 1824. 8. p. 98—99.

13) Gell. noct. Att. XIII. c. 12: „In magistratu habent alii vocationem, alii prensionem: vocationem, ut Consules, et ceteri,

ex temporum diversitate maxime variabant: nam si illi ex Plinii testimonio [14]) antiquitus bona fama haberi possent, huius autem auctoris aetate, ut pessima descriptione notarentur, necesse fuisset, facile coniicere mihi liceat, illos in hac aetate forsan ex servis publicis, qui vix peius describi possent, esse sumtos, quum etiam Varro [15]), centum annis antea, Aediles servis publicis stipatos in medium proferret. Praeterea Viatorem Aedilicium [16]), qui simul Accensi ministerium exercuit, in antiqua inscriptione primi seculi p. Ch. designatum invenimus.

Postremo Magistri Vicorum, quos in fine nostri libri adimus, non arcte cum prioribus Aedilium ministris coniungi debent, quum hi melioris conditionis, etsi a Livio infimi generis magistratuum nomine designati [17]), semper ex civibus ipsis adlecti, neque mercede, neque severiore obsequio erga Aediles conducerentur. Nam ii sub Aedilium auctoritate superiore in tutela viarum securitatisque publicae, per singulos

---

qui habent imperium: prensionem, ut Tribuni Pl., et alii (i. e. Aediles Pl), qui habent Viatorem." Quem locum mutuatus est Gellius e Varronis rerum humanar. libro XXI, sed in eodem libro sibi non constitit Varro, quum Gell. XIII. c. 13 ex eodem Varrone Aedili ius prehensionis denagat, quamvis tamen is viatorem haberet.

14) Hist. nat. XVIII, 3: „Aranti Cincinnato Viator attulit Dictaturam, et quidem, ut traditur nudo, plenoque pulveris etiamnum ore. Cui Viator, inquit, „Vala corpus, ut proferam Senatus Populique Romani mandata. Tales tum etiam Viatores erant, quod ipsum nomen inditum est subinde, et ex agris Senatum ducesque accersantibus." At nunc eadem illa vincti pedes, damnatae manus, inscripti vultus exarcent." e. q. s.

15) Ex rer. human. l. XXI, apud Gell. noct. Att. XIII. c. 13.

16) Gruter. Corp. Inscript. p. 94. nr. 11.

17) XXXIV. c. 7.

vicos, Aedilitati opem ferebant, eiusque minora officia, quae ad communem vitam civium vicatim habitantium pertinebant, ipsi perficiebant. Prae ceteris autem ii sacris a vicanis apparandis praeerant, ludosque Compitalitios [18]), praetextati etiam in his diebus [19]) faciebant. Ceterum, donec respublica libera civium gauderet conditione, rarissime iidem memorantur, quod eorum ministeria minimi censebantur momenti. Sed inde ab Augusto imperante eorum potestas insigni modo altius efferebatur, quum hic [20]) totam urbem in quatuordecim regiones, earum quamque denuo in plures vicos divideret, quorum cuique singulos praesides annuos, e plebe cuiusque vicinia electos (cum nostrarum urbium curatoribus, quos Bezirksvorsteher nominamus, simillima comparatione iidem conferri possunt) praeponeret, qui antiquam denominationem Magistrorum vicorum reciperent. His praeterea in eorum ministeriis variis sustinendis, praecipue quidem in restinguendis incendiis, Aedilium servorum publicorum gregem simul adsociavit ac subiecit [21]), quo autem non minus eorum coniunctio angustior cum Aedilibus significaretur. Deinde sub Imperatoribus succedentibus horum magistrorum potestas adhuc magis aucta est, ut, quo magis ea cresceret, magisque solutam Aedilitatis auctoritate se redderet, eo magis utraque Aedilitas iniret oblivionem.

---

18) Conf. Cic. in Pison. c. 4, et Ascon. schol. ad h. loc., Cic. ep. ad Attic. II. ep. 5, Varro de l. Lat. V. p. 58, Gell. noct. Att. X. c. 24, et Macrob. Saturn. I. c. 4 et 16.

19) Liv. XXXIV. c. 7.

20) Sueton. Aug. c. 50 et Tiber. c. 76.

21) Dio Cass. L. c. 8.